

ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCXXIX
publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol.
atque Electoris Saxoniae Privilegiis.*

LIPSIÆ,
Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII,
A. MDCCXXIX.



LECTORI SALUTEM!

FActum est singulari divini Numinis bonitate, ut nunc Volumen Actorum nostrorum, si Supplementa & Indices computentur, sexagesimum primum, annum vero quadragesimum octavum Tibi sistamus prelo absolutum. Nam et si Director noster gravi & diuturno satis morbo, quem ægre superavit, dejiceretur hoc anno, curatum tamen est, ut menses singuli Calendis suis prodire possent, coque haud vane ominari liceat, hoc opus non tantum per semiseculum, quod biennio absoluto conficiet, sed, si quid stabile & perpetuum est in rebus humanis, etiam per plura secula duraturum. Sed alia nos difficultas magis indies premit: subscriptionis inventum anceps, ante paucos annos in Rempubl. literariam, commodo illius majori an damno? introductum, quo fit, ut res libraria, quæ antea omnibus patuit, nunc fiat paucorum, eorum nempe, quibus pecunias pro libris, de quorum pretio judicare nondum valent, & quos nec vident, nec forte videbunt unquam, profundere volupe est. Tot subscriptionibus, apud exteros imprimis, tempesti-

pestive invigilare, nec per distantiam locorum, nec per sumptus immensos licet, ut taceamus, sæpe fieri, ut pro auro carbones reportemus. Patendum tamen, plerosque, qui in Anglia præsertim hac lege imprimuntur, esse præstantissimos, qui nulla alia de causa nobis inditi manent, quam quod ad nos non perferuntur. Quare eos, quorum interest scripta & inventa sua, quæ ad Physicam maxime, Medicinam & Mathematicam spectant, aliaque, quibus proferuntur limites scientiarum, orbi litterato non invideri, vehementer rogamus, ne dedignentur exemplar unicum, probe adversus tempestates munitum & D. Johanni Burchardo Menckenio, Lipsiam, inscriptum, Amstelodamum, quo facilis & expedita ex omni Europa via est, ad Paulum & Thomam Heeger, mercatores valde industrios, mittere, qui fasciculos ad nos porro via brevissima curabunt. Et ne quis id privati commodi causa a nobis proponi criminetur, poterunt simul Autores librorum, si qui sunt paulo pretiosiores, justum pretium per literas indicare, certi nimirum, aut pretium illud, aut ipsum librum, postquam de eo in Actis nostris relatum fuerit, ad eosdem rediturum; quapropter nomen & locum, ubi vivunt, (l'Adresse) diligenter designabunt, ut omnia ordine fiant ac decenter. Nec minus Germanos nostros, quorum fervor in transmittendis libris suis nunc refrixisse videtur, hortamur, ut, si quidem nomen suum Fastis nostris inseri cupiunt, sua scripta nobiscum communicare haud graveventur. Promovebunt ita rei litterariæ commoda, nobisque calcar addent ad institutum nostrum tanto alacrius feliciusque continuandum. Vale & nobis fave.

No. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXIX.

Herrn Heinrichs von Büchau genaue und umständ-
liche Teutsche Kayser- und Reichs-Historie ic.

h. e.

**PERILLUSTRIS DOMINI, DN. HENRICI
DE BUNAU, accuratâ & copiosa Germaniæ cum Im-
peratorum tum Imperii Historia, e probatissimis
autoribus & monumentis congesta.**

Pars Prima.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii Filium, 1728, 4 maj.

Alphab. 6 cum fig. xn.

Injuriam nobis non facerent, qui nos dicerent ineptos, si post
tot aliorum libellos infinitæ varietatis, & aliquando gelida
sub Arcto, aliquando prope Solis viam conquistos, & in no-
stris Annalibus tempestive enarratos, negligere mus opus, domi na-
tum, illudque multis nominibus illustre: maxime, quod & ex-
teriorum, quos hæc nostra non fastidire novimus, & simul no-
stri interit, illos non ignorete, quam præclare nunc cum Histo-
ria patria agatur. Scilicet studii eximij exoptatissimum suscepit
patrocinium Perillustrijs atque Excellentissimus Dominus, Domi-
nus *Henricus de Büchau*, quem, præter sacri Regii Cubiculi Co-
mitis, Aule, Justitiæ & Appellationum Consiliarii & Supremæ
Curia Provincialis Assessoris munera longe splendidissima, sum-
mum rerum Ecclesiasticarum & Scholasticarum in Saxonix Ele-
ctoratu Præsidem dixisse, est laudasse; nunc vero inter Senatus
historici Principes in literatum republica, cujus nos acta conscri-
bimus,

A

bimus,

ACTA ERUDITORUM

binus, censendum, non nos loquimur, loquuntur æterna ingenit monumenta. Quantam spem excitavit Perillustris Dominus edito Fridérico Barbarossa, inter omnes satis constat, & nos ad annum hujus Seculi vicesimum tertium, mense Junio p. 257 tradidimus: nunc rei præclarissimæ, non nisi acri judicio, lectione infinita, laboris patientia maxima perficienda, caput tenemus, accurata & copiosa Historiæ Germanicæ, res Imperatorum & Imperii complectentis, Partem primam, quam paulo penitus lustrare, est animus.

In præfatione, postquam tria ad conciliandam historiæ perfectionem requiri eloquentissime monuisset Perillustris Autor, quæ ex vero sint: res magnæ, veri studium, digna elocutio; se, ait, amore pulcherrimæ artis incensum subsecivas horas illi a multis annis consecrassè; cujus studii, ut aliquod publice exstaret monumentum, se apud animum suum constituisse, res patrias majore cum cura, copiosiusque, quam adhuc factum sit, conscribere; opus illud esse eximium, immo & arduum, neminem negare, quod nobilissima Juris publici scientiâ ei unice innatur; veritatis præcipuam sibi fuisse curam, & illius consequendæ gratiâ nihil non antiquæ memoriæ se evoluisse; num in iis etiam, quæ sua sint, in ordine adhibito; & in elocutione justis æstimatoribus fecerit satis, sibi videri dubium: quæ modesta de se sententiâ loco non uno prodita, uti Excellentissimi Præsidis summam animi moderationem loquitur, ita nos, si quid judicare valemus, non impedit, quo minus illud insigne opus, sive rerum copiam, sive ordinis concinnitatem, sive verborum dignitatem spectes, ab illa perfectione, quam in rebus humanis mens concipere possumus, assequi non possumus, haud procul abesse pronunciemus. Quod enim Perillustris Dominus non dubitat, fore, qui scripturæ vernaculæ genus istis rebus non satis dignum judicabunt; si erunt ejusmodi Aristarchi, eos non modo inertes & fastidiosos, Ciceronis in præfatione allegati autoritate, sed ineptos quoque ingrati que animi dicemus, jure & merito, quod Patriam communem gemino, cum rerum suarum memoriæ cum cura proditarum, tum sui simul sermonis insigniter exculi beneficio obstrictam esse, indignantur. Post præfationem Index sequitur præci-

puo.

puorum autorum, amplius omnino, & copiosus, ex quo uno facile intelligi potest, quæ laboris suscepti sit moles, quæ in conquirendis, & indique subsidiis, ut magna, ita felix diligentia. Vertent eam in rem historiarum studiosi, & istius periodi, quæ hoc volumine explicatur, historicam veluti bibliothecam habebunt; quamvis Perillustrem Autorem non hoc ipsum, sed infinita allegationum compendia, ne in immensum excreceret opus, necessario adhibita, quæ vero absque ejusmodi indice plurimis, ærigmata mera fuissent, ad eam conficiendum præfigendumque compulerint. Post Indicem Autorum legantur trium librorum, quibus universum Volumen conflat, Lemmata, quæ uti in ipso opere margini adjecta rerum conscriptarum unoquoque in loco iudicium faciant, ita hic in fronte collecta in unum jucundam totius Libri speciem, concinnamque epitomen exhibent.

Jan diximus, primam hanc Historiæ Germanicæ partem Libris tribus constare, quorum primus res a Cimbrico bello ad Marcomanicum, si tempus requiras, ab A. V. C. DCXL ad A. N. C. CLX; gestas persequitur. Scilicet post origines gentis, si a fabulis discedas, obscuras & dubias, post Germaniæ Germanicarumque gentium situm, post mores Germanorum, quantum satis videbatur, traditos, explicatur, qui Cimbrorum audita sint arma, & quam difficulter Romani illorum & Teutonum, Ambroium etiam & Tigarinorum impetum frægerint: quantum Julius Cæsar in Ariovisto debellando, tuendisque a Germanorum irruptione Gallis laboraverit: quid Augustus per Drusum Tiberiumque in Germania egerit: qui paucis ante ejus excessum annis, Arminius, haud dubie liberator Germaniæ, una Clade Variana jugum Romanum excusserit: quæ virtute Germanicus cum Germanis depugnaverit, victor forte Germaniæ, ni Tiberii invidia intercessisset: qui subdacto Germanico collisi Arminius & Marobodius, quorum ille suorum scelere est interemptus, hic pulsus regno, Ravenæ turpi otio consenuit: qui post C. Cæsaris minas in ludibrium verbas, Claudii fictos triumphos, Neronis inertis imperium, Belli Batavici incendiur exarserit, ductore Civili, viro callido, & forti: quid Domitiano, quid Trajano eum Dacis negotii intercesserit, quibus aliisque cum Romano

ACTA ERUDITORUM

imperio bellis pugnaces majores nunquam non fuerunt im-
misti.

Liber secundus a Bello Marcomannico A. a C. N. CLX inci-
pit, & morte Clodovei A. DXI finitur: optima sane ratione, quod
hactenus æquo veluti Marte certaverat Romanorum potentia,
Germanorumque libertas, nunc lacerata toties Germanorum vir-
tus tot cladibus irruptionibusque obterere incipiebat Romani im-
perii molem, ut in occidente saltem hujus majestas deleteretur, resti-
tuenda olim ex ea gente, cujus imperium Clodoveus condiderat.
Horum eventorum causas prudentissime expositas vide, si lubet,
hujus libri initio; quo facto ordine offendes, Bellum Marco-
mannicum varia fortuna sub M. Antonino gestum, Com. modi in-
ertia an sapientia compositum: Allemannos Caracallæ bello co-
gnitos: primum auditum Francorum nomen: Gothorum ori-
ginēs: Saxonum belli gloriam mari partam: quid post transla-
tam Imperii sedem in Orientem, in his occidentalibus partibus
cum Germanis rei gestum sit: quantopere Juliaus Gallias mu-
nire, & ab irruptionibus Germanorum defendere sit annisus:
quod equidem Valentiniano Valentique non magis successit:
novum mox ingentis belli turbine, Hunnorum motus, Gothi
primum, mox omni Europæ luctuosos: qui Imperium Roma-
num sub Theodosio magno nutaverit: sub Arcadio & Honorio
sit labefactatum: sub Augustulis illis, Honorii, nequam homi-
nis, non melioris frugis successoribus, ruerit; sub illorum ultimo,
cui probrosum nomen, veluti fato, contigerat proprium, occu-
berit: exortis, & splendidis tantæ molis ruinis, regnis, Vanda-
lorum, Suevorum, Alanorum in Hispaniis, Gothorum & Burgun-
dionum in Galliis, Vandalorum in Africa, Saxonici in Britannia
potentissimis, quibus Hunnorum imperium cum Attila natum
denatumque, & Francorum regnum a Clodoveo conditum an-
numeres, qui, ut imaginem ejus ab Excellentissimo Præsidi in
fine libri II, verissime expressam tribus verbis repetimus, annis il-
lis triginta, quibus Francis dominatus est, satis ostendit, fortitu-
dinem, calliditatem, & fortunam sibi non defuisse; virtute, be-
nignitate, fide ac probitate omnino caruit; Christiani autem no-
men prorsus non meruit, ut adeo æthiopem lavent illius ætatis
Epi.

Episcopi & Clerici, qui auctoritate, opibus, muneribus in se collatis veluti mercede conducti, eum, cum Gentilium Principum æquissimis comparandum; ut Christianarum virtutum compendium depingunt, eminentisque illis laudibus onerant magis quam ornant.

Sed superest Liber III, qui perplacet. Animus est Perillustri Autori in cujuslibet Voluminis calce Regum, Principum, aliorumque virorum illustrium stirpes & stemmata, & publica sub unoquoque Rege vel Imperatore edita monumenta, quorum exstat memoria, subicere: quod cum in his antiquissimis rebus fieri non potuerit, in eum locum eximium eumque historicum omnium virorum forum, à Tuistone ad Chararicum Francorum Regulum, Indicem substituit, laudatissimo consilio, ut in eo legantur, quæ ad fabulosam historiam pertinentia Cimbrici Belli ætatem anteceduat, & quæ post illud bellum collocanda, perpetuo tamen orationis filo commode innecti non potuerunt; sicut ut uniuscujusque viri celebris res in Annalibus ex temporum ordine dispersæ discernæque, hic in unum collectæ, ipsique idoneorum autorum non locis sed fere ubique verbis adductis firmatæ, uno veluti oculi ictu usurpentur, ubi diligens lector monendus est, si forte quem Principum virorum in illo libro tertio quaesierit, nec invenerit, ut ne Perillustri Autorem humani quid passum esse opinetur; sed, studio potius, ne primi Voluminis moles nimis excresceret, & quod ille ad stemma altero Volumine explicandum pertineat, omissum esse sciat. Index diligenter confectus opus claudit.

Bibliopola justam diligentiam adhibuit, ut libro suus consuetor atque ornatus, ad quem imprimis Excellentissimi Præfidis imaginem referas, artificio manu æti incisam, operisque fronti præfixam. Sed & Perillustri Autori placuit, eo etiam suam extendere, ut uniuscujusque libri initium faciemque effigies ornent, nummos Romanos res Germanicas illustrantes, majorumque ritus varios & consuetudines exhibentes: qui mos & insigne decus libris conciliat, & ad propagandam refrendamque antiquam memoriam merito peridoneus habetur. Quo te amplius noverimus, Amice Lector, non suppetit: nisi ut conceptis verbis

nobiscum voveas; ut Excellentissimo Præsidi identidem tantum
otii superfit, quantum requiri videtur, ad perficiendum Opus, cui
exterae etiam gentes aliquando invident, bene quae.

JOANNIS SCHILTERI THESAURUS AN-
tiquitatum Teutonicarum, Ecclesiasticarum, civilium, li-
terariarum. Tomus III, exhibens Glossarium ad Scriptores
linguae Francicae & Alemannicae, veteris; in quo vocabula
& formulae Alemannicae & Francicae, Gothica item, Anglo-
Saxonica & Longobardica, ex monumentis vetustissimis
tam editis quam ineditis recensentur & illustrantur; in-
sertis variorum eruditorum observationibus. Cum

lib. foliis. Praefat. JO. FRICKII, S.T.P.

Ulmæ, sumptibus Danielis Bartholomæi, 1728, fol.

Alph. 10 pl. 13 Tabb. 20. 2.

Effectum est igitur; quod sperare non ita pridem jussi era-
mus, & non sine insigni eruditorum plausu, illorum maxi-
me, qui Germanici nominis atque virtutis cultores se profiteantur,
effectum est feliciter. Scilicet verare nunc etiam manibus licet
veterum illum *Thesauri Schilteriani* Tomum, *Glossarium Teu-*
tonicum, posthumum celeberrimi Viri Opus, complexum, & in-
tegrum operis complementum; in quo adornando expoliendoque
nihil quidquam sive Cl. Editoris curam, sive honestissimi biblio-
pola diligentiam remississe deprehensum est. Nos autem, quem
admodum de precedentibus hujus syntagmatis partibus supra ab-
unde diximus; ita ut de postrema etiam hacce notitiam aliquam
capere possint lectores, jam allaborare, nostrum esse negotium
merito existimamus. Vestibulum inde exornat S. R. *Frickii*
luculenta praefatio, ex qua cognoscimus, Fratrem ipsius atque
Collegam, *Rev. Etiam Frickium*, non exiguam sicuti laboris huius
operi impensi, ita & gloriae, quae hinc redundat, partem suis stu-
diis atque vigilis vindicare. Is enim loca autorum Alemanni-
acorum, quorum testimoniis usus est *Schilterus*, evolvit accurate
atque apposuit, observationes *Reinesii*, *Arnaldi*, *Dicmanni*,

Ulmæ

ε λ

Palz

Paltani, Scherzii aliorumque, suo quamlibet loco, collocavit; *Glossas* denique *Monfalcones Pezianas & Keronis* Latina explanatione curate illustravit; & plura alia ad decus operis pertinentia contulit liberaliter. Excipit hanc præfationem ipsius *B. Schilteri* de originibus linguæ Teutonice commentatio, quæ *προλεγόμενων* partes sustinere destinata ab illo fuerat, si fata ipsi *Glossarii* editionem curare permisissent. Omnem in hac operam insumit Vir doctissimus, ut destructa prius *Boxhornii* ejusque sequacium sententia, Germanicæ linguæ origines ex *Scytharum* antiquissimorum idiontato, derivantium, demonstraret, *Celtas*, pridem ante *Scythas*, per *Illyrium* in occidentales Europæ partes delatos, quas illas adhuc incolis terras occupavisse, & peculiarem huc linguam maxime a *Sythica* diversam, secum attulisse; quæ unica mater reliquarum Europæarum posthac exstitisse existimari debeat. Quæ quemadmodum operose, & cum insigni eruditionis apparatus adducuntur; ita contendi a lectoribus non sine voluptate fortassis poterunt, quæ nuperus demum *Glossarii Germanici, Etymologici*, in Actis nostris A. 1728 p. 7 seq. cum cura recensiti editor, *Celeb. Wachterus*, in contrariæ sententiæ patrocinium non minus erudite de eodem argumento disseruit. Nos vero his uberius discutiendis præter instituti rationem nequiquam inhorabimur; atque id unum tantum addimus, delibari simul in hac dissertatione varias Germanicæ linguæ per varias ætates vicissitudines, deducto narrationis filo ad illa usque tempora, quibus præterlapso seculo ab eruditis, impari licet consilio atque successu, in varias societates coeuntibus, Germanici idiomatis cultura suscepta est. Jam & ex *Celeb. Editoris* præfatione; quæ scilicet *Schilterianam* hancce diatriben sequitur, quæ lectorum cognovisse interest; decerpemus, de ipsa mox *Glossarii* constitutione pauca additura. Ille vero præter hæc, quod optima fide *Schilteri* opus transcribi curavit, adjecit etiam pluriem, quæ adjecturum ipsum *Schilterum* fuisse existimari potest; siquidem in ipsius notitiam vel potestatem venissent. Ita *Keronis* *Glossæ*, quas, quales *Goldastus* edidit, imperfectas scilicet & vitiis haud raro deturpatas, *Schilterus* *Glossario* passim inseruit, integræ his atque emaculatae

latæ exhibentur; *Willeram* veræ lectiones, atque aliz omnino quam in *Pauli Merula* editione; quem sequutus est Noster, occurrunt, offeruntur; quod idem de *Otsfrido* aliisque scriptoribus plurimis, qui in prioribus duobus tomis correcti atque emendati sistuntur, & ad quos subinde provocat *Schilterus*, sollicitè factum est. Porro a Cl. *Joanne Philippo Palbenio* ad *Tatianum*, *Isidorum Hispalensem* atque fragmentum *Colloquii Samaritani cum Christo*, junctim a se edita, erudite notata, passim heic, ubi *Schilterianis* dictis lucem allatura existimata fuerunt; interspersa deprehenduntur; quemadmodum etiam a R. P. *Bernhardo Pezto* in *Miscellaneis Theoticis* vulgatæ *Glossæ Monscenses* ad unam omnes in subsidium atque supplementum vocatæ sunt; ita tamen, ut, quum Latino-Theoticas ostendat *Peztus*, Theotisco-Latinas reddi curaverit ad operis analogiam Cl. Editor. Neque negligendum heic idem censuit *Glossarii Rabani Specimen*, R. *Joannis Diecmanni* annotamentis illustratum; ex quo quippe hæud parum lucis operi huic accessurum esse persuasum habuit. Similiter Cel. *Dieterici a Stade*, quem *ουεγορ* habuit dexterrimam *Diecmannus*, *Specimen lectionum antiquarum Francicarum*, expositionem itidem vocum Germanicarum in *Lutheri versione Bibliorum Germanicæ* occurrentium sedulo consulendam duxit, ejusdemque interpretamentis, commodo loco appositis, mirifice *Schilteri* laborem collustravit. Fecit idem cum *Thomæ Reinesii* *vocabulario Theotisco*, quod communicavit benevole Excell. *Christianus Simonius*, cui integri *Theauri* hujus editio debetur accepta, atque inde, quæ *Schilterus* in usum suum transferre neglexerat, decerpit. Appendicis denique loco *Marci Zuerii Boxhornii* *Glossæ* separatim subjunxit Alphabeticò ordine dispositas; ipsi verò *Glossario autorum Germanicorum Catalogum* præmisit, ex quibus præter jam nominatos hinc inde profecit. Quilibet facile perspicit, non nisi stupendo labore isthoc negotium perfici potuisse; quem verò non frustra impensum fuisse; sed maximo cum lectoris fructu susceptum, ipse, putamus, operis usus demonstrabit. Neque verò heic sublitit doctissimi Editoris diligentia; sed ipse etiam suas passim de variis locis atque vocabulis cogitationes apposuit, cum reliquis facile a propriis

Schil-

Schilleri discernendas, quod uncinulis illæ inclusæ fuerint. Ad ipsum denique *Schilleri* laborem quod attinet, non hoc illi consilium fuit, in vocum Francicarum atque Alemannicarum origines curatius inquirere atque Etymologus egere, quum hanc sive curam sive curiositatem a Cl. *Francisco Junio* satis occupatam esse fuerit arbitratus; sed illud unice in animo habuit, ut vocabulorum Germanicorum tum in sacris tum in foro & communi vita usurpatorum veras at varias sæpe significationes erueret, atque simul præstantissima antiquitatis Germanicæ capita dilucidaret. Ut adeo non tantum inanum vocum atque nominum sarraginem propinare lectoribus voluerit, sed rerum quoque, ad *Gangii* ac *Spelmanni* exemplum, maxime commemorabilem apparatus exhibere. Ita ad vocem *Adel* varia de statu nobilium in Germania, ad *Alse* de Alsatia veteri, ad *Wapen* de jure & more armorum, & ad alia sexcenta loca alia erudite congerit; quandoque etiam vel sua vel aliorum de variis rebus ad Germanicæ antiquitatis notitiam curatorem pertinentibus cogitata interspergit, ut p. 849 ad vocem *Werde Mayeri* Epistolas duas de Landgraviis Alsatia & Werdæ, Rheingraviis, Raugraviis, cum proluxa Nostri responsione; chartas insuper Imperatorum ac Principum hæc pauca, quas vix quispiam hæc quaesiverit, integras inseruit. Facile interim & ipse beatus *Schillerus* & Clar. Editor agnoscunt, non ad consummatissimi operis ideam laborem hunc forsitan effectum in lucem prodire, quæ vero res, tantum abest ut apud æquos atque cordatos Viros in censum veniat, ut potius ipsos utriusque meritis debitas laudes sponte decreturos esse omnino confidamus.

Allgemeines Biblisches LEXICON
LEXICON BIBLICUM UNIVERSALE
 Autore DANIELE SCHNEIDERO, adhuc Pastore
 Lautacensi, ecclesiarum Inspectore, & Consistorii Assessore,
 nunc ecclesiarum Comitatus Erbaccensis vocato Superintendente.

dante. Prefationem premisit J. O. GEORGIUS PRAE-

TIUS, D. Ministerii Francofurtani

Senior.

Tomus I.

Francof. ad Moenam, in bibliopolio Knochiano, 1728, fol. maj. 7

Alph. 13 pl. 13 Fig. 20, Tabb. 9

Quam illorum opera magni utique facienda sit, qui ad eru-

cidendam Scripturam sacram ingenium suum atque eru-

ditionem contulerunt; quorum ingens est numerus, quibusque

ut singuli fecerunt opera pretium, laus persat integra, tum &

illi bene de literis sanctioribus meriti sunt intelligendi, quibus

scriptis dictionarius ordine alphabetico, quae ad verba Scriptu-

rae explicanda, antiquitates evolvendas, & quae alias dilucidatione

aliqua opus habere videntur, studium fuit exponere. Hac in re

praesiterunt haud sane nihil ex Gallis Viri docti, D. Hux, suo

in Dictionario, quae ad sentiam grammaticalem, moralem & hi-

storiam in Scriptura pertinent, complexus est; praetermissis ta-

men iis, quae de rebus geographicis, de chronologicis & criticis

dici poterant. Succellit Simonius, Lugduni Theologiae Doctor,

& olim Uzetae in dioecesi Viennensi, quae est in Delphinatu, pa-

rochus, novum commentus Dictionarium Biblicum, quod unico

Volumine in folio, ut loquuntur, prodit Lugduni anno seculi

superioris nonagesimo tertio, & reculum est anno hujus seculi

tertio, altero volumine auctius. In illo vero praeter cetera claris-

simorum utriusque Testamenti visorum vitas imprimis perfec-

tus est autor. Quum vero Viri eruditi in eo animadvertereat

menda quam plurima, multa & esse omissa, autoremque destitu-

tum fuisse adjumentis necessariis, sive linguarum cognitionem

spectes, sive lectionem librorum, sine quibus tam vastum opus

perfici non potest, surrexit Augustinus Calmer, ordinis S. Benedi-

ctini, qui lingua Gallica Dictionarium historicum, criticum, chro-

nologicum, geographicum & literale sacrae Scripturae divulgavit,

quod Venetiis duobus abhinc annis in Latinam linguam a Jo. Do-

mingo Manzi translatum lucem vidisse novimus. Vir hic ut diffu-

sante sibi comparavit eruditionem, id quod ex Commentariis ejus

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

in

MENSIS JANUARIi A MDCCXXIX.

in Scripturam satis apparet, ita operi ejusmodi suscipiendō & ad modum erat idoneus, quod & præclare perfecit. Hoc institutum feliciori successu apud nos imitaturus, Vir plurimum Reverendus *Daniel Schneiderus*, ecclesiarum Comitatus Erbacensis Antistes, lingua vernacula Dictionarium Bibliam universale concinandum sibi esse duxit, in quo, quæ ad nomina & res in Scripturis occurrentes, quæ ad angelorum nomina & ordines, ad vitam patriarcharum, regum, prophetarum, apostolorum, aliorumque tam bonorum quam impiorum; quæ ad genealogias, ritus, ceremonias, antiquitates reliquas; quæ ad sectas; itemque quæ ad geographiam, quæ ad res naturales, in cælo, sub cælo, in terra, sub terra; quæ ad animantia, mineralia, arbores, plantas & quæ sunt hujus generis alia longe plurima spectant, luculenter & accurate expolita, ordine alphabetico exhibet. Et profecto vel ex superficiali inspectione patet, Autorem doctissimum, ut diffusa gaudet lectione & judicio pollet acerrimo, muneri, quod ornare instituit, egregie satisfecisse, qui eo ipso ingentem ab omnibus qui in perscrutando scriptorum sacrorum sensu occupantur, promeritus gratiam. Nam quæ diuturno & indefesso labore ex monumentis præstantissimorum Virorum & antiquæ & recentioris ætatis observaverat annotaveratque, hic concinne congesta & oratione perpolita videmus enarrari. Sed ista malumus a lectoribus curiosis ex ipsa libri utilissimi evolutione frequentiori cognosci. Prodiit nunc Tomus primus; sed spem facit Autor eruditissimus, fore, ut intra annum, quæ reliqua sunt, pari industria elaborata subsequantur. Cui instituto perficiendo ut divinum Numen vitam viresque illi elargiatur sufficientes, ex animo vovimus.

ADMONITIONES AMICÆ ET MODESTÆ
ad futuros Novi Testamenti Greci Editores.

Quum Novum Testamentum liber salutaris sit & ab omnibus hominibus, literatis præsertim, legi debeat: merito ita editur, ut diligenter ea observentur, quæ intelligentiam ejus adjuvare possint. Quicquid igitur ab eruditis dudum inventum est ad intelligentiam Scripturarum, quarumvis sublevandam,

id. in Novo Testamento Græco magis etiam observandum videtur. Sicut in II. c. 14. de hoc dicitur: *Προσέβητε τοις βιβλίοις τοῦ Νέου Ἐσθίου*. II. Recte igitur & sapienter eruditi *distinctionum* notas ad Novum Testamentum Græcum adhibuerunt, & in ea te diligentius identidem versati sunt, ut comparatio vetustissimorum librorum cum recentioribus quibusdam docebit. Sed multa tamen loca supersunt, quæ majorem aliquam diligentiam & acriorem limam desiderent. E. g. in C. III, 14. epistolæ Jacobi adhuc omnes libri, quos equidem viderim, ita leguntur interpuncti: *εἰ δὲ ἔηλον πικρὸν ἔχετε καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας.* Quæ lectio si maneat, Jacobi sententia hæc fuisse videatur, ut suos tantummodo moneat, ægritudine animi ad detrimentum veritatis non esse abuteandum. Ita verò fit, ut ægritudinem illam pene approbare ac tueri videatur. Id quod a doctoris Christiani personâ alienissimum esse, facile omnes perspicimus. Verum si nos audias: nihil erit talis vitii, ne suspicio quidem vitii ullius. Nos enim Jacobo restituius interrogationem, qua is summo iudicio usus est. Quid animi sapientius dici queat ad redarguendam pravitatem hominum eorum qui temere sibi sapientes videntur, quam si ita scribas: *Τὸ σοφὸν καὶ ἐπισήμων ἐν ὑμῖν, δεῖ αὐτὸ ἐκ τῆς καλῆς ἀνατροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραότητι σοφίας.* *Εἰ δὲ ἔηλον πικρὸν ἔχετε καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας.* *Si quis est inter vos sapiens & intelligens, ipsa morum honestate cum mansuetudine declaret sapientia instituta.* *Si vos verò amare invidetis & in animo certandi studia foveatis: nonne animosi estis adversus veritatem & mentimini?* Ecce jam apertam est primam, Jacobum reprehendere invidiam seu æmulationem & acerbiteriam studiorum quamvis. Deinde, falso ei sapientem videri illum qui animo suo æmulationem occultam habeat. Tum, hominem saltem adversus veritatem audere & turpiter gloriari. Quid autem usquam est, quod personâ discipuli Christi dignius dicas, quam huiusmodi præcepta? Nihil hic tortuosum est: nihil interpreti molliam creat. In veteri contra & communi lectione solertia summa

ma interpreti est adhibenda, ut Jacobi dicta in commodiorem sententiam torqueantur. III. Non autem genera modo interpunctionum permittenda sunt interdum: sed eadem interpunctiones sæpe commodiore in sede reponenda. Locus Pauli *Gal. III, 19* ita est adhuc interpunctus: *Τί ἐν νόμος; τῶν παραβάσων χάριν προσετίθη, ἄρχεις οὐκ ἔλθῃ τὸ σπέρμα κ. τ. λ.* Hæc interpunctio non est ab homine Græce docto profecta, neque Græcis nota. Nam *τί ἐν* est formula instantis & urgentis. Ergo a reliqua oratione recte sejungitur, ut vis & vehementia disputationis rite appareat. Vis autem illa infridgitur coacervandis verbis plurimis. Id quod Stoici disputatores intelligebant, idcirco confortulis quibusdam ac minutis conclusivunculis efficere conabantur quod cupiebant. Sed afferamus exempla Græcorum scriptorum, unde ratio & vis harum particularum eluceat. Alciphron lib. I ep. 36 pag. 162: *Τί ἐν; ἔ ποτήριον ἐστὶν ἐπὶ τῆς ἀκίας ὑμῶν; καὶ χρυσία τῆς μητρὸς; καὶ δάνεια τῶν πατέρων κομιθέντων;* Quid ergo? nulla vobis domi pocula quæ offeratis? nulla matris aurea ornamenta? nulla patris pecuniæ mutua? Plato Alcibiad. I pag. 29 C. *Τί ἐν; εἰ οὐ μάλιθα ἕτερα μὲν τὰ δίκαια τυγχάνει ἔντα, ἕτερα δὲ τὰ συμφέροντα &c.* Quid igitur? si alia quam maxime sunt iusta, alia utilia: non tu rursus putas te hæc scire quæ hominibus sunt conducibilia? Idem alibi: *Τί δὲ ἐν, ἐφῆσεν ὁ Σωκράτης, ἔ πάντας ἐγὼν φάμεν;* Quid igitur, inquit, o Socrates? non omnes amare dicimus? Similiter Elianus XII c. 31 pag. 714: *Τί δὲ; ἐκ ἑκείνων τῆς ἑλλήνων ἀπόδειξις;* Quid autem? nonne ista Græcorum luxuriam ostendunt? Latini hanc Græcorum loquendi consuetudinem imitati sunt sæpe, & easdem interpungendi rationes tenuerunt.

IV. Præsertim parentheses crebrius inculcanda sunt, ne scriptores sacri inepte loqui videantur, quum revera loquantur sapientissime. Ita nec vis particula *ἐν* elegantissime posita nec tota oratio intelligetur plene i *Cor. VIII, 1, 2, 3, 4*: nisi ita disjungas quæ adhuc conjuncta leguntur: *Περί δὲ τῶν εἰδωλοθύτων διδάμεν (ὅτι πάντες γινώσκοντες ἢ γινώσκοντες φύσιν, ἢ δὲ ἀγαπήν οἰκοδομεῖν). Εἰ δὲ τίς δοκεῖ εἰδέναι τι: εἰδὲπω εἰδὲν ἐγνώκε κα-*

ὅπως δὲ γινώσκω. (Ei de tis αγαπα τον Θεον, ετος εγνωσι υπ αυτου.) Περὶ τῆς βρώσεως δὲ τῶν εἰδωλοθύτων εἶδαμεν, ὅτι οὐδὲν εἰδωλον ἐν κρέμασι &c. Ex hac sejunctione penitus perspicitur, primum Paulum leniter & dissimulanter pungere arrogantiam Corinthiorum, qui scientiæ & sapientiæ laudem sibi quoquo modo tribuebant, quum tamen longè ab ea laude abessent. Deinde falsæ scientiæ insignia demonstrare. Denique amoris tantoperè semper ab ipso prædicati commendationem hic quoque cordi habere. Verum, ex vulgari lectione, Paulus se Corinthiorum rationibus admiscere videtur & sibi ipse etiam correctionem scientiæ præscribere. Quod longè secus est. Illud igitur unum hic restat probandum, particulam ἐν parenthesisibus subijci. Id quod vel unus Platonis locus demonstrabit Dialog. de Philosoph. princip. Κ' εγω (καθημην γὰρ παρὰ τὸν ἑασην: τὸ ἔτερον αὐτῶν) κινῶμαι ἐν αὐτῶν τῶ δυνάμει ἠρόμην. *Es. ego (assidebam enim amator, alacrius eorum.) cubito, igitur, seditionis eum quærebam &c.* Sed larga parenthesis in Novo Testamento leges est, & nostra præsertim ætate curatius exquisita. Nec dubitamus, quin ea res plus quotidie utilitatis allatura sit bonarum literarum studiosis.

V. In Latinis libris illud literarum genus quod vulgo a currendo nomen habet, sermones alienos a propriis Scriptoris verbis belle & cum lectoris commodò discernit. Idem artificium si ad Græcas Evangelistarum narrationes alienorum sermonum, itemque ad objectiones Pauli, & similia alia transferatur, valde videtur fore conducibile.

VI. Si item superiori singularum paginarum margini, præter nomen libri & numerum capituli, etiam præcipua momenta rerum pauculis verbis adscribantur, memoriz lectorum & quarrendarum quarumque rerum facilitati consuli poterunt.

VII. Quum una eademque sententia in plures *versus* (ut vulgo dicuntur) distracta est, & intelligentia sententiæ præpediri, vel etiam periclitari videtur: tum nihil quidem de pristino numerandi more immutari velimus, sed numeros tamen in eum locum rejici, ubi coherentiæ sermonis nihil officiant. Potior enim sententiæ Spiritus divini, quam numeri temere inculcati ratio esse debet. Vid. *Ephef. I, 20, 21.*

VIII. Contra ubi copulata & in unum comma coniecta sunt ea quae rectius disjungantur: ibi saltem spatium infigiote segreganda scienter putemus, quae casu & temere aggregata fuerint, Vid. *Epist. II, 13*.
 IX. Loca *parallela* ab eruditiss. annotata video, vel verba consimilia spectare, vel sententias easdem, saltem inter se cognatas. Alterum genus ab altero discernendum esse signo quodam videtur, propter commoditatem lectoris. Utraque singulis *versibus* quos declarant, interferenda potius videantur, quam margini allinenda, ne qua vel confusio exoriat, vel diligens & curiosa inquisitio requiratur.

X. Leisdenius vocabulis rarioribus signa quaedam apposuit. Ego praeslantioribus considerandum relinquo, an signa quaedam ad marginem eorum *versuum* adicienda sint, qui citra vel optionem quandam, vel historiam, vel consuetudinem veterum intelligi non possunt, ut discipulis magis magisque admoneantur difficultatis, quae lectores minus doctos circumvallat, & ipsi ad circumspicienda doctrinarum subsidia magis & mature accendantur.

XI. Si huiusmodi signa necessaria videantur: tum nihil ad dubitationis supererit, quin idem pene jus sibi vindicent loca ea quae vel vocabula, vel locutiones honestioribus scriptoribus Graecis ignotas & indignas, Hebraeis unis familiares, atque unice relinquendas, aut alio etiam nomine odiosas & reprehensas continent. Nam quia scriptores sacri a multis multis ob causas infamati & infesti plebem, vel si clementius ageretur, in plebis classem detrusi sunt: operae pretium facturus videtur, qui loca ea ipsa annotet, quo discipulis diligentius ad ea honestanda incumbant inter legendum veteres scriptores probatores. Nam nihil pene est, quod non auctoritate nobilioris cuiusdam scriptoris Graeci condecorari queat, quamvis a quibusdam reprehensum sit & infamatum. Non longe aberimus, crebra occurrunt exempla locutionum inique accusatarum. Ita improbata est quibusdam formula dicendi *2 Petr. II, 14*: *Οφθαλμοὺς ἔχοντες μωσαϊκῶν*. Maluerant *μοισεικῶν*. Sed ira dictum Petri vixit & gratiam omnia perdidisset. Adulteris enim non adulterium,

sed

sed adultera semper versatur ante oculos: Si quis in Asia fuit, & ex Asia in patriam redux semper ante oculos habeat Asiam: cur non dici possit *Asia plenus oculos habere*? Ecce locum Platonis Petrino illi consimilem. In Convivio pag. 324, B: Οὐδὲ γὰρ με, inquit, ἔρω Θεῶντες μέσον ἡγῆ, ὥστε καὶ ἀγνοῶν, ὅτι τοῦν ἔχοντι ἐλόγοι ἔμφορες πολλῶν ἀφρονῶν φοβερώτεροι. Non me ita theatri plenum putas, ut etiam ignorem; hominū sano paucos prudentes multis insipientibus magis esse metuendos. Belle Ovidius de Arte libr. II v. 347:

Te semper videat: tibi semper præbeat aures:
Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Sic Matth. XXVII, 38: Ἐὖς θανάτου pro valde quidam dictum opinantur: quum nulla sit necessitas, quæ nobis persuadeat, ut a propria significatione recedamus, quæ est usque ad mortem: ut *mortis sit periculum, ut vita mea periclitetur*. Etenim Cebes cap. 18: τὸ θῆλες, inquit, πᾶν τὸ εἰς ἄλλο κινουμένον μέχρι θανάτου. Serpentes omnibus aliis capitaliter noxii. Porphyrius de abstinentia lib. IV cap. 13 pag. 161: *μέχρι θανάτου βιάσται, usque ad mortem cui vir intendatur*. Idem mox ibidem: τὴν μέχρι θανάτου βίασαν, *cruciatum mortis pericula intem antem*.

XII. Germanica Lutheri Biblia quædam formis vnicis ita sunt expressa, ut dicta memorabilia & religionis veritatisque fulcra majoribus literis insignita omnium allecent oculos. Quæ res non mediocrem habet & utilitatem & voluptatem: Nihil igitur impediit fortasse, quin in Græco item Novo Testamento eadem teneatur consuetudo.

XIII. Historicis quibusdam Latinis additi sunt ad marginem anni, quibus quæque res contigit. Ciceronis item epistolis anni quibus scriptæ fuerunt singulæ, adiecti coeperunt: Utiliter sane & sapienter. Quid igitur? num peccabitur, si ad Evangelicæ annis anni Jesu, ad epistolas anni quibus scribi coeperunt, adscribantur?

XIV. De Geographicis & reliquis adjunctis, quæ jam dudum aliqui Novo Testamento Græco attulerunt, & ea re admonitionem nostram ante occuparunt, nihil addam. Hoc unum addo,

do, congerenda esse bona singulorum in unum locum. Multorum dispersa bona in librum unum si colligantur, eximii quidam existet. Multi jam multas veteriorum editionum maculas eluere studuerunt & magnam ea re laudem consecuti sunt. Ex ipsorum igitur exemplo admonitiones nostras aliquas supra expressas esse, videbunt Ernditi. Sed perfectiora identidem exoptamus, & bona quidem cum venia literatorum, spero, exoptamus. Nihil igitur habet hoc institutum nostrum vitii. Quocirca id eadem excipi velim simplicitate, quæ nostro insedit animo, quum hæc scriberemus.

FRANCISCI FABRICII CHRISTOLOGIA
Noachica & Abrahamica.

Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmanns, 1727, 4.

Alph. 3 pl. 21.

Postquam Theologi hujus Academix Lugdunensis Clarissimi *Christologiam antediluvianam Supplem. T. VIII p. 330* recensuimus & laudavimus; haud ægre recensendam quoque suscipimus *Noachicam* ejus & *Abrahamicam Christologiam*, eodem cupide functuri munere, ubi prodierit, quam in Præfatione promittit, *Christologia Isaaci & Jacobi*. Constat id, quod in manibus habemus, Opus duodecim Dissertationibus, quarum *prima de sacrificio Noachi ex arca egressi* agit, locumque *Genes. VIII, 13-22* luculenter illustrat. Totus scilicet hic locus accurate & perspicue pertractatur, collatis aliorum cum priscorum, tum recentiorum Theologorum, imo & Judæorum, commentationibus. Speciatim contra Vossium Seniore & Episcopium pugnat, agi hoc loco de peccato originali. Arripit etiã occasionem docendi, mundum olim per ignem non annihilatum, sed purgatum & perfectum iri. Postremo loco ex eo concludit, Noachum sacrificando, respexisse Messiam, quod sine hæc relatione Deo non fuisset gratum illud sacrificium. Ac hic ipse est totius hujus operis finis, ut ostendatur, Christum in Ecclesia Patriarcharum fuisse unicum salutaris fidei objectum, atque adeo promissionum Patriarchis factarum implementum, unicum ac plenissi-

p. 1-53.

p. 53-90.

mum esse Christum. *Dissert. II.* illustrat *Genes. IX, 8-17.* Ceterum cum & hunc locum, & ceteros, qui sequuntur in hoc Opere, eodem, quo primum, modo pertractet Cl. Autor, nostrum erit, ea tantum excerpere e singulis Dissertationibus, quæ non pertinent ad sententias Theologorum omnium communes. In hac igitur Dissertatione §. XII contendit dux Philosophia, jam ante diluvium existisse iridem, dissentientiumque diluere studet objectiones. Iis etiam respondet, qui obijciunt, nullam hic injici mentionem Messia, quod tamen fieri oporteat in fœdere gratia. Putat scilicet §. XIX, ipsum Messiam hic verba facere, idque ex eo confirmari, quod in visionibus prophetis, *Ezech. I, 26, & Apoc. IV, 3 & XI, 2,* Messias repræsentetur ornatus *iride*; eamque manifestam esse censet relationem ad hoc Dei cum Noacho fœdus.

91-160.

Diss. III prophetiam Noachi, *Genes. IX, 25, 26, 27,* contempletur Max. Reverendus Autor. Primo loco hic occurrit questio, cur non Chamus, qui peccavit, sed filius ejus Canaan, subjiciatur maledictioni. Rejctis aliorum responsionibus, ipse §. VIII censet, maledictionem hanc utique ad Chamum ipsum spectare primario & præcipue, sed, cum Deus peccata parentum ultione prosequatur ad posteros extenta, ut ita augeatur parentum illorum pœna, hic nominatione Canaanis significari, maledictionis hujus violentiam maxime conspicuam fore in certa posterorum ejus parte, id est, in gente Cananza. Observari etiam vult, Mosem de industria hic commemorare maledictionem Canaanis, ut scilicet ita calcar adderet Israelitis ad invadendas propediem Cananzorum terras. Quid hoc loco נחש significet, cum mira sit interpretum dissensio, Noster §. XXXVII existimat, *dilatandi & alliciendi* notionem oportere conjungi; ut dicatur, Japhetum esse primum *dilatandum*, hoc est, a Semo localiter & consequenter etiam spiritualiter abiturum, postea vero rursus *alliciendum* in commune domicilium. *Diss. IV* ad *Abrahamicam Christologiam* delatus, quæ *Genes. XII, 1, 2, 3 & Hebr. XI, 8* memorantur de vocatione Abrahami & ejus obedientia fidei, studiosissime illustrat. Prima statim verba: הֵן הֵן, *vade tibi*, quæ olim cum Glassio exposuerat per pleonasmum nihil emphaticos

160-245.

seos habentem, nunc, nullam videlicet putans voculam in S. Scriptura abundare, hoc modo interpretatur: *Vade in tuum commodum.* Sequentia hæc verba: *Eso benedictio,* hunc in modum exponit: eris, Abrahamæ, quasi compendium quoddam omnigenarum benedictionum, simulque exemplar eris benedictionis, juxta quod eadem benedictio continget omnibus Abrahami vestigia fidei prementibus, imo eris causa benedictionis aliis, non quidem immediate per te, sed per magnam illud semen e lumbis tuis proditurum, hoc est, per Christum. Copiosius vero illustrat illa verba: *In te benedicentur omnes familie terræ,* eorumque gravem errorem coarguit, qui nihil hic vident præter terrenas benedictiones, ad nucleum horum verborum, hoc est, Christum, haud penetrantes. *Dissert. V* illustrat verba *Auto-* P. 246-278.
ris Epistolæ ad Hebræos, cap. XI, 9 & 10 scribentis, *Abrahamum per fidem habitasse in tabernaculis, atque expectasse civitatem fundamenta habentem.* Singula hujus loci verba diligenter pertractat, recordatusque, Grotium & Clericum per *civitatem illam fundamenta habentem* capere *Hierosolymam terrenam,* utrumque notat acriter & gravi apostrophe, atque erudite docet, *caelestem illam Hierosolymam* innui, magnoque versari in errore Socinianos, Abrahamo ac ceteris Patribus omnem vitæ alterius cognitionem atque expectationem denegantes. *Dissert. VI* insigni illi 278-350.
Genes. XV, 1-6, ingenii doctrinæque suæ faculam adhibet. Ac diutius quidem hæret circa illa Dei verba: *Ego clypeus sum tibi & merces magna,* quibus primo omnis malorum metus Abrahamo excutitur, deinde spes omnis boni ei confirmatur. Rursus hic contendit, spem vitæ æternæ his verbis augeri in animo viri sanctissimi, ac tenuius ista verba interpretatos castigat. Quando deinceps Abrahamus Eliezerem vocat *פֶּטְרָא בֵּיתֵי דִּי דִּימֵי דִּי אֱבְרָם,* hoc nomine ex sententia Nostri describitur *procurator & dispensator,* ceteris servis præpositus, & domus totius curans gerens. Longior est in explicatione horum verborum; *Deus hoc imputavit Abrahamo justitiam,* reprehensusque Clericus & Vitri ga, phrasin illam exponentibus de *bono Deoque placenti opere,* communem Theologorum sententiam propugnat accuratè

- P. 383-382. & laculenter. *Dissert. VII* disputat de nomine יהוה , quod Deo tribuitur *Genes. XVII, 1*, prolatisque variis de origine nominis יהוה sententiis, adjunctum יהו derivatum censet a יהו , *wasavit*, ad significandam Numinis omnipotentiam, fatens tamen cum Seb. Schmidio, non prorsus certo cognosci verum hujus nominis etymon. Hac occasione digreditur §. XVIII ad nomen יהוה , quod *Exodi VI, 3* dicitur fuisse priori tempore incognitum, ab eorumque stat partibus, qui nomen quidem illud ante fuisse notum & usitatum credunt, sed nunc demum rem hoc nomine significatam, hoc est, præstationem promissorum, exhiberi. Fuisse vero id notum, probat §. XXII ex dicto *Exo: Accipi virum Jehovam*; ex proverbio Mosis laudato: *Jehova providebit*; & ex locis aliis, atque Cl. Clericum; אֱלֹהֵינוּ hic statuentem, refellit. *Dissert. VIII* perlustrat fœdus Dei cum Abrahamo, *Genes. XVII, 1-4* recensitum, & hæc Dei verba: *Ambula coram facie mea, & esto simplex*, pluribus illustrat, inspersa salutarum interpretationum confutatione. *Dissert. IX* mutationem nominis Abrahami considerat ex *Genes. XVII, 5, 6*. Unde nomen *Abram* sit compositum, postquam disquisivit, sed non definit, æque obscuram esse docet compositionem nominis *Abraham*, producens interpretes in plures sententias discedentes. *Diss. X* ad *Genes. XVII, 7, 8*, pertractat promissum Dei de multiplicando Abrahami semine deque danda ei terra Canaanis. Hic cum Deus dicat, se Abrahami posteritati terram Canaanam dare *in possessionem æternam*, Noller Altingium, Coccejum, & Witsium sequens duces, §. XI *sqq.* statuit, Judæos olim ad Christum conversos recuperaturos esse atque inhabitaturos illam terram: & ad id confirmandum adhibet *Psalum CV, 6-11*, & *Jeremix caput XXX & XXXI*. *Diss. XI* fœdus circumcissionis longa commentatione prosequitur. Laudatis §. XI præcipuis de circumcissione scriptoribus, quos inter haud ultimum locum Seb. Schmidio tribuit, §. XII *sqq.* Marshamum, Spencerum, & Clericum refellit, originem circumcissionis referentes ad Ægyptios, ostendens, quam lubricis illi nitantur fundamentis: Hinc §. XXIII *sqq.* docet contrarium, & ex *Psalmo CV, 21, 22*, demonstrare studet, qua via

traductus fuerit ad Ægyptios ritus circumcissionis. *Diff. XII* est p. 516-656
 omnium longissima, & summo studio illustratam exhibet tenta-
 tionem Abrahami illam maximam, qua filium mactare jubeba-
 tur, *Genes. XXII, 1-10* descriptam, & *Hebr. XI, 17, 18, 19* admira-
 tionem omnium expositam. Ac majorem operæ suæ partem posuit
 Cl. Autor in illustrandis illis *Epistola ad Hebræos* verbis, quippe
 historię illius elegantissimam summam continentibus, & præ-
 terea circumstantias adjicientibus splendorem huic historię in-
 ferentes vere spirituales. Quo quidem anno ætatis Isaac id con-
 tingerit, expensis diversis sententiis, tandem §. XXI pronuntiat in-
 certum manere. Non fuisse quenkam ante Abrahamum, qui fi-
 lium suum immolaret Deo, contendit §. XXIII sqq. contra Mar-
 shamum, eoque magis admirandam esse fortitudinem Abrahami,
 rem proflus novam & inauditam executuri jussu Dei. Præter-
 ea ex eo potissimum §. XLIII sqq. probat magnitudinem fidei
 Abrahami, quod adscensurus cum filio in montem ad famulos
 dixit: *Revertemur ad vos*, hoc ipso prodens spem suam certissi-
 mam domum secum reducendi filium, §. LVII sqq. fuse dispu-
 tat contra Cl. Hombergium, in *Parergis sacris* hæc verba *Hebr.*
XI, 19: ἐν παραβολῇ, explicantem *de summo & presentissimo*
periculo, atcessentemque huc *Parabolanos* in Jure Romano at-
 que in Antiquitatibus ecclesiasticis memoratos: itemque §. LXIV
 sq. adversus Cl. Raphelium, verba illa reddentem *præter spem*
& opinionem. Statuit scilicet, retinendam esse notionem illius
 vocis in sacro codice usitatam, & Hebræis, ad quos data hæc epi-
 stola, cognitam. Subscribit proinde §. LXVII & sq. interpreta-
 tionem Erasmi, Bezzæ, Grotii, Cocceji, Cappelli, & Heinsii, locum
 illum ita exponentium: *Abrahamus* (en Erasmi paraphrasin!)
illud in animo perpendebat, Deum, qui promiserat, mentiri non
posse, & si libeat, vel a mortuis excitare posse filium, extin-
ctum generis propagatorem: & quia credidit resurrectionem
mortuorum, idcirco datum est illi, ut filium, quod in ipso erat,
extinctum, demum veluti vita redditum reduceret, jam tunc
imagine quadam adumbrantem futuram resurrectionem Jesu
Christi. Quamquam §. LXXXI p. 605 mavult indicari nomine πα-
ραβολῆς non quamvis filii receptionem ex mortuis per resusci-
 tatio-

tationem, sed talem receptionem, quæ repræsentaret id, quod olim futurum erat circa Messiam. Hinc §. LXXVII sqq. probat, consensuque Theologorum omnis ævi & omnis seclæ confirmat, Deum in hac imactatione filii Abrahamo imperata exstare voluisse illusterrimum futuri illius in cruce sacrificii typum, quod Dei filius subiit pro salute humani generis. Profert hic varias Theologorum de interpretatione hujus typi sententias; & ipse copiose tradit typicam suam hujus historię explicationem. Speciatim §. XCIV—CXVII longus est in hac questione, an & quomodo aries ab Abrahamo sacrificatus fuerit typus Christi, & tollendis, quæ hic obijciuntur, difficultatibus non medocriter insudat, atque ita finem imponit *Christologiæ Abrahamicæ*.

Pro appendice addit Cl. Autor epistolas suas ad Jac. Perizonium datas, hujusque responsorias, quibus examinatur testimonium Josephi de Jesu Christo & de Jacobo Justo, ac chronologicus nodus solvitur ex *Actor. XIII, 20*. Existimat scilicet Perizonius, testimonium Josephi de Christo non esse totum ab aliena manu, sed hæc duntaxat verba recidenda esse: *Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῆν, τῶν βεβῶν περὸν τῶν ταῦτα τὸ καὶ ἄλλα μὲν καὶ περὶ αὐτῶν θαυμασίως προσηρηκότων*. Cetera a Josepho profecta esse credit, qui Jesum habuerit non quidem pro Messia, sed tamen pro insigni Propheta, quiq; ideam senserit de Joanne Baptista. Quæ vero Josephus tradit de Jacobo & ejus cade, male a Clerico haberi pro suppositiis, statuit, ejusque rationes labefactat singulas. Tum de Jacobo eodem errores aliquot aliorum refellit breviter. Ad locum *Actor. XIII, 20* quod attinet, contendit, numerum 450 annorum recte a Paulo includi intra terminos distributionis terræ Cananæ & prophetiam Samuelis, seu intra Judicium tempora, atque id ex historia sacra demonstrat subductis rite rationibus. Unum sibi obijci posse non diffitetur, nempe quod *Regum VI, 1* legantur 480 anni intercessisse inter exitum ex Ægypto & quartum Salomonis annum. Plures enim fuerint necesse est, si solis Judicibus tribuendi sunt 450 anni. Hic igitur arte critica opus esse credit, nec aliud ait se nosse remedium. *Ego itaque, inquit, putem exidisse istis unicam tantum notam centenarii,*

ut ita illi spatia tribuantur non 480, sed 580 anni. Tunc enim pulcherrime omnia & ulro concurrunt in summam utriusque loci concordiam. Addit, *crifin*, hoc est, emendationem criticam, in numerorum notis admitti aliquando necessarium prorsus esse, si expeditam habere velimus Chronologiam sacram. Nec est ei dubium, quin 7 Sam. XIII, 1. exciderit litera numerum annorum notans, cum regnare inciperet, & annorum, quot regnaverit præter duos.

HERMANNI von der Hardt COMMENTARII
lingue Hebraicæ ex Græcia Apologia secunda & tertia,
decem Dissertationibus, contra tres
adversarios.

Helmsladii, literis P. D. Schnorrii, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 9.

EDiderat Cl. *Hardtius*, veteranus Academiæ Juliz Philologus, A. 1726 primam Apologiam contra Cl. Michaelis, Friedericianæ Academiæ Professore, duodecim constantem Dissertationibus, quæ recensentur in *Annaliis Acad. Juliz Semestri XIII p. 110 sqq.* Nunc in decem Dissertationibus secundam sicut atque tertiam Apologiam, eidem Philologo oppositam, duobusque aliis anonymis. Ex his singulares & novitate conspicuas Cl. Autoris sententias recitabimus, iudicium & examen permittentes aliis. *Prima* igitur Dissertatione p. 5 statuit, Virgilii *Æneidem* stylo symbolico historiam Imp. Augusti ordine & distincte representare. Hinc p. 7 sqq. interpretatur Plutarchum, in libro *de Iside & Osiride* narrantem, in urbe Ægypti Sai fuisse sanum Minervæ, cui hæc verba inscripta: *Ego sum omne, quod fuit, est, & erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Minervam illam habet pro symbolo reip. Atheniensis, ex qua colonia deducta fuerit in Ægyptum ad Saitas. Inscriptioni hunc tribuit sensum: *Ego sum omne, quod fuit*, hoc est, Atheniensis fesp. tot seculis fuit in perenni flore, nec quicquam perdidit, quod habuit armis & virtute partum. *Sum, quod est*, hoc est, status hujus reip. præsens est floridus ac potens. *Sum, quod erit*, hoc

hoc est, resp. hæc longis seculis in pari flore perseverabit. *Meum pepulum nemo mortalium adhuc detexit*, hoc est, forma reip. Atheniensis in illud usque tempus non est mutata, sed servat statum suum illibatum, nullius gentis potentioris jugum aut imperium experta.

Diff. II contendit, in hoc Cantico Paschali Judæorum: *Unum badulum emit pater duobus solidis, & venit catus, & comedit badulum: & venit canis, & momordit catum: & venit baculus, & percussit canem: & venit ignis, & combussit baculum: & venit aqua, & exstinxit ignem: & venit bos, & ebibit aquam: & venit lanius, & mactavit bovem: & venit angelus mortis, & mactavit lanium: & venit Deus, & mactavit angelum mortis;* (quod quidem canticum Theologus quidam Helmstadiensis A. 1725 in Progr. *de risu Paschali* analem narrationem vocaverat, ad risum Paschalem excitandum compositam,) ænigmatice contineri historiam universalem Judæorum. Scilicet *badus* ipsi est Israel per Mosen liberatus a servitute Ægyptiaca: *catus* est Rex Assyrius, Israel emvertens: *canis* est Rex Babylonius, subjugans Assyrios: *baculus* est Cyrus opprimens Babylonem: *ignis* est Alexander M. tollens imperium Persicum: *aqua* est Romanus populus Græcum exstinguens imperium: *bos* est Saracenicum imperium, submovens Romanum in Palæstina: *lanius* est populus Christianus per Godofredum Bullionem expellens e Palæstina Saracenos: *angelus mortis* est Turca delens imperium Christianorum in Palæstinam: *Deus* denique est Messias, Turcam extirpaturus ex Palæstina, & Judæis avitum Palæstinæ regnum redditurus.

Diff. III Cl. Autor explicat *Dan. II* descriptam statuum Nebucadnezari per somnum oblatam, caput habentem aureum, pectus argenteum; ventrem æneum, pedes partim ferreos, partim luteos: & quidem aliter nunc explicat, quam A. 1708 fecerat singulari Dissertatione. Unde ait, se optionem relinquere lectoribus. Scilicet ianui nunc censet non, ut olim, successionem quatuor regum immediatam, sed quatuor regna sibi succedentia: per *caput aureum* intelligens imperium Babylonicum inde a Nebucadnezare usque ad Belsazarem; per *pectus argenteum* impe-

rium

rium Cyri; per ventrem aeneum Alexandri M. imperium; per pedes regnum Syriae & Aegypti; per saxum de monte proruens Maccabæos.

Diff. IV ostendere conatur, nummos & pondera Hebræorum esse originis Græcæ. Ac feliciter sibi deducere videtur וו a ζυγός, statera, כמים pretium a τιμαί, קשיטה & פשיטה a πτύξ, אגורה a κέρμα, גרה a γράμμα, בקע ab ἐφόλιον, שקל a πλάσιγγ, מנה a μνά, כפר a δραχμή. Simul adducit multa Scripturæ S. loca, ubi hæc vocabula occurrunt. *Diff. V* nummos Judæorum proponit Italica gerentes nomina, כטרון πέταλον, מנהטא mēneta, מטבע טύπωμα, אסימא ἀσημον, מען νόμισμα, nummus, קולכון collybus, פולסא follis, אונקיא uncia, שמונה sesquiuincia, קורנטס quadrans, מסמית semissis, אסר assis, אסריוס assarius, דניר denarius, אססירא stater, קנטינר centenarius, ein Centner. *Diff. VI* dolium, mensuram Hebræorum magnam, deducit e Græcia, חומר, mensuræ nomen maximæ, derivans a κέρμα, & plurima sacri codicis loca, quibus mentio fit hujus mensuræ, producit, ceteraque simul illius vocabuli notiones exhibens & illustrans. *Diff. VII* de איה, magna Hebræorum mensura cum liquidarum rerum, tum aridarum, agit, & hoc nomen deducit ab ἀμφορεύς, amphora. Hic rursus loca Scripturæ exhibet, quibus hæc mensura commemoratur, & LXX Interpretes irridet, qui illam vocem sæpius reddiderunt εὐφί, docetque, Alexandrinos illos interpretes uti mensurarum, sic & ceterarum rerum Judaicarum fuisse imperitos. Hinc, nomen mensuræ כר ex Græco κάρδος ortum esse, non dubitat: κάρδος vero, derivat a δέχομαι. Nimirum a δέχομαι factum esse iudicat δόχος, ex δόχω tandem evasisse κάρδος. Progressus ad חנס, quod a χοεὺς, congius, deducit, doctè docet, quomodo Alexandrini interpretes ex Hebraica illa voce fecerint εὐφί. Tum ושרו ע deducit a δεκάτημόριον, h. e. decima pars am-

phora, notatque Josephum, ex Hebraico illo formantem novum barbarum nomen ἀσσαρών. Hinc רָמָל, quod LXX reddiderunt γόμος, derivat a Græco δράγμα, *manipulus*, & multa Scripturæ loca, ubi vox hæc occurrit, profert & illustrat. Accedit deinde ad שֶׁטֶל, idque statuit esse Græcum ἑξτερός, *sextarius*. 'Ἐξτερός, inquit, in Orientem migravit, ibique sonum induit שֶׁטֶל. Ceterum cum Hebræum hoc nomen semel duntaxat in sacro codice reperiatur, 2 Regum VI, 28, ubi Alexandrinus interpret, itemque Latinus, narrat, *caput asini venditum fuisse octoginta argenteis, & quatuor cabos stercoreis columbini quinque argenteis*; Cl. nosse Harduinus ita eum locum reddit: *Magna erat fames in Samaria obsessa per Arameos, ut esset optimus panis octoginta argenteorum, hoc est, decem Imperialium, & quarta pars sextarii leguminum quinque argenteorum, hoc est, quinque Misnicorum grossorum.* Docet enim, שֶׁטֶל non solum significare *caput*, sed etiam *optimum & præstantissimum*; רָמָל item hic loci non *asinum* esse, sed *panem rotundum*, uti i Sam. XVI, 29, ubi per רָמָל חֶמֶן intelligi ait *orbem panis*. Jam venit ad nomen mensuræ שֶׁטֶל, quod & ipsum semel occurrit, nempe Hosea III, 2, idque esse censet Græcorum κούριον. Deinceps deducit a πιδόλιον, *doliolum*, פֶּן a πιδόλη, *urceus*. Græcorum πιδόλην, inquit p. 74, *brevi pronunciatione, more Orientis, concise ab Hebræis dicta fuit פֶּן*. Denique שֶׁטֶל derivat a Græco ἀρκεύς, *urceolus*.

Diss. VIII, post acriorem censorum suorum censuram duo Capita exhibet, quorum priore rursus expendit Nebucadnezaris somnium Dan. II descriptum, & novam exhibet hujus narrationis versionem Græcam & Hebræo textui consonam. Interjicit huic suæ versionis interpretationem uberiolem, e qua potiora excerpemus. Statuit scilicet, Regem non petiisse a Magis suis narrationem sui somnii, quippe quod ipsi non exciderit, sed ex suo somnio collegisse, impendere regno suo ruina, atque ob eam cau-

causam postulasse a magis, ut interpretarentur hoc somnium dilucide. Cum igitur hi ajunt ad Regem: *Dic somnium servis tuis*, non volunt, si Cl. *Hardtio* credimus, cognoscere ipsum somnium, quippe jam enarratum sibi ab Rege, sed tantum cognoscere cupiunt Regis judicium de somnio suo & augurium triste. Regem enim suspicatum esse putat, conspirasse quosdam in exitium suum, adeoque voluisse hanc conjurationem sibi detegi a magis, quos & ipsos suspectos habuerit inita contra se sceleratae societatis. Ceterum p. 41 putat, hujus narrationis autorem non esse ipsum Danielum, sed alium quempiam. *Neque enim, inquit, Daniel ipse in sui honorem tam amplas contexerit laudes, sui encomiaster, in his & sequentibus. Neque illius, qua vixit Daniel, etatis est hic noster de somnio Nebucadnezaris libellus, sed posterioris, quando elogium Danielis tuto & cum dignitate scribi poterant.*

Posteriori hujus Dissertationis Capite interpretatur *Zachariae* Prophetae *Caput quintum*, contenditque, totum hoc Caput non habere Zachariam autorem, sed alium quendam volumini *Zachariae* id inseruisse. Quod si requiris verum hujus narrationis alieno libro insertae autorem, credi jubet Cl. *Hardtius*, fuisse *Jaddum*, summum Pontificem, ab eoque hoc Caput scriptum esse anno circiter quarto *Darii* *Codomanni*, cum *Sanballatus* concedente *Alexandro* *M. novum* *Sichemiticum* templum condidisset in gratiam generi sui, *Manassis*. En *Hardtiana* totius hujus Capitis paraphrasin! V. 1: *Ego Jaddus circumferebam oculos meos, & intuebar in symbolo & idea volumen apertum, hoc est, diploma publicum, quo facultas ab Alexandro M. data Sanballato, Samaritidis praefecto, adificandi templum Hierosolymitano simile pro genero suo Manasse.* V. 2: *Tunc dixit ad me (Jaddum) nuntius ille: Qua forma vides illud diploma? Respondi: Ego video diploma maximum & amplissimum, viginti cubitos longum, & decem cubitos latum.* V. 3: *Porro dixit ad me nuntius ille: Haec est maledicta res Sichemitica, & ex novo illo templo Sichemitico emergentia magna mala. Certe hic omnes, qui contra legem Judaicam duxerunt ethnicae seminae mundi & nullius peccati rei habentur, nec perjuriis accusantur*

in legem Mosaicam commissi. V. 4: Deduxit illam imprecationem, inquit Deus, in domum Manassis, hominis ob illegitimum cum Nicaso, Sanballati filia, matrimonium profani & contaminati, atque etiam perjuri: & permansit execratio illa in familia Manassis, & totam eam consumet & funditus evertet. V. 5: Tunc prodit nuntius, qui mecum loquebatur sub idea Zachariae, & dixit mihi: Tolle porro oculos tuos, & circumspece, quid illud sit, quod prodit. V. 6: Tunc dixi: Quid hoc sibi vult, quod conspicitur pro symbolo? Tunc dixit ille: Hoc est lectica sive sella gestatoria, cui insidet semina nobilis. Sanballati filia, Nicaso, Manassis uxor. Porro dixit nuntius ille: In hanc lecticam & feminam in illa sedentem oculi omnium conuersi sunt, & in eam respiciunt universi incolae Samaritidis. V. 7: Et ecce, linea mensuratoria, pro edificio struendo, appenso rotundo plumbo pro perpendiculari, visa est elevari. Et hac semina una, sedens in illa lectica. V. 8: Porro dixit nuntius ille: Hoc connubium cum hac semina est fons damni in totam regionem redundantis & omnis corruptionis & transgressionis. Quare ira plenus coniecit illam perverstatem in lecticam, & structuram istam Schematicam ire iussit in malam rem. V. 9: Deinde sustuli oculos meos, & vidi. Et ecce, duae feminae prodibant, hoc est, Sanballatus, feminae in lectica sedentis pater, & Manasser, illius feminae maritus, qui ex contemptu non viri vocantur, sed feminae. Et ventus erat in alis, hoc est, in vestibus, duorum illorum virorum effeminatorum, qui arrogantia turgebant & inflati erant: & duo isti viri sustulerunt illam lecticam, in qua Nicaso sedebat, confidentes, connubium illud, structura novi templi firmatum, securam esse felicitatem & gloriam perpetuam. V. 10: Deinde dixi ad nuntium illum, qui loquebatur mecum: Quorsum duae illae feminae, Sanballatus & Manasser, ducere constituerunt lecticam illam cum semina in ea sedente? Quis finis est & scopus illius cum Nicaso connubii? V. 11: Tunc dixit ad me: Ut feminae in lectica sedenti extruatur domus, hoc est, templum Schematicum, & quidem in terra Sinear, per quam symbolice innuitur mons Gerisim in Samaritide. Deinde aedificabatur illa domus, & collocabatur ibi in sede sua & super basin suam.

Diff. IX duo Capita habet. Et primo quidem Cl. Autor historiam candelabri aurei, *Exodi XXV, 31 sqq.* descriptam, Græca luce perfundit, docens e. g. nomen *candelabri* Hebraicum $\eta\eta\eta\eta$ esse ortum e Græco $\sigma\pi\upsilon\sigma\eta\epsilon$, *scintilla*, quoniam scilicet candelabrum scintillat lumine; & $\eta\eta$ esse Græcum $\sigma\upsilon\epsilon\rho\gamma\zeta$, *tibia*, *scapus*. *Secundo* Capite contendit, *Caput XX Esaiæ* non habere hunc Prophetam autorem, sed ab alio quopiam conscriptum id esse in fœdus Hiskiaë cum Sethone Ægypti Rege initum contra Sanheribum, armis in Judæa grassantem. Exhibet etiam paraphrasin hujus Capitis, quam apponere hic nos vetat magnitudo recensiois. Addit, etiam *Capita 36, 37, 38 & 39*, non autorem habere Esaiam, sed ea ex corpore historico Regum fuisse deprompta, & in hoc Esaiæ corpus translata. *Diff. X Cap. I* exhibet Cl. Autor Græcam suam versionem *Capitis tertii Danielis*, cujus tamen verum autorem Danielem esse negat, ea occasione probaturus linguæ Chaldaicæ e Græca originem. *Cap. II* docet, superiorém illam de furno Babylonico historiam esse typum historiarum Maccabæorum, Nebucadnezarem fuisse typum Antiochi Epiphaniis, Sadrach, Mesach & Abednego fuisse typum Maccabæorum, Judæ, Jonathani, & Simonis, trium filiorum Mathiaë.

Hactenus totum hoc opus recensuimus, & quidem nusquam profitentes nostrum dissensum, ne scilicet Autori doctissimo præberemus occasionem, vehementiore censura vexandi recensioem nostram, quippe qui ne ferre quidem potuit mitissimam suæ *Historiæ Cyri* recensioem, *A. 1727 p. 93 sq.* in his Actis exhibitam. Illud ultimo loco adjicimus, promitti a Cl. Autore in Præfatione *Apologiam quartam*: quam tamen editum iri non speramus, e contrario avide expectantes *Historiam Concilii Basileensis*, quam nuper Serenissimi Academiarum Juliarum Augusti eum concinnare jussereunt data a privatis pariter & publicis lectionibus vacatione.

CATALECTA RABBINICA, IN USUM
scholarum privatarum edita a DAVIDE
MILLIO.

Trajecti ad Rhen. apud Joh. Brodelet, 1728, 8.

Alph. 2 pl. 17.

Cujus in his Actis vice haud simplici, cum laude, fecimus mentionem (e. gr. 1725 p. 103 sqq. 1726 p. 433 sqq.) Cl. *Millii* juventuti Académicæ, Rabbiniſimum amanti, his quidem Catechæſis præcipue prodeſſe voluit; doctis tamen etiam in hoc ſacrario Viris non uno profuit modo. Qui primum occupat locum, *Danzii Rabbiniſmus*, noſtris non ignotus, hac ratione & exteris magis, merito ſuo, innotescit. Magis vero eruditus ſerviet, quæ huic excipit, ipſius *Millii formularum diſputandi Talmudicarum explicatio*. Hæc multo labore doctaque ſollicitudine cõfecta, ordine Alphabeticò, formulas diſputandi veterum Rabbiorum, quibus in Talmude Babylonico, (optaremus, & ſimul Hieroſolymitanum fuiſſe conſultum) nec non *רש"ר*, Rabboth, Jalcut &c. ſunt uſi, diligentiffime conquiſitis exemplis recenſet & expoſit. Ex his qui ſpecimen deſiderat, legat, quæ de controverſia Schammaeorum & Hillelianorum, an prius cœlum quam terra ſit creatum, de diverſo vocis *ש"ר* ſignificatu, *Exod. XII, 18*, & *Lev. XXIII, 40*, de pœna plagiaræ, &c. habet, quæ uberim probant, ſub his formulis haud pauca exhiberi, quæ lectorem ſimul docere & delectare poſſunt. *Philippi Aquinatis* libellus, *de tredécim modis exponendi Pentateuchum*, ob aliquam ſimilitudinem, ſequitur. Excipit huic *Spicilegium Anonymorum & Pſeudonymorum librorum Rabbincorum, Gabrieli Groddecki*, Prof. Phil. Gedanenſis, qui hic in libelli titulo Gymnaſii Patris Reſtor falſo dicitur, cum eam provinciam jam pridem ſuſtineret Cl. Schelguigius. Libellus notis Edzardianis, Normanianis aliisque locupletatus comparet, nominaque librorum ordine Alphabeticò exhibet, cum additis doctis obſervationibus, e. g. de Pſeudo-Eldado, de errore Bartolocci, quando *רש"ר* *ש"ר* Brand-Spiegel legit Barnatt-Spiegel, de ejuſdem opinione, quod duplex fuerit R. Juda ſanctus, & aliis pluribus. Aggaren tandem claudunt excerpta Rabbiniæ; videlicet ex *R. S. B. Melech* quædam in *Genefi*, *Kimchio* in *Jef. VI*, *Abarhanê* in *2 Sam. XXII* & *1 Reg. VIII*, *R. A. Efra* in *Exod. XXI*, *vi* & *Maje-ronidis Hilç*, *Edoth*, cum *Kefel Miſchne*, ac *Maffech*, *Sebhachim*

p. 255.

261.

277.

p. 33.

26.

chim & Schabbath cum *מגילת וי* tandemque c. r. Mass. Sebhachim cum Gemara. Sed nec intactam relinquere volumus Cel. *Milli* præfationem, toti libro præmissam. Hic contra eos, qui superficialia quadam eruditione contenti, Rabbinicos libros lectione indignos judicant, Talmudistarum morem sub fabulis sublimiorem sapientiam recondendi defendit, & de singulis, quos hocce fasciculo exhibet, libellis quædam præfatur, & hoc agendo, Aquinatis septem priores modos exponendi S. Scripturam exemplis Talmudicis egregiis illustrat.

DE RE MEDICA DISSERTATIONES
quatuor THOMÆ SIMSONI, Medicinæ & Anat. in
Academ. Scotorum ad Fanum Andree, Professoris
Candossensis.

Edinburgi, ex ædibus Th. Ruddimanni, 1726, 8.

Plag. 13.

Nihil demandato sibi muneri convenientius esse censuit Autor, quam si in eam potissimum Medicinæ partem studium impenderet suum, quæ præ ceteris manca, minusque ad certas artis regulas adhuc composita deprehenderetur. Quod de materia medica potissimum valere arbitratus, quatuor hæc Dissertationibus suam de eadem ulterius perficienda exposuit sententiam. Prima igitur Dissertatione varias, quibus tum veteres, tum recentiores Medici vires remediorum explorare jubent, vias ad examen revocare, atque multiplices, in quos inciderint, errores detegere & æcerbius paulo perstringere placuit. Si primam hujus disciplinæ originem curatius intuetur, nihil inde præter fabulas, quarum Ægyptus maxime ferax fuerit, ad nos pervenisse, neque ante Hippocratis tempora aliquid lectu notatuque dignum reperiri queritur. Illum vero experimentorum difficultatem probe quidem agnovisse, & qua demum ratione instituenda sint, alios monuisse, ipsum tamen sæpius in hoc lapsum, ut morbi ingenio perspecto, pauca admodum præcipiat remedia, contra eodem incerto minusque determinato ingentem remediorum farraginem minus provide obtrudat, id quod variis asserere laborat exemplis.

Gale.

Galenum in hoc multo gravius peccasse censet, unde Medicinæ corruptorem appellare, atque Verulamii in philosophos Græcos dictum de eodem repetere non dubitat: habent illi, quod puerorum proprium est, ut ad garrendum prompti; ad generandum vero sint inhabiles. Neque Arabes melius huic disciplinæ consuluisse censet, quin novas potius ex arte sua Chémica, quæ tum iratis diis salutaribus haberi cœperit unicam aut certe præcipuam habentis Medicinæ fulcrum, addidisse corruptelas. Neque vero recentiorum, quibus vires medicaminum explorare studuerunt, approbat consilia. Sensus enim externos & inter eos præcipue gustum & tactum in subsidium vocatos, rariùs hic admittendos censet, cum nullus sensus inter nostros & morborum causas nexus intercedat, multæque occurrant plantæ, quæ, saporem si excipias, vix quicquam habeant commune, plurima quoque pharmaca maximam in corpus humanum vim habentia, quæ inter mercurium cum antimonio nominasse sufficiat, parum aut plane non linguam naresve afficiant. Eadem censura dignos iudicat, qui vires remediorum easdem cum syrupo violarum vel tartari sale, vel acidis miscendo spiritibus indagare satagunt, sic enim unam tantum alteramque corporum erui qualitatem, reliquis in obscuro latentibus; quod merito reprehendendum putat; neque potest (ait) quenquam credo artificem vel linguam, vel syrupum violarum, vel thermometron tanquam oracula ad artis suæ subsidia conquirenda, consuluisse, præter delirantem Medicum, qui rerum adeo insinuarum nixus testimonio medicamenta audeat ingerere humano corpori, in quo agunt regnantque tot diversa solida & fluida. Quod cum alii adverterint, rectius se facturos putarunt, si ex remediorum cum sanguine ipso mixture eorum effecta colligerent. Neque tamen hi Cl. Auctori satisfaciunt, vix enim eadem ratione succedere putat, si ve medicamentum circumueunti adhuc sanguini injicias per venam sectam, sive per primas vias ad venas transmittas, ubi per longum illud iter tot diversi commisceantur succi, unde natura virtusque concreti minuatur, mutetur. Multo vero gravius errare, qui easdem experimenta cum sanguine ex vasis educto instituant, utpote cuius temperies, cessante motu intrinseco protinus immutetur, & in diversa, ex quibus componebatur veluti, elementa à toto penitus diver-

diversa secedat. Cum vero insuper humores nostri in omnibus ferme morbis plurimum differant ab iisdem in statu sano constitutis, vel inde potissimum dubium reddi experimentum, quod mutata liquoris indole, alius quoque medicamenti applicati effectus expectandus sit. Cumque sic ostenderit, parum admodum certi in simplicium remediorum viribus determinandis attulisse Medicos, multo magis illos ridet, qui sarraginem rerum in unum veluti corpus confarcinare & prolixas præscribere formulæ solent. Neque enim ad dijudicandum illarum valorem sufficere, si vel omnium, ex quibus componuntur, indolem probe habeas perspectam: cum nova sæpe ex illorum commistione, & diversa in se invicem actione emergat virtus, multoque facilius sit naturæ, quam artis opera ad examen revocare, quoniam quæ à naturâ eduntur, plerumque sunt similia atque unius modi, dum artis opera plus soluti, vagi incertique habent, pluribusque exponuntur fortunæ casibus, utpote conflata ex materia dispari & diversa, quæ quidem intrinsecus plurimum mutari potest, dum se foris eandem præbet sensibus. Altera dissertatione ostensurus, accuratam remediorum notitiam nonnisi ex probe intellecta morbi historia proficisci, ex ea vero sua sponte sequi certa curationis indicia, quorum ope ducamur ad remedia morbo profligando apta, potissimum considerare jubet, qui fuerit priscorum hominum ante inventam Medicinam status, qualeinve curandi viam illa conditio suggerere potuerit, scilicet cum illo tempore morborum non minus historiarum, quam remedia ignorata fuerint, ante omnia observatum esse, quid quovis in morbo paterentur ægri, neque minus attentorem paulo observatorem latere potuisse ægros sanorum vitam neque appetere, neque ferre commode posse, hinc primo notasse Medicos, quæ plerumque melius respondeant, deinde ægrorantibus eadem præcipere coepisse. Hanc præterea morborum notitiam aliud insignè ad indaganda prudenter remedia adiumentum præbere: Nimirum si subita fiat morbi remissio ex insigni aliquo spontaneoque naturæ eventu. His enim subsidiis instructo demum licere ad inventionem remediorum accedere, talium, quæ vi quadam conspicua polleant in corporis ipsius actionibus sive expediendis, sive impediendis; quorum in-

opra vix laboraturum esse Medicum sperat, eum ad ea detegenda, ut semel duntaxat assumantur, sufficiat. Cui quidem casui locum abunde præbeat hominum partim necessitas, partim appetentia præcax. Sicque detectis, quas corpori inducant, mutationibus facile ex curantis consilio diversis morbi temporibus adaptari posse. Ut vero tanto magis inane illorum, qui solis duntaxat specificis pectoralibus, hepaticis, uterinis &c. inhiant, studium ob oculos poneret, rarius in humoribus, in quorum emendatione tantopere defudant, latere, sed in solidis potius partibus vitium quaerendum esse, tertia & quarta dissertatione uberius deducit. Namque binos solum fingi posse casus peculiare, in quibus humores absque solidarum partium concursu possint corrumpi, si scilicet vitium vel ab aliqua partium, quibus ipse liquor constat, pravitate, vel ab aliqua malignitate extrinsecus adveniente dependeat. Priori casu ejusmodi emendationem locum vix invenire, cum omnes omnino humores eodem nutriantur pabulo, neque a se invicem sint discrepantes, nisi diversa tubulorum secermentium structura. In altero casu multo adhuc difficiliorem fore putat vitiosi liquoris cujusdam emendationem. Etsi enim consistet acido aut alcalico, vel sulphureo quodam miasmate extrinsecus illabente malignitatem humoribus esse communicatam. Deinde cognitum sit antidotum, quo vitium id exterminetur, quodve, ut ipsum cetera non mutat sic ab alio nullo mutetur, nisi solo humore vitioso, datis tamen & concessis sic omnibus dubium adhuc superesse, an non ex pugna liquorum inter vitiosum & antidotum tertium quoddam æque corpori noxium emergere possit. Hinc aliam ingressus viam omnes morbos a solidarum partium labe quadam deducendos, nullam vero existere solidarum partium corruptionem, quæ non una secum trahat liquorum circumactorum in deterius mutationem; liquidorum demum vitia, restitutis primum solidis, protinus emendari fundamenti loco ponit. Atque speciminis loco illum examini subjicit morbum, quo nullus omnium sui soli cœlique homines frequentius graviusque angat, cui a causa efficiente adhæsit nomen frigoris, ubi neque Sanctorii admittit observationem, qui a cohibita vi frigoris occulta perspiratione phenomena deducit, multo minus Keslio assentitur, qui ex frigore per poros intro-

iatromisti auram aliquam malignam, qua corporis liquores coagulentur, statuit. Scilicet cum in confesso sit, eam inter varia corporis vascula symmetriam intercedere, ut singuli rami ita suis respondeant truncis, ut nulli eorum possint diminui sine manifesto sociorum detrimento, vasa vero superficiem cutis lambentia a frigore stringantur contrahanturque, ibique plus solito affluentem resistatur sanguini, necessario internos liberosque ramos majori impetu concuti fortiusque urgeri omnem liquidorum vim vasa versus secerantia, unde catarrhi, frequentes frigoris effectus, dependeant. Quod ut uberius declaret, ad Loweri experimentum provocat, qui venas jugulares artius in cane ligaverat, unde post aliquot horas partes omnes supra ligaturam intumuerunt, lacrymaz copioz fluxerint, plurimaque saliva ex ore promanaverit, non aliter, quam si Mercurio assumpto fluxus ille conciliaretur. Quo experimento evinci putat, secretiones, si sanguis consuetum itinere per vasa prohibetur, plurimum augeri in glandulis immunibus. His positis fundamentis phaenomena quibusvis catarrhis ac rheumatismis familiaria inde deducit, quibus tamen uberius recensendis jam non immoramur, sed ad ipsum autorem cupidos lectores ablegamus. In eodem argumento quarta dissertatione strenue pergit, atque plures ventriculi imprimis primarumque viarum morbos ut plurimum a pravissimis humoribus ibidem stagnantibus derivatos ex retardato alibi sanguinis circulo ejusque majori versus has partes nisu & hinc orta majori earum distensione pendere ostendit. Imprimis obscuros cetera & miris symptomatibus incedentes morbos, malum hypochondriacum, hystericae ve passionem & sic dictam veteribus melancholiam flatulentam ab atra bile in liehe hepateque secreta deductam ex hac praeternaturali partium solidarum intentione multo commodius deduci, exemplis lectu non indignis evincit. Plurimum autem hisce malis obnoxios esse eos, in quibus fibrae, mucos ceteroquin secundum naturam oblinita, eodem destituantur, utpote ejus absentia tantum inferre valeat dolorem, quantum vix a stimulo acerrimo expectaveris, unde contingat, ut debiles, in quibus semper pauca ejus mucos quantitas deprehenditur, saepius eardem afficiantur dolore. Quibus argumentis inductus, Medicis autor est, ne solum in-

centi, uti plerumque fit, humorum degenerum correctioni, omiffa vaforum labefactorum cura, oleum operamque aliud agendo ludant.

G. L. S. GRAVESANDE MATHÉSEOS UNIVERSALIS Elementa, quibus accedunt specimen commentarii in Arithmetica universalem Newtoni, ut & de determinanda forma seriei infinitæ adsumta regula nova.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1727, 8.

Plag. 16 Tab. æn. 4.

Algebra hæc elementa Cl. Autor privatis institutionibus destinavit, atque ideo, quantum potuit, breviter dixit, quæ dicenda erant, & in facilioribus subsistit: neque enim ultra problemata progreditur, quæ ultra duas dimensiones ascendant & rationes regularum ita reddit, ut tyro ulteriorem explicationem ab eo expectet. Scopum sibi imprimis fuisse ait, illustrare naturam problematum, quod plerumque negligent Algebrae scriptores; quos etiam non semper satis ex regulis generalioribus operationum rationes deducere monet. Non igitur probans illorum institutum, qui longum iter per præcepta, brevius per exempla rati, paucissimis regulis præsuppositis artem per exempla exercent, ipso usu tyronibus regulas superiores insinuantes; præmisso algorithmo specioso cum in integris, tum fractis, una cum doctrina de proportionibus & progressionibus arithmetica & geometrica calculo litterali succinate illustrata; regulas circa æquationum reductiones observandas uberius prosequitur, una cum aliis nonnullis, quæ viam sternere possunt problema ad æquationem reducere. Addit deinde problemata quædam arithmetica, quibus præcepta illustrentur; & quædam circa constructiones geometricas problematum tenenda sint, itidem & regulis, & exemplis docet selectis.

Quod attinet tractatum, qui specimen commentarii in Arithmetica universalem Newtoni exhibet, de qua in Actis A. 1728 p. 519 diximus, Noster existimat, fore, ut usus ejus latius pateat, si multa concinne & pulcherrime quidem dicta ad captum tyronum magis essent aptata. Scripta talia, quæ paucis verbis magnam materiam complectuntur, Mathematicis quidem magis grata esse; sed

non

non omnibus, qui animum hisce scientiis applicant, utilia. Defectum huncce corrigi, si scripta talia commentario illustrentur, qui a Mathematicis negligi possit, exemplo Geometriæ *Cartesii* probat. Optat igitur, ut inter tot magni nominis Mathematicos, qui hoc tempore vigent, aliquis opus hoc in se suscipiat. Eorum igitur attentionem excitaturus circa necessitatem illiusmodi commentarii, specimen ipse dedit, in quo duo loca illustrat, alterum de divisorum inventionem; alterum de regula extrahendi altiores radices ex quantitibus numericis duarum potentia commensurabilium partium.

In tractatulo altero methodum illustrat determinandi valorem ipsius y ex nota quantitate x in data æquatione ope æquationis assumptiæ $y = Ax^n + Bx^{n+r} + Cx^{n+2r} + Dx^{n+3r}$ &c. ubi desiderat, vulgò non doceri, quinam esse debeant valores exponentium n & r , cum tamen in his detegendis omnis hæreat difficultas. Varia de iis observasse *Carolus Reynæau* in *Analyfi* demonstrata, quam in *Actis A.* 1769 p. 275 recensuimus; sed mirime explicasse, qua regula numeri ipsi determinari queant. *Newtonum* demonstrasse determinationem numeri n ; de investigatione numeri r egisse *Tailorum* in tractatu de methodo incrementorum, quem in *Actis A.* 1716 p. 292 representavimus: sed observasse jam *Jacobum Stirling* in tractatu de Lineis tertii ordinis *Newtonianis*, qui A. 1717 in 8 Oxoniæ prodiit, sed tunc temporis ad manus nostras non pervenit, ut eum in his *Actis* commendare datum nobis fuisset, regulam *Tailorianam* in quibusdam occasionibus fallere. *Stirlingium*, qui inventa *Newtoni* de lineis tertii ordinis seu de curvis secundi generis a Viro summo in *Tractatu de Enumeratione linearum tertii ordinis* absque demonstratione proposita demonstravit, & solutionem trium problematum, nempe 1) de linea celerissimi descensus in quacunque gravitatis hypothesi, 2) de methodo disponendi quotcunque sphaeras in fornicem & inde demonstrata proprietate præcipua curvæ catenariæ, 3) de linea, quæ ad angulos rectos secat omnes hyperbolas conicæ iisdem verticibus & circa eundem axem descriptas, appendicis loco subjunxit, obiter tradidisse regulam, in quam se casu incidisse fatetur, & cujus demonstrationem frustra quæsierit, ut

adeo eam universalem esse affirmare non audeat. Etsi autem Cl. *Gravesandius* regulam nunquam fallere arbitretur, eam tamen omnibus numeris absolutam esse non credit: ostendit enim, methodo *Stirlingiana* sapissime non ad veram formam perveniri, sed ad seriem, quæ veram contineat, ita ut ad hanc non nisi per ambages perveniatur, ut non diffiteatur posse huic malo medelam ex parte afferri. *Stirlingium* methodum *Tailori* correxisse in iis casibus, in quibus fallit, ut semper satisfaciatur; suam tamen methodum ostendere viam, qua in multis casibus ambages evitari possint, ad quas *Tailoriana* ducat. Ut autem pluribus scribat, determinationem numeri *n* juxta methodum *Newtonianam* ante explicat, ex *Tailoro* & *Stirlingio*, quani de determinatione numeri *r* agit.

**NOVA STEGANOGRAPHIA IMPERCEPTIBILIS, ab ALEXANDRO MARCELLO, Patri-
tuo Veneto, Mathesiphilo, anno 1718 adinventâ.**

QUAM utilis, ac æstimabilis sit Ars occulte scribendi, non tam Principibus, Classium Ducibus, Legatis, ministris, quam aliis gravia tractantibus, satis superque innotescit. Sed quamvis veteres, ac recentiores Mathematici non parum variis ingeniosis inventis laboraverint, a pluribus tamen imperfectionibus Steganographiam emendare non potuerunt. Quamobrem huic mirabili, ac optatæ rei *Alexander Marcellus*, Patrius Venetus, Mathesiphilus, attentè incumbens, novam Steganographiam imperceptibilem, quæ longe reliquas antecellit, excogitavit, & ab omnibus ceterarum difficultatibus expurgatam, quamplurimis doctissimis Viris A. 1718 proposuit.

Prima difficultas est. Ut artificium non sit visibile, veluti in illis *Trithemii*, *Cardani*, & ceterorum; ne epistola arcane suspitione facile interceptatur.

Secunda. Quod Clavis non sit limitata, & semper eadem; ne ab aliquo sorte inventa, ejus usus facile dignoscatur; imo, ut simili modo pluribus occulte scribendo, etiam ipsi, quibus eadem Clavis tradita fuerit, intelligere nequeant.

Tertia

Tertia. Ut scribendi, & legendi modus nimis operosus non sit; ne multum temporis, atque laboris in utroque impendatur.

Quarta. Quod secretum a nullo quantumvis acuto ac subtili ingenio per artem (vulgo Contracifra) percipi, nec investigari possit.

His ergo numeris omnibus hæc nova Steganographia absolutissima prodit, utpote ceterarum omnium occultissima, universalissima, facillima, & prorsus imperceptibilis; nam trium solummodo punctorum usu, diversimode supra qualiscunque epistolæ literas quocunque idiomate exaratæ, liquore aliquo invisibili signatorum, facillime, ac imperscrutabiliter absolvitur, & legitur: ita ut tali novo lucubratissimo artificio, innumeris, nedum centenis millibus, verum etiã millionum millionibus personarum, eadem semper variata Clavi quæcunque secreta communicare licuerit; imo & quæque variata Clavi plusquam quadraginta mille diversis modis uti poterimus; & quod præstantissimum est, si cujuscunque alterius Steganographiæ Clavis ad aliorum manus casu perveniat; vel cito, vel saltem facile legendi secreti modum inventient; sed novæ hujus Steganographiæ arcana Clavi apud aliquem casu inventa; nihil de ejus usu, quæcunque excogitabili via, vel arte percipi, neque investigari poterit.
L. D. G. M.

Exemplum, in quo puncta, quæ sunt visibilia, in Epistola invisibilia esse debent.

Optata Epistola tuã ad me nudiũ tertius pervenit: illã quidem magno opere lætatus sum; nam me non tam de optima tuã valetudine, quam de summa tuã erga me benevolentia certior fecit &c.

Puncta

Puncta significant :

VIVAT CHRISTIANVS WOLFIVS.

*Arcana Autori Clavis tantummodo nota,
Aut nulli, aut fido solum pandetur Amico.*

**OBSERVATIONES METEOROLOGICÆ,
habitæ Lipsiæ, A. 1728, a G. F. R.**

PArtem hic exhibeo Diarii meteorologici, qua Observationes continentur, superiori anno a me factæ. Equidem normam Diarii, quam Cl. *Jurinus*, in Actorum nostrorum Suppl. T. II. Sect. IX, præscripsit, sequi in plerisque conatus sum; quapropter & Calendarium Julianum, sive *stylum veterem* usurpavi, & altitudinem hydrargyri in barometro digitis Londinensibus, partibusque eorum *decimalibus* expressi, nec vim venti sensu æstimatam numeris persequi neglexi. Ceterum, ut chartæ spatium lucrifacere, duas vel tres uniuscujusque diei observationes in unam congesti lineam, ita ut horarum singulis diebus adscriptarum prima matutina, altera ipsa meridiana, tertia denique vespertina intelligenda sit; quibus totidem deinde hydrargyri in barometro altitudines respondent. Diem XXV Nov. & 1 Decemb. quorum altero minimam, altero maximam hoc anno altitudinem habuit hydrargyrum, asterisco (*) in margine notavi. Reliqua non possunt difficilia esse interpretatu. Thermoscopii itenique pluvie collectæ altitudinem omisi: alteram, quod ejus observandæ oportunitate desinitus essem; alteram, quod thermoscopiis & meis & plerisque adhuc usitatis parum confido: quorum accuratius conficiendorum ac dividendorum novam methodum, a me excogitatam, propediem fortassis eruditorum judicio exponam. Nunc de præcipuis quibusdam procellis ac tempestatibus, in ipso Diario breviter annotatis, addendum aliquid censeo.

Die XI Jul. st. v. mane cœlum serenum: circa meridiem nubes quædam apparent non nimis densæ, quas paullo post tempestas excipit,

excipit, cum tantilla pluvia & paucis tonitruis, vix ultra dimidiam horam perdurans. Tangitur fulmine Collegium Aeademiæ nostræ Paulinũ, læsis quibusdam hominibus, & occisa muliere, sed absque incendio. Hydrargyrum barometri a dig. 29, 53 descendit ad dig. 29, 50, circa vesperam priorem altitudinis gradum recuperans. *Die VI Aug.* ipane cœlum serenum, mox nubilum & opacum, ingravescente Favonio (W) imprimis circa horam III & IV pomeridianam. Sequitur hora VII copiosa pluvia, cum multis ac gravibus tonitruis, delapso interim hydrargyro a dig. 29, 78 ad 29, 53, nec prius quam sub noctem denuo ac paululum ascendente. *Die XXVI Aug.* ante meridiem aliquantulum pluit: meridie cœlum serenius, fluctuante hydrargyro, & modo ascendente tantillum, modo descendente. Hora prima p. m. procella cooritur, cum magna vi pluviz & venti Favonii, sed sine notabili barometri mutatione. Sub vesperam rursus cœlum serenum, remittente vento & jam in Noto-Zephyrum (SW) mutato. Hydrargyrum a dig. 29, 71 ad 29, 65 descendit. Post horam VIII pari vi redit procella, ac deinceps iterum serenum fit cœlum, hydrargyro ascendente. *Die II Sept.* varia cœli facies, modo serena modo nebula, cum æstu notabili; mediocriter flante vento, partim Noto-Zephyro (SW) partim Noto (S). Hydrargyrum a dig. 29, 98 ad 29, 87 delabitur. Sub vesperam vero, & imprimis post horam IX, gravis & fœdissima ingruit tempestas, nonnunquam quidem remittens, sed mox novas vires sumens, totaque nocte ad multum diem, cum plurimis fulguribus, tonitruis, imbribus & procellis, perdurans. Quo toto tempore hydrargyrum magis magisque (ad dig. 29, 63 usque) descendere non intermittit, finita tempestate, circa h. VII matut. paulatim iterum ascendens. *Die IV Sept.* ventus Noto-Zephyrus: mane sol splendet inter nubeculas: deinceps cœlum nubilum. Hora VI pomerid. procella & nimbus. Hydrargyrum a dig. 29, 71 ad 29, 53 delapsum rursus attolli sub noctem incipit. *Die XIX & XX Decemb.* qui postremi hujus anni *st. n.* intensissimum frigus; hydrargyro thermometri mei nonam fere partem illius altitudinis habente, quæ inter gradum summi frigoris, a nive cum sale mixta oriundi; & inter gradum maximi caloris, ab aqua bulliente efficiendi, intercedit. Atque hæc ad præsens sufficiant.

ACTA ERUDITORUM

Pars Diarii Meteorologici Lipfensis, ad A. 1728.			
Dies & hora St. V.	Barometrum.	Ventus.	Tempestas.
Febr. XXIX — 12 —	30 — 10 —	W. S. W.	1 pluvia & squalida.
Mart. I — — 10	29 — — 77	S. S. O.	1 serena & frigidior.
II 6 — 5	59 — 49	S. O. S. W.	1, 2 serena, subnubila.
III 6 — —	79 — —	W.	1 serena, nubila.
IV 6 — 10	81 — 73	W. 2 (noct. 3)	1 humida & nocte pluvia.
V 6 — 10	73 — 76	W.	1 pluvia.
VI 6 — 10	82 — 73	W.	1 nubila.
VII 6 — 10	82 — 65	W.	2 serena.
VIII 6. 12 —	44. 29 —	S. W. W.;	3 nubila.
IX 6 — 10	35 — 44	W.	2 nubila, serenior.
X 6. 12. 10	55. 61. 77.	W.	1 serena, circa merid. nubila cum nibe.
XI 6 — 10	53 — 73	O.	1 serena & frig. (corona magna circa C)
XII 6 — 10	65 — 69	O S O. S.	1 serena, subnubila.
XIII 6 — 10	69 — 66	O.	1 nubila.
XIV 6 — 10	68 — 78	S.	1 serena & calida.
XV 6 — 10	69 — 73	S. O.	1 serena.
XVI 6 — 10	77 — 81	S. W.	1 subnubila & temperata.
XVII 6 — 10	81 — 74	S. W.	1 pluvia.
XVIII 6 — 10	65 — 65	S. W.	1 nubila, serenior.
XIX 6 — 10	65 — 32	S. W.	1 nubila, serenior.
XX 6 — 10	24 — 38	S. W. W.	1 nubila.
XXI 6 — 10	28 — 08	S. 2 (p. merid. 3)	1 serena, p. merid. pluvia.
XXII 6. 12. 10	27. 36. 47	S. W. W. 4 (veff. 2)	1 serena, nubila.
XXIII 6 — —	49 — —	W. S. W.	2 serena.
Jul. II 6 — —	82 — —	S. S. O. S. S. W.	1 serena, nubila.
III 6 — 10	86 — 88	W. N. W.	2 serena.
IV 6 — 10	86 — 86	W.	2 nubila.
V 6 — —	84 — —	W.	3 nubila, serenior.
VI 6 — 10	86 — 85	W.	2 plerumque nubila.
VII 6 — 10	88 — 73	W.	1 serena.
VIII 6 — 10	71 — 68	N. W. N. O. N.	2 serena, subnubila.
IX 6 — 10	68 — 62	N. W. W. S. W.	1 pluvia.
X 6 — 10	55 — 53	S. S. W. W.	4 nubila, pl. serena.
XI 6. 12. 10	59. 55. 55	S. W.	2 serena, pluvia cum calura & ia.
XII 6. 12. 10	57. 59. 58	W.	1 plerumque nubila.
XIII 6. 12. 10	62. 65. 68	W.	2 serena, pler. nubila.
XIV 6. 12. 10	68. 64. 62	S. W. W.	3 plerumque serena.

Dies

MENSIS JANUARIA A. MDCCXXIX.

45

<i>Dies & hora.</i>	<i>Barometrum.</i>	<i>Ventus.</i>	<i>Tempestas.</i>
Jul. XV 6-10	29. 62 - 64	S W. W.	3 pl. nubila, serenior.
XVI 6-12.10	59. 49.39	S.W. S.	1 pluvia, serena.
XVII 6-4	33 - 30	S.W.S.W. 1 (b. IV p. m. 4)	1 varia cum tonitru longinquo
XVIII 6-12.10	47. 55. 63	S.W.	1. 2 pluvia, serena, pluvia.
XIX 6-10	69 - 74	SSW.	2 pler. serena.
XX 6-11	75 - 74	S.	1 varia.
XXI 6-10	69 - 65	S. S.W.	1 pler. nubila.
XXII 6-10	55 - 69	SW. S. W. 2 (noct. 3. 4)	1 varia.
XXIII 6-10	81 - 77	W. SW.	2 varia.
XXIV 6-10	70 - 73	W.	2. 1 pler. serena.
XXV 6---	73 - --	SW. W.	1 pler. nubila.
XXVI 6-10	77 - 69	W. SW.	1 pl. serena & calida.
XXVII 6-10	69 - 82	W.	1 nubila cum tonitru serenior.
XXVIII 6-10	80 - 61	SW.	1. 2 serena, pluvia (b. 10 p. m.)
XXIX 6-10	80 - 89	W.	2 serena.
XXX 6-10	82 - 71	O. W.	1 pl. serena & fervida.
XXXI 6-10	77 - 97	W.	1 nubila & opaca.
Aug. I 6-10	30. 70 - 70	SW.	2 serena.
II 6-10	10 - 19	SW. W.	3 varia.
III 6-10	22 - 16	S W. N.	1 serena.
IV 6-12.10	10. 05. 01	NO. SW. W.	1. 2 pl. serena & calida.
V 6-10	29. 98 - 83	W. SW.	1 serena, nubila.
VI 6-7	128 - 53	SW. W. 2 (b. III, IV, 3)	1 varia cum tonitru, (b. 7 p. m.)
VII 6-10	71 - 82	W.	4 varia & turbida.
VIII 6-10	89 - 94	W.	3 varia.
IX 6-10	96 - 95	W.	3 varia cum remisso calore.
X 6-10	93 - 95	W. N. S.	2 pl. nubila, serenior.
XI 6-10	95 - 88	SW. W.	2 pl. nubila & pluvia.
XII 6-10	84 - 88	W. NO.	1 pl. serena.
XIII 6-10	84 - 78	SW. NW.	1 serena, nubila.
XIV 6-10	63 - 57	NO. NO. SW.	2 subnubila, serena.
XV 6-10	57 - 68	S.	1 serena, nubila & pluvia.
XVI 6-12	68. 71 -	W. W.	1 pl. nubila & subserena.
XVII 6. 12. 5	68. 64. 59	W. NW.	1 subcalida & pluvia e. tonitru (b. 5 p.)
XVIII 6-4	53 - 48	W. NW. W.	1 nebulosa & opaca e. tonitru (b. 4 p.)
XX 6-12.10	63. 71. 75	W. NW.	3 humida, subserena.
XX 6-10	73 - 65	SW.	2 nubila pl. serena.
XXI 6-12.10	63. 57. 39	S.	3 nubila, serena, nubila.
XXII 6-12.10	35. 45. 57	SW. W. 3 (circ. merid. 4)	1 varia & turbulenta.
XXIII 6-10	41 - 53	SW.	2. 3 pluvia & turbulenta.

ACTA ERUDITORUM

Dies & Hora.	Barometrum.	Ventus.	Tempestas.
Aug. XXIV 6.12.10	29. 71.78.71	SW. W.	2 serena.
XXV 6 - 10	63 - 71	S. W. SW.	2 subnubila & calida, serena.
XXVI 6.12.8	71.70.65	SW. W.	3 4 pl. nubila & nimbofa (h. i & 8 p. m.)
XXVII 6 - 10	64 - 68	SW. W.	3 serena, subnubila.
XXVIII 6.12.10	64.59.45	S. SW.	3 (nocte) 4 serena, nubila & pluvia.
XXIX 6.12.10	38.52.83	SW. W.	2 nimbofa, serenior.
XXX 6 - 10	30. 00 - 08	W.	2 serena.
XXXI 6.12.8	08.05.00	SW. S. SO.	1 serena & calida, subnubila.
Sept. I 6 - 10	29. 97 - 98	SW.	1 serena & calida, subnubila.
II 6.12.11	98.94.79	SW.	2 (nocte) 4 subserena, serena cum tonitru (nocte)
III 6.12.10	63.79.88	W.	3 pluvia cum tonitru (mane), serenior.
IV 6 - 6	71 - 53	SW.	2.4 subserena, nub. & nimbofa (h. & p. m.)
V 6.12.10	62.67.69	SW. W.	2 pluvia, subserena.
VI 6.12.10	65.63.66	SW.	2.3 pl. serena, subnubila.
VII 6 - 10	50 - 62	SW.	1 serena, nubila & subfrigida.
VIII 6 - 10	59 - 62	S. NO.	1 pl. nubila & subfrigida.
IX 6.12.10	71.80.89	SSW. W.	1 serena & frigida.
X 6 - 10	91 - 96	SW. NW.	2 nebulosa, serena, frigida.
XI 6.12. -	98.97 -	N. NO.	2 nubila & frigida.
XII 7 - 10	93 - 89	NO.	1 nebulosa, pl. nubila & pluvia.
XIII 7.12.10	73.65.51	NO.	1 pluvia, nubila & temperata.
XIV 7 - 10	49 - 53	O. SW.	1 nubila - serenior.
XV 7 - 10	59 - 53	SW.	2 nebulosa, serena.
XVI 7 - -	58 - -	NO. SW.	1 nebulosa, subserena.
O. VII 8 - 10	44 - 05	SSO.	2 nubila, subserena.
VIII 8.12.10	11.19.27	SW.	2.3 nubila & pluvia, serenior.
IX 8.12.10	24.15.08	SO.	2 serena, subnubila.
X 8.12 -	24.31 -	SW.	2 serena, subnubila.
XI 8 - 10	11 - 36	SW.	2 serena, subnubila.
XII 8 - 10	48 - 51	SW.	2 serena, subnubila.
XIII 8 - 10	52 - 40	SW.	2 pl. nubila & pluvia.
XIV 8 - 10	39 - 44	S.	2 serena.
XV 8 - 10	60 - 89	SW.	2 pl. nubila & opaca.
XVI 8 - 10	98 - 99	SW.	2 pluvia.
XVII 8 - -	97 - -	NO.	1 subnubila, serena & pulchra.
XVIII 8 - -	89 - 84	NO.	1 serena & subfrigida.
XIX 8.12.10	84 - 92	NO.	2 pl. serena & subfrigida.
XX 8 - -	93 - -	NO.	1 serena & frigida.
XXI 8 - 10	95 - 90	NO.	1 subnubila & frigida, serenior.

Dies

Dies & Horæ.	Barometrum.	Ventus.	Tempestas.
Oct XXII 8-10	29. 89-91	NO.	2. 3 serena, frigida.
XXIII 8-10	91-97	NO.	2 subserena & frigida.
XXIV 8-10	30. 01-4	NO.	2 pl. serena & frigida.
XXV 8-10	04-11	NO. O.	2 serena & frigida.
XXVI 8. 12. 10	29. 80. 73. 61	O. SO.	1 nubila, subserena.
XXVII 8-10	55-51	SO.	1 serena & frigida, subnubila.
XXVIII 8-10	49-44	S. SW.	1 nubila, pluvia, cum remisso frigore.
XXIX 8-10	31-62	S. SW.	1 nubila, pluvia, serenor.
XXX 8. 12. 10	53. 49. 58	S. SW.	1 opaca & nimbofa.
XXXI 8-10	60-66	S. SW.	1. 2 nubila, polchra & temperata.
Nov. I 8. 12.	62. 59.	SSW. 2 (submoder.)	4 pl. nubila.
II 8. 12. 10	49. 53. 70	SW. W.	3. 4 varia & turbulenta.
III 8-10	66. 58. 69	SW.	1 nebulosa, pluvia, serenor.
IV 8-10	23-24	SW. S.	1 opaca & pluvia.
V 8-10	30. 01.	S.	1 nubila, serenor.
VI 8-10	29. 86-99	SO. S. SW.	1 pler. serena.
VII 8-10	99-75	S.	1 nebulosa, pl. serena.
VIII 8-10	58-36	SW.	2 (nocte) 4 pluvia squalida & turbulenta.
IX 8-7	19-04	SW.	3 varia & turbida.
X 8. 12. 10	14. 22. 39	SW. W.	3 pl. nubila.
XI 8. 12. 10	59. 65. 71	W.	2 nubila cum tantilla nive.
XII 8-10	72-74	W.	1 pl. nubila, pluvia.
XIII 8-10	92-93	NNO. NNW.	1 pl. serena & frigida.
XIV 8-7	30. 64-60	W.	2 varia & frigida cum nive.
XV 8-10	39. 96-93	SSO. SSW.	1 nubila & frigida.
XVI 8-4	89-87	S. SO.	1 serena & frigida.
XVII 8-10	66-68	SSO. SSW.	1 pl. serena & perquam frigida.
XVIII 8-10	73-62	S. SSW.	1 serena, subnubila.
XIX 8. 12. 10	88. 80. 10	NO.	1 pler. serena.
XX 8-10	98-95	S. SO.	1 pl. nubila cum nive, perfrigida.
XXI 8-4	06-11	W. S.	2 pl. nubila & perfrigida.
XXII 8-10	98-91	W.	1 nubila, subserena, perfrigida.
XXIII 8-10	54-57	W.	1 nubila & frigida, serenor.
XXIV 8. 12. 10	88. 19. 6	NO.	1 serena, frigida, nubila cum nive.
XXV 8. 12. 10	28. 77. 78. 79	SW. S. SO.	1 serena cum remisso frigore, nubila.
XXVI 8-10	78-84	SSO. S.	2 nubila, subserena, tepida.
XXVII 8-10	98-91	W.	1 subnebulosa, serena, nubila.
XXVIII 8. 12. 10	29. 30. 40. 55	SW.	1 nubila, serena.
XXIX 8. 12. 10	-71. 85	SW.	1 subnubila.
XXX 8. 12. 10	30. 01. 06. 24	W. S. W.	1 nebulosa, opaca & frigidior.

<i>Dies & Horæ.</i>	<i>Barometrum.</i>	<i>Ventus.</i>	<i>Tempestas.</i>
Dec. I 10. 12. 10	30. 30. 28. 26	S. SSO.	serena & frigida.
II 8. 12. 6	19. 14. 61	S. SO.	serena & perfrigida.
IV 8. 12. 9	29. 58. 56. 57	S.	pl. serena & remissior, subhumida.
XIII 9 — —	40 — —	SW.	nubila, serena & frigida.
XIX 9 — 10	31 — 20	NO. S.	serena, summe frigida.
XX 9 — —	18 — —	SW.W.	nebulosa, frigidissima, remissior.

DE NOVA HIPPOCRATIS EDITIONE
*adornanda Commentatio, qua animum aperit atque simul
ad symbolas conferendas eruditos invitat DANIEL WIL-
HELMUS TRILLERUS, Phil. & Med. D. qui & speci-
minis loco Libellum de Anatomie recensuit, emendavit &
Commentario Medico-Critico perpetuo illustravit.*

Lugd. Bat. 1728, 4, chart. maj.

Plag. 4.

EXperientissimus Trillerus, noster in concinnandis his Actis
Collega maxime industrius, Vir non modo in arte Medica,
verum & in Græcis imprimis litteris & crisi exercitatus, post-
quam per duodecim amplius annos Hippocrati expoliendo no-
væque editioni parando operam impendisset haud pœnitendam;
tempus nunc dēnum esse existimavit instituti sui rationem erudi-
tis plenius exponere. In lucem ergo emisit publicam anno proxi-
me elapso Commentationem de novæ suæ editionis forma, habitu
& ornamentis. Formam eliget maximam Charterii atque Foesii
inter minimamque Lindani mediam, quartam scil. majusculam
Diogenis Laertii Wetsteniani fere in modum, ut hoc modo lucu-
lenti character Græcus adhiberi & ipsæ statim notæ textui sub-
sterni possint, secus ac Foesius fecerat, qui magno lectoris incom-
modo observationes suas sub calcem cujusvis sectionis rejecit. Ipsi
operi in duas Tomos diviso, excepta Foesii Oeconomia, cui seor-
sum edendæ singularem Tomum destinabit, præmittentur lucu-
lenta prolegomena, in quibus de paterno & materno Hippocratis
stemmate, ætate, studiis, peregrinationibus, moribus, religione, me-
ritis in artem salutarem, inventionibus, scriptis, stilo, dialecto &
æmorte denique ipsa uberius tractabitur. In ipsa vero concinnanda
Hip-

Hippocratis vita sequetur potissimum ductum Dacerii, addet vero ab ipso prætermissa ut & fontes ipsos, ex quibus iste sua hausit, ut singula eo majorem inveniant fidem. In digerendis Hipp. libris Erotiani potius autoritate cum Foefio niti, quam cum Mercuriali, Lindano aliisque novum ordinem proprio ausu comminisci satius ducet; quosdam tamen libros male a se invicem olim divulsos in sedem suam pristinam restituet, rejectis interea atque omissis iis omnibus, quos supposititios gravique Hippocr. autoritate plane indignos esse liquido inter eruditos constat. Ceterum textus in segmenta divisionem retinebit ex Lindano, ut consulat scilicet lectorum commoditati. Elogia vero Hippocr. ab eodem anxie conquisita studio omittet, quod nullum præstant usum, nisi quod libri molem præter necessitatem adaugeant. Epistolas tamen Hippocratis cum propter stili venustatem, tum ob rerum gravitatem ab opere non rescindet, ut ut de earum autoritate acriter adhuc inter eruditos disceptetur. Versionem denique Latinam substituet, quam Foefius & ex parte Zuingerus feliciter dederunt, a se tamen passim interpolatam & emendatam, exterminatis se junctis illis, obscuris & non satis fideliter redditis Calvi atque Cornarii, contra quam Lindanus fecerat, qui posterioris versionem inconsulto textui adjevit. De ipsis Hippocr. Commentatoribus observat, in tam læta eorum segete paucos omnino reperiri, qui operosis suis Commentationibus ad Hippocratem facilius intelligendum aliquid memoratu dignum contulerint, quum vel veras subtilitates & spinosas quaestioneulas afferrent magnoque nisu solverent, vel nimis locis parallelis undiquaque allatis lectores defatigarent, vel denique sterilem & exsuccam textus haud bene intellectui paraphrasin proponerent. Hæc ne gratis dixisse videatur, ex quavis classe varios nominat Interpretes, ne ipso quidem Galeno & ex parte Foefio exceptis. Postea de boni interpretis & Commentatoris arduo officio quædam scitu perquam digna præstat, in causam potissimum inquiri, cur ex omnibus fere utriusque linguæ autoribus unus prope Hippocrates adhuc supersit, cui inter tot tantosque sui Commentatores, vix unus atque alter contigerit, qui veram ipsius mentem probe perspexerit, sensumque reconditum in clara luce locaverit; istam vero non sine veri specie in id vel maxime rejicit, quod illi, qui in Hippocratem scriberent, vel soli fuerint Medici, qui res saltim sectarentur, verborum interea & stili ineurosi & justo negligentiores, hincque veras tantum & ambigiosas paraphrases concinnarent; vel Medici existerint aliqua veterum Medicorum lectione quidem imbuti, criticis tamen subsidiis & penitiorè Græcæ linguæ cognitione non satis instructi, unde loca parallelæ, nullo adhibito discrimine, ubivis coacervarent, ipsumque nec Autorem nec lectorem multum juvarent. Neminem ergo nisi Medico-Criticum Hippocratem digne edere posse Autor noster arbitratur, quum solus Medicus non possit ob Græcæ linguæ & criticorum subsidiarum defectum; Criticus contra solus non possit propter Medicinæ ignorationem. Existisse tamen aliquos, qui in Hippocrate enarrandò rectam viam insisterent, simul subnotat, laudatque imprimis, non celatis interim ipsorum navis, Mercurialem, Zuingerum, Foesium, Gorraum, Opsopæum, Septalium, ntrumque Sealigerum, Meibomium, Salmasium & Dacerium, quos illustres duces in sua commentandi ratione cum cura sequi secum constituit; cavebit scilicet sedulo, ne in luxatis reponendis, in obscuris dilucidandis, in depravatis emendandis, in supposititiis temereque in textum intrusis nunc cum Foefio plus jussu timidior, nunc cum Gorrao, Hof-

manno, Lindano atque Reinesio plus æquo audacior deprehendatur, sed ut vis
 potius media semper incedat. Conciso quidem; sed perspicuo tamen dicendi
 genere utetur, nisi summa urserit necessitas latius aliquanto divagari. Varian-
 tes lectiones, si cujusdam sint momenti, studiose annotabit, & quæ loco, de quo
 sermo, convenientissima videbuntur, semper indicabit. Præter Foesii, Dacerii,
 Zuingeri, Gorrazi, Mercurialis, Dieterici, Opsopæi, aliorumque selectiores notas
 & emendationes varias addet Salmasii, Vossiorum, Scaligerorum, Spönnii, Casau-
 boni, Spanhemii, Gatakeri, Bocharii, Reinesii, Bartholini, Lindani, Cagnati, Hof-
 manni, Leopardi, Mureti, Tolti, Clerici, Schotti, Veslingii, Pettii & aliorum præ-
 clarorum virorum magno studio & industria ex ipsorum scriptis erutas a se ac-
 que congestas, ut Hippocrates hoc pacto non, ut hæcenus factum, a Medicis so-
 lum; sed & ab omnibus Philologiæ cultoribus ingenti cum fructu legi possit.
 Rogat vero atque obtestatur sub finem ea, qua decet, modestia omnes eruditos,
 ut ad tam præclarum institutum eo feliciter & facilius exsequendum symbolas
 officiose conferant, benevoleque cum Autore communicent, quæ vel ipsi in
 Hippocratem meditati fuerint, vel si aliunde habere possint, quæ ad ornandum
 & poliendum Hippocratem aliquid conferant. Nec dubitamus, veros atque cor-
 dados viros eruditos tam honesto & reipublicæ literariæ olim profuturo peti-
 to, quantum in ipsis fuerit, auscultaturos, & tam præclaros conatus omni ope,
 consilio & subsidiis adiuturos, imprimis cum certi esse possint, quod haud in-
 gratum collatum fuerit beneficium, seu ipse sanctè pollicetur. Ut vero eo me-
 lius dijudicare possint, quid præstare & an tantis promissis stare possit Autor;
 Specimen eorum iudicio ipse subiecit, Libellum nempe Hippocratis, ut credi-
 tur, de Anatome, mole quidem perquam exiguum, sed valde depravatam & ob-
 scuram, quæ non solum nova ac longe accuratior, ac ipsius quidem est Foesii
 versione; sed & copioso ac bonæ frugis plenissimo Commentario instruxit, in
 quo liquido ostendit, se non corporis tantum humani, sed etiam textus Hippo-
 craticum esse Anatomicum. Monemus vero hic Lectores, ne opinentur, in uni-
 versum Hipp. opus sic comparatos fore Commentarios; insanus enim foret la-
 bor, cuique absolvendo unius hominis ætas nevisquam suffecerit; sed eum po-
 tius in finem tam late diducum ab eo Commentarium arbitrentur, ut partes
 doctrinæ opes ostendat mercesque suas eruditas in omnium conspectu explicet,
 ne eum ad tanti molimenti opus incertum atque imparatum accedere malevoli
 criminentur. Secus enim firma ipsius animo se det sententia, quod nihil quid-
 quam in ipso operis Commentario sit annotaturus, nisi quod strictissimo atque
 apposite ad textum sive illustrationem, sive emendationem faciat, quum in hoc
 contra specimine studiose sæpius occasionem captaverit liberius, vivagandi, ve-
 teresque Autores nunc illustrandi, nunc emendandi, nunc denique refellendi.
 Ceterum quum eum per plusculos annos lapidem hunc voluisse & pertinaci si-
 mul in his rebus industria esse jam aliunde constet, nihil dubitamus, fore, ut no-
 va hæc Hipp. editio quamprimum prelo submitti queat, si Deus vitam & sanita-
 tem, quod optamus, largitus fuerit. Non deterrebunt vero eum a tam laudabili
 proposito præclaræ minæ Medici cujusdam Londinensis, Cliftoni, qui eodem
 eum nostro Autore tempore edito pariter in vulgus specimine significavit, se
 Hipp. duobus Voll. in fol. proxime editurum. Nec invidet ipsi novæ inven-
 tionis gloriam, qua Hipp. sine accentibus publico usui concedere se cum consti-
 tuit, ut scilicet tum facilius intelligatur sine accentibus, qui hæcenus maximam
 partem ne cum accentibus quidem intelligi potuit.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXIX.

SACRO-SANCTA CONCILIA, AD REGIAM
*Editionem exacta, quæ olim quarta parte prodit auctior,
studio Philip. LABBEI, & Gabr. COSSARTII, Soc.
Jesu Præsb. nunc vero integre insertis Steph. BALUZII
& Jo. HARDUINI additamentis, plurimis præterea
undecunque conquisitis monumentis, notis insuper ac ob-
servationibus, firmiori fundamento Conciliorum Epochas
præcipue fulcientibus, longe locupletior & emendatior ex-
hibetur, curante NICOLAO COLETI, Eccl. S.
Moysis Venet. Sacerdote alumno.*

Tomus I ab init. æræ Christ. ad A. CCCXXIV.

Alphab. 8 plag. 20.

Tomus II ab A. CCCXXV ad A. CCCCI.

Alph. 8 pl. 10.

Venet. apud Sebast. Coleti & Jo. Bapt. Albrizzi, 1728, fol.

DE consilio editionis novæ Conciliorum omnium, quam moliti sunt Venetorum Bibliopolæ, Sebast. Coléti & Jo. Bapt. Albrizzi, in Novis literariis, quæ Lipsiæ vernaculo idiomate bis per hebdomadam prodeunt, primum relatum est A. MDCCXXVII Sect. XXIV p. 243 sqq.; nec vana fuisse ista destinata atque promissa, documento nobis sunt præstantis ac va-
nissimi illius operis Tomi priores duo, qui jam primo vere A. MDCCXXVIII typis ac prelo Venetorum liberati, beneficio Illustriissimi ejusdem Viri nunc tandem & ad nos transmissi sunt.

Quid sibi velint, & quas habeamus meliores Conciliorum Collectiones, hic multis referre, in rei literariæ hodierna luce

non multum atinebis, præsertim cum antefios paucos annos de rebus, ad conciliorum notitiam spectantibus, peculiari ac perquam luculentæ commentatione donati simus a doctissimo Francisco Salmonio, Sorbonæ Parisiensis Doctore atque Bibliothecæ præfecto; cuius non modo uberiorem recensum ipsa hæc Acta Erud. A. MDCCLXXVI M. Febr. p. 52 sqq. instituerunt, sed & idem ipse libet, quod ibidem promissum erat, typis nostratum recusum, mox ex illo tempore æquo sat pretio fuit comparandus.

Nemini igitur ignotum esse potest, novissimam ante hanc Conciliorum editionem nos deberè curæ atque labori Jo. Harduini, S. J. quæ postquam Parisiis 1715 régiis excusa typis prodiit, variam omnino sortem tam apud Gallos, quam apud externos experita est. Nostri non est instituti de integrâ hac lite hoc loco referre; videri interim in hanc rem possunt præter laudatum Salmonium l. c. p. II Artic. XIII, ex nostratibus Jo. Alb. Fabricius in Bibliothec. Græc. Vol. XI p. 123 &c. Christoph. Math. Pfaffius in Hist. Theolog. Liter. P. III p. 213 sqq. ac novissime Magnus Crusius in Diss. Epistol. ad Christ. Wormium, mox a nobis recensenda, qui quidem postremus, qua valuit in absconditis hucusque literarum arcanis indagandis solertia, & in hac causa *avéxdoxos* ejusmodi aliquod detexit, quod ipse Gallicæ gentis perspicacissimos Viròs adhuc fugit, & de quo omnino conferri meretur l. c. p. 51 sqq.

Illud autem hic taceri non debet, Harduinum in omittendis & rescandis monumentis quamplurimis, quæ priores editiones ac præcipue Labbeana, exhibuerant, adeo nimium fuisse, ut jam multi ex eruditis eadem omissa noluerint, cum hinc sibi necessitatem impositam viderint, & illam Labbeanam editionem comparandi, quod tamen vix magno sumtu facere licuit. Fuitque proinde optatum, ut Concilia de integro bona fide recenserentur a Viris Ecclesiasticæ rei peritis & veritatis amantibus, quo necessariis notis instructa & adversus corruptelas præmunita legi tutius & majori cum fructu possint. Ac his se potissimum desiderii ac votis moveri passi sunt Eruditi Veneti, ut curandam hanc novam editionem susceperint. Quanquam enim Tomi illi priores duo,

duo, quos hucusque habemus, præfamine nullo instructi sint, in quo institutum ipsi suum aperuerint; significatum tamen id ipsorum jam tum fuit in memorato Lipsiensium nostrorum indicio, cuius quo & nunc ipse titulus, qui Labbeo-Cassartianam editionem juxta cum aliis se daturum pollicetur, & operis ipsius proluxa compages bene satis convenit.

Ut igitur ex his de scopo, arduo huic negotio præfixo, quodammodo liquere poterit, ita & nunc de ipso Editore ac tanti laboris *ἐγχεδωκῆ* dicendum venit. Hujus namque nomen primum non dedit relatio illa Lipsiensium: jam vero titulus Nicolai *Colesti* eundem nobis designat, qui ex curata a se nova ac præstantissima editione *Italia: Sacra Ughelliana* jam ante hos decem annos orbi erudito satis innotuit, & quem Sebast. illius *Colesti*, alterius Bibliopolæ, qui sumtus fert, fratrem esse, tum nobis perhibuerunt. Hunc igitur, quam ex superiori illo labore reportavit laudem & maximum bonorum quorumvis plausum, jam hoc novo suo molimine haut imminui passurum esse, facile confidimus. Arbitramur etiam illum in societatem laboris, qui vastitate sua unius hominis industriae atque solertiam facile superare possit, adscivisse viros designatis suis omnino pares, qui ipsi in eo colligendo, digerendo, corrigendoque suppetias ferant.

Bibliopolarum etiam curæ quid in hac nova Conciliorum editione debeat, venit indicandum. Præter sumtus autem liberaliter erogatos ad typorum & chartæ nitorem & elegantiam id potissimum referendum esse putamus; in quibus non sane parserunt, quod decus aliquod huic operi conciliare potuisset. Est typorum character, Græcorum præsertim, quem cum oculorum dispendio tantopere imminuerat Harduinus, hic luculentissimus restitutus, eidemque nequiquam secundus, quem olim Labbeo-Cassartiana editio exhibuerat. Charta etiam in exemplo, quale nobis est redditum, nihilo sorte nitore & forme magnitudine cedit ei, quæ Regiis quondam editionibus fuit adhibita, Harduinianam sane longe vincit. Non ergo minus inde decus Reipublicæ Venetæ, quæ & ipsa privilegium indulsit, auguramur, quam quod ex præclaris hujusmodi operum editionibus regio quondam Parisiorum typographeo accessit.

Hucusque recensita ad externam quodammodo operis præsentis œconomiam spectant ; nunc internum quoque ejusdem valorem paulo curatius designare operæ pretium foret. Unde forte haut alienum esset, integrum huc transcribere syllabum omnium eorum, quæ duobus hisce Tomis continentur. Minimum illud haut incongruum esset futurum, ut curatori collatione indicetur, quid ex omisissis & detruncatis in editione Harduiniana hic velut postliminio denuo accesserit ; idque vel hoc magis, postquam in his ipsis Actis A. MDCCXV M. Sept. p. 577 lqq. prolixior recensensus institutus est, qui ex conspectu, ab ipso Harduino publicato, omnium ab eodem vel omisissorum vel additorum rationem reddidit. Cum vero hæc res utrinque in majorem excrecere molem possit, quam quidem hoc nostrum fert institutum, commode hic nobis succurrit, quod Vir Cel. Jo. Alb. Fabricius in laudato jam supra Biblioth. Græc. Vol. XI infigne aliquod hujus laboris compendium fecerit. Is equidem, dum l. c. p. 337-735 notitiam Conciliorum Chronologicam suppeditare ingressus est, hanc sibi initam rationem eo præstat modo, ut non modo quicquid actorum monumentorumque, ad concilia spectantium, in præcipuis illis, Regia, Labbeana & Harduiniana, editionibus contineatur, ad singulos annos generali ac uno velut obtutu exhibeat, sed & signis certis adjectisque caracteristicis notis accurate simul indicet, quid in hac illave editione omisissum, in altera vero rursus occurrat. Hoc igitur labore ab inexhausti laboris Vire præstito, quem nec alii cuidam facile imitari licuerit, jam frui omnes nobiscum credimus, qui rerum Ecclesiasticarum studio delectantur ; proindeque arbitramur, non fore, ut quis novum conspectum rerum, in Conciliorum censum relatarum, hoc loco à nobis expectet, utpote quem tanto tamque prolixo ordine, quemque nec hic capere datum esset, jam idem suppeditavit laudatus Fabricius ; nec omisissorum in Harduiniana, in nostra Veneta autem editione restitutorum, syllabum ex multorum usu futurum existimamus, namque & hunc ex iisdem Fabricii fontibus facile hærice, qui volupe, datum est.

His tamen probe perpensis, duplex nihilominus labor nobis adhuc relictus esse videtur : unus namque ad collationem quãdam

dam cum Harduiniana illa sæpius memorata, alter vero ad omnes in universum hucusque Conciliorum editiones relatus, quo facto demum hujus præsentis ac novæ editionis valorem ac præstantiam rite recteque æstimare licebit. Ut autem, in quo nova hæc *ædeditis* ab Harduiniana illa differat, quantumque hæc eidem præstet, declaretur; id quidem generali quodam indicio absolvere dabitur: ut vero posterius pariter etiam præstemus, per singula ire capita haut gravabimur, cum hic demum nova quædam lectoribus nostris propinare, & laborem Fabricianum supra laudatum hoc modo perficere, licuerit.

Præsens igitur institutum cum Harduini illo comparantibus planum illud evadit, quod Editori & Collectori nostro Veneto propositum fuerit, ut contrario ab illis Harduini vestigiis tramite ubique decurreret. Non igitur illis, quas sibi met ipsi scripserat Harduinus, legibus se coarctari passus est, ut tantummodo Acta Conciliorum, Epistolas decretales ac Constitutiones summorum Pontificum exhiberet, sed omne illud in rem suam transferre instituit, quod quocunque modo in Conciliorum censum venire poterat. Hinc restituta omnia, quæ in superioribus & præcipue Labbeo-Cossartiana editione comparuerant, monumenta, ad conciliorum negotium quoquo modo spectantia. Hinc nec omittæ Sev. Bini, Gabr. Alaspina, Sirmondi, ipsius Labbei, aliorumque notæ, ad suos quæque locos relatæ; hinc proluxa illa Ferdinandi de Mendoza de Concilio Illiberitano confirmando commentatio Tomo I occurrit, quanquam ultra trecentas minutioni caractere impressas paginas impleat. Adsunt & Vitæ Pontificum Romanorum e Libro Pontificali Damasi & Anastasii Bibliothecarii transumptæ. Adest Synodicum illud a Jo. Pappo, nostrate, primum in lucem productum, non quidem ut Harduinus illud una serie descriptum cum aliis dederat, sed ad methodum Labbeanam sparsim singulis capitibus ad sua tempora relatum. Ex novis autem accessionibus & emendationibus, quibus post superiores editores Harduinus Volumina sua auxerat & locupletaverat, nihil quoque omissum deprehenditur: ut adeo vere de hoc opere dici possit, in omissionibus haut temere quidquam peccatum esse.

In altero jam instituto nostro; cum nobis per singula capita eundem sit, ut absolutum quendam accessionum omnium, quæ in editionem nostram præter superiores omnes illatæ sunt, indicem proferamus, nonnulla nobis ante veniunt præmonenda, quam ipsum laborem hunc ingrediamur. Primum namque nos generales & præcipuas editiones, quales Regia, Labbeo-Collartiana, & Harduiniana sunt, duntaxat respicere; hinc quid e Baluzii, Hollstæni, Mabillonii, Montfauconii, Loaisæ, Aguirrii, Simon-di, Dacherii, Martenii, Lambecii, Pezii, aliorumque, Collectorum quippe particularium, fontibus transumptum, atque in hunc censum primum relatum est, id omne novarum nobis accessionum loco haberi: hi namque ipsi fontes sunt, e quibus Editor noster arva sua rigavit; ut in recensione mox deprehendatur; neque enim nova prorsus ex ineditis hucusque monumentis in priores istos, quos habemus, Tomos inserta esse observate licuit. Deinde occurrere passim notas & observationes breviores, margini & paginis adjectas, quarum iam receptu nostro non ubivis rationem habere poterimus: sunt autem hæc ad temporum notationes seu Conciliorum epochas fulciendas, ut titulus operis illud pollicetur, partim comparatæ, in quibus præstita egregia ab Ant. Pagio opera potissimum in partes vocatur, cujus tamen ubi prolixiores integræque observationes diacrisesque occurrunt, nec earundem prolixius mentionem prætermittimus: partim vero animadversiones ejusmodi ad iudicium de monumentorum exhibitorum fide & authentia ferendum relatae sunt; cujusmodi est, quod Tom. I ad A. 324 deætantissimo edicto, seu donationi Constantini M. appositum est, ubi p. 1564 in fine hæc verba habentur: *suppositivum esse hoc edictum, scire convenit inter Eruditos*; in subsidium vero hujus rei simul excitatur Pagius ad A. Ch. 324 n. 16. Hujusmodi autem indicia quod passim occurrant, nec nobis tamen ubivis connotare liceat, ex hoc uno velut specimine colligi velimus, quam curæ id atque cordi fuerit Editori nostro, ut lectores suos de omnibus rebus moneret, quas scire eorum maxime interesse poterat.

His autem præmissis nunc denique ad rem ipsam accedere licebit, ut singulatim collatis diligenter editionibus, Regia, Labbea-

na & Harduiniana commonstremus ; quid Conciliorum Acto-
rumque in nostra occurrat, quorum apud illos nondum habetur
copia. Singulos Tomos unum post alterum excutiemus, servabi-
musque ordinem chronologicum, ad quem omnia diligenter ab
Editore relata & in recensione nostra commode referte licebit.

Tom. I ad A. 125 habetur Concilium *Siculum*, ad A. 152 Con-
cilium *Pergamense*, ad A. 160 Concilium *Orientele*, ad A. 173 p. 555, 573.
Concilium *Hierapolitanum* ; quæ omnia, prioribus ignota, ex 583, 593.
Baluzii collectione nova hic inseruntur. Sequuntur ad A. 197 Sy- 605.
nodi, *Cesariensis* in Palaestina, *Lugdunensis* in Gallia, *Ephesina* in 609, 611.
Asia celebrata, quarum notitia a superioribus illis quidem suppe-
ditata, sed hic editis novis a Baluzio accessionibus locupletatur.
Ad A. 219 *Carthaginense* Concilium II, cujus in Indice tantum 625.
mentionem iniecerat Harduinus, ordine suo recensetur e Cypria-
ni Epist. 56. Porro ad A. 230 *Alexandrinum*, ad A. 245 *Asiati-* 639, 669.
cum, ad A. 250 *Achaicum* Concilium refertur, quorum copiam 673.
iterum dederat Baluzius. Synodi *Antiochena* A. 252, & alius *Ro-* 737.
mana A. 255 habetur quidem & alibi notitia, sed nec hic, quod 785.
pro eadem attulerat Baluzius, prætermittitur. *Africanum* A. 257 837.
& *Romanum* A. 258, aliis ignoratum, ex nova Baluzii collectione 847.
suppletum est Ad A. 270 relatum *Antiochenum* Concilium II, 909.
inserta peculiari Ant. Pagi observatione, in A. 269 rectius colloca-
tur, idemque Baluzii additione augetur. A. 304 *Alutinenfis* Con- 919, 973.
cilii mentio ex Act. Sanctor. Henschen. d. XI Febr. repetitur.
Alexandrinum autem ad A. 306 & *Carthaginense* ad A. 311 Con- 1401.
ciliabulum e Baluzio & restituitur & locupletatur. Alius vero
Carthaginensis Conciliabuli A. 308 notitia, præeunte Baronio, de- 1403.
betur Augustino Epist. 48. Ad A. 321 *Alexandrinum* Concilium, 1523.
aliis in A. 315 rejectum, Ant. Pagi allata diacrisi firmatur. *Pala-* 1525.
stinum vero A. 322 ex Baluzio depromptum est. Hucusque To-
mus primus.

Tomus II uberiorem accessionum novarum segetem suffi- Tom. II.
cit: post prolixum namque Nicæni generalis Concilii recensum,
in quo nihil omissum, quod a prioribus & Harduino noviter al-
latum ; mox ad A. 325 Synodus *incerti loci*, & alia ad A. 326 419.
Alexandrina ex Pagi profertur : *Nicomediensem* A. 328 Balu- 447.
zium

- zius suggerit. De *Casariensi* in Palæstina A. 334 autor est Pagius; cuius inserta observatione & *Constantinopolitanum* A. 336 Conciliabulum illustratur; quod idem & in altero *Constantinopolitano* A. 340 & *Mediolanensi* A. 346 fit. Synodus *Latapolitana* A. 348 hic primum ex Act. Sanct. d. XIV Maji comparat. *Cordubensis* e. a. Synodus, cuius in Pappi Synodico mentio, ex Aguirrii Tomo II sufficitur. Quæ sequentes anni decem tulere Concilia & Conciliabula, quorum perplexa admodum est temporum notatio, ut suis quibusque locis & ordini restituerentur, non modo Petavii, quam & exhibuit Labbeus, de Photino Dissertatio inserta est, sed & Pagii huc facientes observationes in partes vocantur; noviterque ex Baluzio accedit *Romanum* Concilium A. 349, *Antiochenum* e Pagio ad A. 354. De *Mediolanensi* reprobato A. 355 ex Ughello & Baluzio novum aliquod præsidium assertur. Ad A. 358 Concilium *Antiochenum* e Pagio; *Ancyranum* e Baluzio; *Sirmiense* III e Pagio; *Romanum* e Baluzio; *Melitense* & *Casariense* e Pagio firmanur. Ad A. 359 & 360 pro Concilio *Nicano*, *Seleuciense*, *Constantinopolitano*, *Achaicoque* ejusmodi præsidia afferuntur e Baluzio; ac Pagio præeunte *Antiochenum* aliquod in A. 360 designatur. *Alexandrino* A. 362 additio nova Baluzii subjicitur. *Parisiensis* I, *Alexandrini* II & *Antiocheni* II, ad hunc & sequentem annum relatorum, epocha, insertis Pagii rationibus, diligentius exquiritur. *Thevestinum* Conciliabulum ad 363 ex Schelstratio recensetur. Pro *Lampfaceno*, *Siculo*, *Illyrico* & *Romano* sequentium annorum Pagii iterum nova quædam præsidia adducuntur. *Romanum* aliquod A. 368, & aliud *incerti loci* Concilium A. 369, aliis non observatum, utrumque Baluzio indagatore sufficitur. *Egyptiacum* A. 371 Pagii fide & *Romanum*, quod vulgo ad A. 369 repositum, ejusdem accuratione in A. 372 locandum contenditur. *Cyzicenum* Conciliabulum autoritate Basilii M. A. 372; eodemque *Antiochenus* conventus e Montfauconii collectionibus, & *Nicopolitanum* Concilium e Galano refertur. *Gallicum* incerti loci, & *Romanum*, ut ad A. 376 de novo accederent, Pagius autor fuit. *Antiochenum* A. 377 suppletum, *Iceniense* ad A. 379, & *Mediolanense* ad A. 380 noviter erutum, curis Baluzii debetur. *Donatistarum* e. a. Conciliabulum S. Augustini testi-

testimonio nititur. Pro *Constantinopolitano* A. 382 & *Sydenis*, p. 1201 sqq
 itemque *Antiocheno*, A. 383 utroque habito, non contemenda
 iterum Baluzii praesidia afferuntur. *Romanum* A. 386 armat ob- 1237.
 servatio Pagii. *Thessalonicense* A. 390 antiquorum fide perhibe- 1239.
 tur. *Mediolanensis* vero & *Carthaginensis* circa hæc tempora 1248 sqq
 dubia epoccha ad A. 390 Pagii iterum rationibus fulcitur; qui &
 pro alio *Carthaginensi* ad A. 393 Conciliabulo sufficiens autor ha- 1269.
 betur. *Cabarsustitanum* novum ad A. 393 Concilium eruit primus 1370.
 Baluzius, idque idoneis documentis instruxit. *Bagajense* quoque 1387.
 A. 394 accessione quadam ejusdem gaudet. *Carthaginensia* bina 1453 sqq.
 A. 398 observationibus Pagii locupletata sunt. *Alexandrinum*, 1461 sqq
 itemque *Ephesinum* A. 401 utriusque & Baluzii & Pagii novis ra-
 tionibus fulciuntur. *Cyprium* denique Concilium A. 401 ex illis 1489.
 quoque Baluzii fontibus haustum est.

Tandem & ad calcem hujus II Tomi appendicis loco com-
 parent aliquot Patrum orthodoxorum monumenta; quibus in
 Conciliorum Voluminibus locum quondam fecerat Labbeus, eo
 quod magna illorum quondam & fere canonica in Conciliis habi-
 ta fuit autoritas; sunt autem eadem ab *Athanasio*, *Basilio M. Gre-*
gorio Nysseno, *Timotheo* & *Theophilo Alexandrino*, autoribus scri-
 pta, huc autem ex Opp. illorum editionibus, ne quidquam deside-
 rari queat, translata.

Atque sic etiam recensiois labore in his II prioribus Conci-
 liorum Tomis satis operoso tandem defuncti nobis videmur;
 quem cum haut ingratum litantibus hisce sacris fore speremus, &
 in sequentibus, simul ac ad manus nostras pervenerint, Tomis
 eodem modo continuare haut gravabimur. Non tamen intra tam
 breve temporis spatium, atque adeo paucorum Tomorum nume-
 rum, qui vigesimum non superet, hujus editionis laborem termi-
 natum iri existimamus, ut primum persuasum fuit Editoribus, &
 in Lipsiensium Novis, aliquoties memoratis, perhibitum est. No-
 bis sane ex laboris nunc exhibito specimine & collatis aliis edi-
 tionibus, vix aliter rationes subducere licet, quam quod integrum
 hoc opus, si in cæpto persistant tramite, longe ultra vigesimum
 ac fere ad trigesimum Tomum excreturum sit, nec futurum et-
 iam, ut intra definitum illud temporis intervallum absolvatur.

Putamus vero æquius ferendam hanc moram moleinque operis, majori Tomorum numero auctam, dummodo usum illum fructumque, quem in adeo bene cœptis conspiciere licuit, & a sequentibus sperare datum fuerit.

MAGNI CRUSII, SLESUICENSIS, V. D. M.
Dissertatio epistolica ad Dn. CHRISTIANUM WORMIUM, Diæceseos Sialandicæ in Dania Episcopum, de scriptis quibusdam integris fragmentisque hætenus ineditis.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii filium, 1728, 4.

Plag. 9.

ET si jam proximis ab ortu typographiæ annis viri docti certatim e bibliothecarum tenebris in lucem produxerunt veteris ævi reliquias, nec quicquam reliquisse videri possunt ac neglexisse, nisi quod luce censerent minus dignum; tamen subinde & reperiuntur & eduntur e MSS. Codicibus, quæ in perpetuum latere debuissent nemo sapiens dixerit. Ut omittamus Lactantii *de mortibus persecutorum* libellum, ipse noster Reverendus Autor (cujus vitam Mornai A. 1725 p. 26 sq. recensuimus,) mentionem facit initii *Demonstrationis Evangelicæ* Eusebianæ a Cl. Fabricio nuper demum editi, ac supplementi *Dionis Cassii* a Cl. Falcone paucis abhinc annis cum orbe literato communicati. Cum igitur & ipsi Galliam, Angliam & Germaniam perlustranti occasio fuerit oblata in præstantissimis bibliothecis reperiendi plura nondum edita, magnam eorum partem descripteo consilio, ut, si per fata licuerit, ea typis descripta proferat in usum communem. Sunt autem edendorum horum librorum alii Græci, alii Latini. Primo igitur est editurus, quem jam Græbius edere constituerat, *Græcum Codicem Geneseos* e bibliotheca Cottoniana, quo vetustiore Græcæ Geneseos Codicem orbis habere non creditur. Adscripturus est margini suæ editionis variantes lectiones tum Romani, tum Alexandrini, tum etiam Coisliniani Codicis: annexurus etiam rarissimam Dissertationem Jo. Ern. Græbii *de variis vitiis LXX Interpretum versioni ante Origenis ævum illatis,*

latis, deque remediis ab ipso in Hexaplati ejusdem versionis editione adhibitis; itemque Cl. Joan. Grammii, Prof. Acad. Hafnienfis, quinque Dissertationes de veteris Testamenti versionis Græcæ in N. T. allegatione. Secundo loco Macarii Magnetis, seculi tertii scriptoris, (tam parum cogniti, ut Edm. Albertinus, nihil ejus superesse, contenderet,) fragmenta a Boivinio secum communicata promittit, adjuncturus Cl. Urb. Godofr. Siberi nostri Historiam XLII Macariorum. Tertium opus erit Epitome librorum antirreticorum Nicephori Constantinopolitani adversus Iconomachos. Jam Anselmus Bandurius promiserat totius hujus operis editionem, ejusque conspectum Tomo VI Bibl. Gr. p. 672 sqq. insertum voluit Cl. Fabricius. Cum vero sententiam mutarit Bandurius, Noster epitomen duntaxat illius operis dabit, omis- sis amplificationibus minus necessariis atque exclamationibus oratoriis. Quarto editurus est Noster Spicilegii Patrum a Grabio inchoatæ continuationem, & exhibiturus fragmenta Julii African- ni, Melitonis Sardenfis, Irenæi, Justini Martyris, Hippolyti, Dion- nyfii Alexandrini, Theophili Alexandrini, Clementis, cum Ro- mani, tum Alexandrini, Methodii, Apollinarii, Acacii, & Euse- bii Cæsarensis. Adjunget hæreticorum fragmenta inedita, Va- lentini, Eubionis, Manetis, Pauli Samosatani, & Montani, adje- ctis notis criticis aliisque necessariis animadversionibus. Subji- ciet quæque Dissertationem de Leucio hæretico, una cum frag- mentis Evangelii Lucii Charini, itemque Pseudo- Actis Petri, Andrea, & Thoma. Cum etiam Irenæi opera omnia sive ex Gra- bii sive ex Massueti editione sint perrara, Noster non solum re- cudi ea curabit, sed addet etiam plurima Græci textus fragmenta e MSS. eodiceibus deprompta, observationes item ineditas Thom. Aisleri, Eduardi Bernardi, Franc. Junii, & Dan. Heinsii. Dissert- ationum etiam Massueti Irenæo præfixarum examina sistet, ulti- mo loco producturus Georgii Hooperi conjecturas de hæresi Valentianorum, ejusdemque emendationes & observationes in Tertulliani tractatum contra Valentianos. Ne justo longio- res simus, breviter docemus, Rever. nostrum Autorem etiam hæc primum esse editurum: VI Supplementa Annalium Byzantino- rum Niceæ Choniata; VII Fragmenta Patrum Græcorum, de-

sumta e *Catena Patrum in Lucam*, quæ latet in Bibliotheca Vin-
dobonensi; VIII *Anastasi Sinaitæ Contemplationes in Hexæ-
merum*, sermone Græco; IX *Scholia antiqua Græca in Prover-
bia Salomonis*; X *Gennadii sive Georgii Scholarii opus contra
Judeos*; XI *Oracula (Græce scripta) gentium Philosophorum
de Theologia Christiana*; XII *Georgii Gemistii Plethonis opuscu-
la quedam*, quorum jam confecit versionem Latinam; deni-
que XIII *Anecdota Græca* varii argumenti, e. g. *Photii fragmen-
ta in Pauli epistolam ad Romanos, Polychronii Prologum in Je-
sbum, Eulogii opusculum de Trinitate & divina æconomia, Nico-
lai Cabasila librum contra Scepticos*.

Venimus ad Latina anecdota, quæ expectari ab se jubet do-
ctissimus Crusius. *Primo* loco promittit novam editionem, eam-
que e MS. codice bibliothecæ Regis Gallix (qui enim adhuc edi-
derunt Arnobium, ii nullo fuerunt usi MS. Codice,) emendatissi-
mam, *Arnobii librorum VII adversus gentes*, quos & comparâ-
bit cum duabus Romanis editionibus rarissimis. Addet notas non-
dum editas Passeratii, Guyeti, Dalecampii, Puteani, Huetii, Buch-
neri, aliorumque. Nec omittet eas annotationes, quæ jam dudum
prodierunt. *Deinde* censuram Harduinianæ Conciliorum colle-
ctionis, a doctissimis viris Lutetiæ compositam, sed non ita mul-
to post Vulcano traditam, cujus vero exemplar unum in manus
Crusii nostri incidit, emittet in publicum additis suis observa-
tionibus. *Tertio* Epistolas doctorum virorum ad J. E. Grabium,
ex autographis descriptas, edet, præmissa vita Grabii, cujus &
epitaphium admodum honorificum hic exhibet. *Quarto* in
medium proferet *Milonis monachi libros* versibus scriptos *de
laude pudicitie & sobrietatis ad Imp. Carolum Calvum*. Ho-
rum & specimen his sistit, Dedicacionem videlicet sive præfatio-
nem. *Quinto* Georgii Ameruzæ, magni Trapezuntis Logothe-
tæ, *Dialogus de fide in Christum, habitus cum Rege Turcarum*,
prodibit in lucem. *Sexto* ineditas adhuc Jos. Scaligeri, Nic. Fa-
bri, & Petri Picherelli *Observationes exegetico-criticas in N. T.*
typis excubiri curabit, adjicietque ob raritatem Pichere-
lli *opuscula Theologica* jam A. 1629 edita. Denique *septimo* est editurus *Hi-
storiam Lutheranismi in Gallia*. Scilicet cum Seckendorfiano

in opere ista pars desideretur, Cl. Autor tum ex editis libris, quorum hic octoginta nominat, tum e MSS. operibus istam concinnaturus est historiā. Colophonis loco exhibet Conspectum Parisiis impressum operis a Franc. Salmonio duobus voluminibus formæ maximæ edendi sub hoc titulo: *Bibliotheca alphabetica instrumentorum ecclesiasticorum*: cujus & specimē exhibens totam hanc Dissertationem elegantissimam concludit.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI
Pocile, sive Epistolæ miscellaneæ. Accedit appendix, exhibens Dissertationes argumenti rarioris.

Tomi III Liber I.

Halæ, in officina Rengeriana, 1729, 8.

Plag. II.

Primus hic liber est tomi tertii *Pociles* Heumannianæ: cujus primo loco exhibetur *narratio de reformatione Lutherana Ecclesie Gottingensis*. Autor ejus est *Joan. Leznerus*, historicus Saxonie inferioris diligentissimus, cujus verba Latinum in sermonem transtulit Cl. *Heumannus*, & hoc supplementum adjunxit illustri illi *Seckendorffii* operi. *Epistola II* sententiam suam, qua *T. II lib. III, p. 421 sqq.* contendit, Joannis Apostoli epistolam secundam scriptam fuisse ad *Cyriam* quandam, non solum suffragio Cl. *Hafæi* munit, sed aliam quoque *Cyriam* e priscis monumentis eruit, itemque *Cyrium* quendam & *Philocyrium*. Ceterum cum ipsi non neino vertisset vitio, quod *Cyriam* illam vocasset *sanctissimam Joannis amicam*, ratus scilicet, non nisi meretrices vocari solere *amicas*; hanc arripit occasionem supplendi *Lexicon Fabri*, & certis ex fontibus docendi, *amicam* dici 1) sceminam cum altera amicitiam colentem, 2) virginem, quam quis honeste amat ac in matrimonium ducere gestit, 3) mulierem, quæ alteri sui corporis copiam facit inupta. Alia quoque eidem *Lexico* adjuncta vult supplementa: e contrario etiam tollens ex eo vocabula aliquot, quæ Latinos in libros inexit librarium inscitia, e. g. *turpificatus*, quam vocem a nemine critico

ejusdem miratur e Ciceronis *lib. III de offic. cap. 29.* Ultimo loco, qui Lutherus quodam in libello sibi velit per *linguas tertias*, exponit. *Epist. III* canon trigésimus quartus Concilii Eliberini, omnium illius Concilii canonum, iudice Albaspinzo, obscurissimus, ita illustratur, ut nunc nihil obscuritatis videatur superesse: adjecta episcopi de Gabr. Albaspinzi & Tobie Pfanneri *observatio- nibus ecclesiasticis.* *Epist. IV* celebre illud *Psalmi CIII, 5: ut recuperes juventutem tuam sicut aquila*, ex Hebraica dicendi ratione explicatur, qua tertium comparationis in comparatione omittitur vel potius subintelligitur. Uti igitur *Exodi IV, 6* hæc verba: *Manus ejus leprosa erat sicut nix*, isto accipienda sunt sensu: *Manus ejus erat leprosa & eam ob causam candida sicut nix*; ita & *Psalmi* verba hunc interpretanda censet in modum: *Esi etate sis provelletior, tantas tamen recuperabis vires, ut juvenis esse videaris, & quidem juvenis robustissimus, aquile simili- lis vigore ac robore.* *Epist. V* certis testimoniis amico cuidam fidem facit, alteram exstare editionem *Val. Andreae Fastorum Academiæ Lovaniensis*: simulque e MS. quadam epistola exhibet vitam *Stephani Gauffeni*, Theologi Salmurienensis præclarissimi. *Epist. VI*, cur Porphyrius Hieronymo atque Chrysostomo dictus fuerit *Batanotes*, investigat, rejectisque aliorum sententiis, etiam novissima illa Ill. Gundlingii, docet, nomen illud ipsi inditum esse ab ipsomet Porphyrio, quippe qui suum nomen operi illi antichristiano non præscripserit, sed sub effictio nomine latere studuerit. Exhibet hinc brevem, quæ primùm hic editur, *Dissertationem Jacobi Thomasti*, qua is contendit, falso Porphyrium vulgo referri inter Apostatas, cum nunquam Christianus fuerit. Quam sententiam & suam facit Cl. Heumannus novisque firmat argumentis. *Septimo* loco exhibentur *Electa epistolica*, hoc est, excerpta e MSS. epistolis Christoph. Forstneri, Tobie Wagneri, Jo. Alb. Portneri, & Jo. Henr. Ursini. Sequitur *Diff. ad 2 Corinth. XV, 29*, de baptizatis *ὕπὲρ τῶν νεκρῶν*. Adductis prius septendecim diversis interpretationibus refutatisque, admonet Cl. Autor lectores, voculam *ὕπὲρ* subinde significare *ultra, præter, post*, atque adeo verba Pauli ita exponit: *Cur super (id est, præter, post, ultra) eos, qui jam mortui sunt, alii quoque baptismum susci-*

*suscipiunt, & ita initiati religionem Christianam profitentur, si tamen nulla erit mortuorum resurrectio, nec melioris vite præmium expectandum est? Quam interpretationem ut ostendat convenire cum scopo Apostoli & concinne cum reliqua oratione cohærere, totius illius capituli repræsentat analysin. Hanc excipit Disquisitio exegetica περί τῶν ἀγγέλων i Corinth. XI, 10 commemoratorum. Scilicet cum inter tot ejus loci interpretationes nulla Cl. Autori satisfacisset, proprii ingenii ope in hanc delatus est sententiam, innui per ἀγγέλους emissarios & exploratores, quos ethnici dimiserint in coetus Christianorum, quibusque adeo nulla erat occasio præbenda calumniandi. Et vocem quidem ἀγγε-
 λος hoc sensu a veteribus usurpatam fuisse, satis manifestum facit: producens etiam testimonium Tertulliani ad probandum, minime caruisse conciones Christianas ejusmodi emissariis. Atque hoc eodem sensu capit querelam summi Apostoli 2 Corinth. XII, 7, de angelo Satanae. Decimus locus tributus est Dissertationi historico-critica, fabulam de Friderico I Imp. a Pontifice Rom. pedibus conculcato refellenti. Potissimum Autoris labor in eo versatur, ut in lucem proferat originem fabellæ: Exemplis igitur, maxime satyricis, testatum facit, picturas persæpe rem gestam, non uti gesta est, sed symbolice repræsentare. Hinc ostendit, sola pictura Veneta niti illam narrationem: ac denique perspicue probat, picturam illam Venetam esse mere symbolice. Postremo loco sistitur Programma scholis asceticis præmissum, quo contendit Autor, summa injuria vulgo negligi in scholis manu-
 ductionem juventutis ad praxin vitæ Christianæ, suisque discipulis præscribit novem regulas, quas si sequantur, eos perventuros sibi persuadet ad pietatem solidissimam.*





FRIDERICI RUYSCHII, ANAT. ET BOTAN.
*Prof. Acad. Cesar. Curios. nec non Regiarum Societatum,
 Angl. & Paris. Membri, Curæ Renovatæ, seu, Thesaurus
 Anatomicus post Curas Posteriores novus.*

Amstelodami, apud Jansonio-Waesbergios, 1728, 4.

Pl. 4 fig. 22. Tab. 3.

Post

Post Curas Posteriores nunc Renovatas sistit Clariss. *Ruyfchius* quas Illustri Regiæ Parisiensi Scientiarum Societati, in quam superiori anno adoptatus fuerat, sacras esse voluit. Pergit scilicet indefessus senex embryones non solum, partes & viscera corporis humani, animalcula, insecta, curioso modo præparare, & vel in liquore asservare, vel sicca condita colligere, & uniuscujusque oculis objicere, sed & plantas, earumque folia, stirpes, fructus, horumque sive indigenorum, sive exoticorum sceleta seu exuvias exhibere, ut quorumlibet canalium reptatus non sine delectatione conspici queat; horumque omnium atque singulorum Indices per Thesauros publici juris facere. In præsentia certe haud pauca occurrunt, quæ in antecessentibus frustra quæsiveris. Sic demonstrat Clar. Autor, musculum deltoidem, qui quotidie operoso labore exercetur, non ex tribus, quatuorve, sed ex quinquaginta vel sexaginta lacertis constare; & tendines ac ligamenta, quæ hactenus pro partibus ex sanguibus fuerunt habita, sanguine copioso turgida & rubra exhibet. Sistit etiam anatomen raparum in exuvias redactarum. Imprimis conspici meretur ramus Opuntiae Americanæ spinosa, cujus vasa usque adeo sunt disjuncta, & excarnata, ut exuviae ejus in quatuor lamellas divisæ librum quasi exhibeant totidem plagulis instructum. Modum sceleris cupis, L. B. quo plantæ, ipsa poma & folia hunc in modum eviscerari queant, audias ipsius Autoris verba, quæ in Dedicacione profert: *Viri sapientia clari, dicit, qui rariora hæc in adibus meis vident, me sæpe interrogant, qui possibile sit, hæc ita præparare? respondeo vero, me hoc efficere ministerio satellitum meorum, quorum opera varia detexi, quorumque auxilio thesauri mei superbiunt. Aliis quidem satellitibus opus, conficere studebam, (quorum nomen melius sit reticuisse, quam indicasse) sed animalcula hæc quam citissime quidem opus suum conficiebant, simulac vero serias concederem peractis laboribus, & vitro purissimo immitterem, quod solis recentè carptis instructum erat, beneficentiam hanc meam deridebant bestiola hæc, mirabar enim, dum eas totas inveniebam quantas tela quadam obductas, hincque coactus eram nolens volens, ingratos hæc ex servitiis meis relegare. Postea inveni aliam satellitum cohortem.*



tem, de quibus meliora sperabam, sed iterum incassum; nam dum eis folia exhibebam, quæ prius in lixivio saccharino maceraveram, appetitu singulari non solum manducabant pulpam, sed & vasa succosa evolvenda. Tum proprios meos satellites, digitos meos, in auxilium vocabam, qui tam bene mandatis obsequuntur, ut omnes, artem hanc conspicientes, obstupescant. Aliquot hanc exuviarum hæcenus nondum visarum exempla tum L. B. communicare hic libet:

EXPLICATIO FIGURARUM TABULÆ I.

Fig. 1 exhibet Exuvias opuntiae Americanæ spinosæ in quatuor lamellas divisæ.

- A. Lamella prima.
- B. Lamella secunda.
- C. Lamella tertia.
- D. Lamella quarta.
- E. Unio omnium lamellarum truncum constituentium.
- F. Spinæ.
- G. Serpens Americanus bicolor jaculatrix.

Fig. 2 sistit Exuvias pyri saccharini.

- A. Vasorum succolorum trunci.
- B. Segmentum corticis residuum.
- C. Pedicellus.
- D. Vasorum succolorum reptatus.
- E. E. E. Pulpa seu Vasorum extrema.

Figura 3 repræsentat sceleton seu exuvias folii hederæ arboreæ.

**COPERNICUS TRIUMPHANS, SIVE DE
parallaxi Orbis annui Tractatus epistolaris ad Celsissimum & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum
CHRISTIANUM, Danicæ & Norwegiæ
heredem &c.**

Havniæ, sumptibus Autoris (1728) 4.

Plag. 7½ Tab. æn. 1.

DUdum agnoverunt Astronomi, Telluris motum annum fore

re demonstratum, ubi aliqua parallaxis fixarum cum eodem concordans observata fuerit. Hinc *Robertus Hooke*, quemadmodum ex ipsius Tentamine de motu Telluris annuo per experimentum probando constat, parallaxin fixarum investigare conatus est, quamvis non satis felici successu. In id etiam incubuit Astronomus magni nominis *Joannes Flamstedius* & parallaxin stellæ polaris annuam sibi detexisse visus est in epistola, quæ legitur apud *Wallisium* Operum volumine tertio. Enimvero cum A. 1689 præclarum hoc, quod videbatur, inventum luci publicæ expositum fuisset, *Cassinus* prior idem ad examen revocans in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1699 ostendit, inter observationes *Flamstedianarum* & Parisienses optime convenire, ex istis tamen parallaxin annuam stellæ polaris demonstrari non posse, cum hæc requirat longe aliam variationem, quam exhibent observationes. Cum epistola ista in Dania innotuisset, *Cel. Ræmerus* a d. 11 Jul. ad d. 3 Dec. 1701 stellam polarem diligenter observavit, & per eas parallaxin fixarum annuam stabiliri non posse agnovit: id quod testantur verba, manu *Laurentii Schive* Administræ tunc *Ræmeri* observationibus adscripta, quæ Autor tractatus hujus epistolæ, *Cl. Horrebowius*, Mathematicum in Academia Havniensi Professor, allegat. Sunt autem sequentia: “Epistola *Flamstedii* de parallaxi orbis annui nuper edita occasionem dedit diligenter rimandi, ecqua foret in altitudine polaris mutatio, quæ ab hac parallaxi dependeret: Dominus *Ræmerus* epistola scripta *Flamstedium* de præjudicio & paralogismo ipsius admodum modestè monuit, se non capere, doceri optare; at tacuit *Flamstedius*. Observationem quod attinet, nos hic ut sumus tubo 3 tantum pedum, qui filis ferreis alligabatur fulcro ferreo, muro firmiter infixo. Tum laquear & tegulæ tecti foramine unciali perforata polarem vel in ipsa meridie spectandam dabant: cum tamen *Flamstedius* tubo 7 pedum instructus illam e conspectu amitti querebatur statim post ortum Solem. Post multum operæ hic collocatum, cum observatio polaris nihil amplius largiebatur, quam initio promiserat, ommissa est & tempus certioribus tributum. Quænam sint certiores istæ observationes, quæ talem exhibent parallaxin fixarum annuam, ut eam sine motu

motu Telluris annuo salvari impossibile sit; ex præsentè Tractata discimus. Denotet itaque T Tellurem in utroque æquinoctio; S & L denotent duas fixas, e. gr. Lucidam Sirii & Lyræ. Confidit Cl. Autor, ubi ex idoneis & certis observationibus probaverit, longius temporis intervallum ad conversionem arcus H EG, interveniente nimirum nocte, requiri, quam opposito anni tempore, interveniente nimirum die, ad conversionem arcus K C I, se desideria doctorum implevisse. Celebravit autem *Ræmerus* observationes suas huic negotio inservientes partim in domo sua, partim in Tusculano suo, quod ab urbe Havana duo milliaria Daniæ aberat versus occidentem. Utrasque in medium affert Autor, illas domesticas, has vero Tusculanas vocans, ac præterea monens, has observatorii domestici & Tusculani admodum fuisse diversas, quarum utramque descriptionem promittit in *Basi Astronomiæ*, suo tempore luci publicæ exponenda. Horologia *Ræmerus* in observatoriis suis ad motum fixarum composuit & tempora transituum notavit ad secunda temporis cum secundorum quadrantibus. Ex collatione observationum domesticarum ab A. 1701 usque ad 1704 factarum, tempus inter transitum Sirii & lucidæ Lyræ per meridianum intercedens, circa æquinoctium vernale colligit hor. 11, 54' 58" 33"; circa autumnale vero hor. 11, 54' 54" 12" : differentia 4' 21" est duplum parallaxeos fixarum annuæ, si inde subtrahantur 21", quantus scilicet est motus ascensionis rectæ Sirii præ Lyræ intra semestris spatium. Concludit adeo Noster ex observationibus *Ræmeri* domesticis, duplum parallaxeos correctum 4 præcise secundorum temporis, id est, unius minuti arcus. Eandem parallaxin A. 1714 ex observationibus A. 1705 & seqq. & deinde ex observationibus A. 1691 usque ad 1700 domesticis se elicuisse refert, quamvis non consultum duxit observationes ipsas in medium afferri. Immo monet, ipsum *Ræmerum* eandem constituisse vi observationum antiquiorum: observationibus enim suis d. 11 Febr. A. 1692 propria manu adscripsit hæc verba Astronomus summus: *quod distantia sive differentia ascensionis rectæ Lyræ & Sirii eadem sit in Septembri & Februario intra quatuor secunda temporis, argumento est, duplum summæ parallaxeos orbis annui utriusque non esse unius*

minuti gradus. Ut vero appareat, quantum observationibus *Ræmeri* fidendum sit, Nosler præterea notat, machinam domesticam firmo sustentam fuisse muro sesquipedem Rhenanum crasso, & inter observationes quatuor annorum adeo accurate convenire, ut situm ejus interea nullam, vel saltem non sensibilem mutationem passum esse certum sit, nec major accuratio ab homine observatore requiri possit. Retinendam igitur esse censet parallaxin orbis annui, quæ ex istis observationibus concluditur, nempe duorum secundorum temporis vel 30 secundorum arcus pro angulo *OLT* vel *LTM*: a qua parum abludit, quæ ex Tusculanis colligitur, unius secundi & 57 tertiorum temporis. Rogat vero Astronomos Parisinos, Anglos, Petropolitanos & observatores ceteros, ut suas quoque observationes super hoc negotio interrogent. Data parallaxi fixarum porro determinat distantiam mediam fixæ a Sole seu Solis a sphaera fixarum *OL*. Etenim in triangulo *OLT* ad centrum Solis *O* rectangulo præter angulum parallacticum *L* datur semidiameter orbis annui *OT*, juxta Nostrum 213086 semidiameterum solarium, seu, sumpta *OT* pro unitate, 6875 semidiameterum mediarum orbis annui. Deducit hinc porro semidiameterum fixæ apparentem minorem uno scrupulo secundo: id quod cum experientia apprime convenit. Mittimus alia nonnulla corollaria, quæ animi gratia addit & quibus absurditatem motus primi in systemate *Tychonico* arguit. Atro carbone notat Pontificios, systemati *Copernicano* infensos; & cum *R. P. Fabry* promiserit, demonstratione a Mathematicis inventa, Ecclesiam declaraturam esse, quod loca Scripturæ in sensu figurato & improprio sint intelligenda, ut illud *Poetæ*: terræque urbesque recedunt; igitur jam contendit, ut declaret, loca ista figurate esse intelligenda, aut, quod consultius judicat, suadet, ut eadem dextre vertat ac commode explicet. Laudat cordatiores Theologorum Protestantium, qui paucis exceptis sæculi semper spectaverint incrementa Astronomiæ. Ipse deinde expendit loca Scripturæ a *Ricciolo* opposita *Copernicanis*, atque ostendit, quod systemati *Copernicano* minime adversentur. Ceterum allata nunc a se demonstratione systematis *Copernicani* nos veram Astronomiam quiete possidere censet, nec obstringi ampli-

MENSIS FEBRUARII A.MDCCXXIX. 69

us, ut ad turbulentorum hominum rixas quicquam reponamus. Si quis enim, quia demonstrationem non intelligit, Astronomiæ veræ oggannire perrexerit, eum tanquam ineptissimum contemnendum esse. Denique usum parallaxeos orbis annui docet in corrigenda ascensione recta fixarum. Commendat eo sine regulam sequentem: Ascensionibus rectis fixarum a media nocte usque ad meridiem observatis subtrahatur parallaxis; a meridie usque ad mediam noctem observatis addatur parallaxis, ut obtineantur veræ. Quanta autem sit parallaxis vel addenda, vel subtrahenda, ex sequente tabula addiscere licet, in cujus marginibus sunt horæ & minuta vicesima ante vel post meridiem; in arcibus vero minuta secunda & tertia parallaxeos fixarum temporis.

A. M. Subtrahe			A. M. Subtrahe		
0. 0	0. 0	12. 0			
20	0. 11	40	20	1. 32	40
40	0. 22	20	40	1. 38	20
1. 0	0. 32	11. 0	4. 0	1. 44	8. 0
20	0. 42	40	20	1. 49	40
40	0. 51	20	40	1. 53	20
2. 0	1. 0	10. 0	5. 0	1. 56	7. 0
20	1. 9	40	20	1. 58	40
40	1. 17	20	40	1. 59	20
3. 0	1. 25	9. 0	6. 0	2. 0	6. 0
P. M. Adde			P. M. Adde		

Præter Basin Astronomiæ, cujus modo mentionem injecimus, premitit etiam Cl. Autor *Astronomiam Danicam* ex observationibus numerosis & accuratissimis *Ræmeri*, Præceptoris sui, atque propriis, jam maximam partem ac difficillimam elaboratam: quam quod cum thesauro observationum *Ræmerianorum* inæstimabili flammis feralibus eripuerit, quæ nuperrime maximam *Havniæ* partem devastarunt, speramus.

70 ACTA ERUDITORUM
DE ÆSTIMANDIS VIRIBUS CORPORUM
juxta quadrata celeritatum, Schediafina; Autore
G. F. RICHTERO.

Quamquam plurimum apud me valuerunt demonstrationes & experientia, partim ab ipso *Leibnitio*, partim etiam ab aliis Viris Clarissimis, *Hermanno*, *Poleno*, *Gravesandio*, iterum iterumque allatae, ad ostendendum, vires corporum juxta quadrata celeritatum æstimari debere; atque etiam a me ipso, in *Novis litterariis*, A. 1723 apud nos publicatis, ad demonstrationem illam responsum est, quam, in *Diario Trevoltino*, contra doctrinam Leibnitianam nectere fategit *Cl. Louvillius*; tamen nescio quid dubii atque hæsitacionis ad hoc usque tempus in mente mea reliquum fuisse fateor, cui nunc demum finem attulit nova demonstratio, ab incomparabili Mathematico, *Jo. Bernoullio*, in tractatu de legibus communicationis motus proposita, atque inde in Acta nostra (Mense Novemb. anni superioris, p. 513) translata: adeo plana ac perspicua, nulli ut erroris suspicioni superfit locus: adeo facilis ac simplex, ut eam nemini adhuc in mentem venisse jure mirati Vir summus videatur. Quam cum studiose pertentarem, num qua ratione labefactare possem, ea occurrerunt, quibus etiam magis veritatem asseri, demonstrationemque Bernoullianam, vel Bernoullianam simillimam, non modo ad obliquos illos, sed & ad quosvis directos corporum concursus, haud difficulter applicari posse, intelligerem. Atque horum nonnulla nunc paucis exponere decrevi. Primum igitur ad hunc modum sum ratiocinatus: si corpus aliquod *a*, perfecte elasticum, in aliud quiescens & pariter elasticum *A* ita directe incurrat, ut post conflictum utrumque corpus ad contrarias partes æquali celeritate feratur, posse methodo Bernoulliana colligi, quæ sit etiam hoc casu virium & celeritatum proportio. Reperi autem, massam corporis *A* triplo majorem assumi debere, quam massam corporis *a*. Deinde sic esse subducendum calculum deprehendi: Incurrente corpore *a* perfecte elastico, velocitate quacunque, in corpus *A* quiescens, pariter elasticum, & triplo majus, reflectetur post conflictum corpus *a* cum velocitate prioris dimidia; & corpus

MENSIS FEBRUARII A. MDCCXXIX.

pus *A*, cum pari velocitate, juxta directionem, quam antea habuit corpus *a*, progredietur. Ergo, cum celeritates amborum corporum jam sint æquales, vires erunt ut massæ; hoc est, vis corporis *A* triplo major erit quam vis corporis *a*. Reliqua igitur erit corpori *a* de illa vi quam initio habuit pars quarta, sed de celeritate pars dimidia. Ergo vis corporis *a* ante conflictum ad viam ejusdem post conflictum se habet ut quadratum velocitatis prioris ad quadratum velocitatis posterioris. Q. E. D. Jam cum videreim, id unum & Bernoullianæ & meæ demonstrationi opponi posse, quod nimis sint angustæ, quippe ad certos duntaxat casus pertinentes, ulterius progrediendum ratus, demonstrationem reperi plane generalem, qua simul & nostra confirmari, & penitus destrui contraria sententia videtur. Ea est hujusmodi: Juxta quam hypothesein, de æstimandis corporum viribus, summa virium post concursum æqualis semper reperitur summx virium ante concursum; (causa scilicet effectui) ea pro vera est habenda: Juxta nostram autem hypothesein res ita se habere deprehenditur; juxta alteram sive vulgarem non item: Nostra igitur vera judicanda est hypotheseis, altera falsa. Priorem propositionem a nemine in dubium vocatum iri arbitror, saltem quod pertinet ad corpora perfecte elastica, de quibus nunc potissimum sermo est. Alteram sic demonstro: Si duo corpora quæcunque, velocitatibus quibuscunque, $AD=V$ & $aD=u$, in puncto *D* concurrant, sitque *C* commune utriusque corporis centrum gravitatis, & illud corpus dicatur *a* (sive majorem habeat massam sive minorem) ad cujus partes motus centri gravitatis dirigitur, alterum dicatur *A*, ac denique *CD* vocetur *p*; erit $AC = \frac{aV + au}{A + a}$, $aC = \frac{AV + Au}{A + a}$, $CD = AD - AC = aC - aD = V - \frac{aV + au}{A + a} = \frac{AV + Au}{A + a} - u = \frac{AV - au}{A + a}$

TAB. I
Fig. 5.

que *CD* vocetur *p*; erit $AC = \frac{aV + au}{A + a}$, $aC = \frac{AV + Au}{A + a}$, $CD = AD - AC = aC - aD = V - \frac{aV + au}{A + a} = \frac{AV + Au}{A + a} - u = \frac{AV - au}{A + a}$

= *p*. Quibus ita constitutis ac denominatis:

I. Si vires sunt ut quadrata celeritatum, erit	II. Si vires sunt ut ipsa celeritates, erit
Vis <i>A</i> ante conflictum = AV^2	Vis <i>A</i> ante conflictum = AV
Vis <i>a</i> ante conflictum = au^2	Vis <i>a</i> ante conflictum = au
Summa $AV^2 + au^2$	Summa $AV + au$

Vis

$$\begin{array}{l} \text{Vis } A \text{ post confl.} = A(V-2p)^2 \\ \quad = AV^2 - 4AVp + 4App. \\ \text{Vis } a \text{ post confl.} = a(u+2p)^2 \\ \quad = au^2 + 4aup + 4app. \end{array} \quad \begin{array}{l} \text{Vis } A \text{ post confl.} = A(V-2p) \\ \quad = AV - 2Ap. \\ \text{Vis } a \text{ post confl.} = a(u+2p) \\ \quad = au + 2ap. \end{array}$$

$$\begin{array}{l} \text{Summa, } AV^2 - 4AVp + \\ 4App + au^2 + 4aup + 4app \\ \quad = AV^2 + au^2. \end{array} \quad \begin{array}{l} \text{Summa, } AV + au - 2Ap + 2ap. \end{array}$$

$$\begin{array}{l} \text{Nam } 4aup + 4app = 4AVp - \\ 4App. \end{array} \quad \begin{array}{l} \text{Sed } 2Ap \text{ nunquam} = 2ap, \text{ nisi si} \\ A = a, \text{ vel si } p \text{ evanescit.} \end{array}$$

$$\text{quia } p = \frac{AV - au}{A + a}$$

Ergo summa virium ante conflictum = summa virium post conflictum: Q. E. D. Ergo summa virium ante conflictum major vel minor quam summa virium post conflictum: quod absurdum. Ergo hæc hypothesis falsa. Q. E. D.

Quod vires post conflictum, juxta utramque hypothesin recte computaverim, nemo harum rerum peritus non agnoscer. Est enim celeritas corporis a post conflictum $= u + 2p$, & celeritas corporis A , cum contraria directione, $= V - 2p$ (aut, si $2p$ major quam V , cum eadem directione $= 2p - V$). Quod si corpora, non ad partes contrarias, sed ad eandem mota, velocitatibus

$$Ad \text{ \& } a d, \text{ in puncto aliquo } d \text{ concurrant, erit } AC = \frac{aV - au}{A + a}$$

$aC = \frac{AV - Au}{A + a}$, $Cd = p = \frac{AV + au}{A + a}$. Reliquisque ut antea comparatis, erit vis a post conflictum, juxta nostram hypothesin, $= a(2p - u)^2 = au^2 - 4aup + 4app$. Hinc summa virium A & a post conflictum $= AV^2 + au^2 - 4AVp + 4App - 4aup + 4app = AV^2 + au^2$, ut prius. Nam, hoc casu, $4AVp - 4App = 4app - 4aup$. Jam calculum eundem ad corpora etiam non elastica applicaturus, summam virium post conflictum addendam esse summam virium ipso conflictu destructarum perspexi. Id enim inter se differunt corpora elastica & non elastica, quod in his

sem-

semper per conflictum aboletur aliqua pars virium & motus; in illis non item: quamvis aliter summo Leibnitio, visum fuisse videatur. Porro eas per conflictum consumi vires certum est, quas contra se mutuo *agendo* & *reagendo* impendunt corpora non elastica, & quibus proinde virium *relativarum* nomen tribuendum cenfeo. Harum autem quantitatem virium non est difficile computare, si consideres, illas semper easdem esse, quæcunque fuerint vires absolutæ, dummodo massæ corporum, & celeritas relativa, quam exponit recta *Aa* (hoc est, summa celeritatum absolutarum in motibus contrariis; vel differentia, in motibus ad easdem partes) non mutantur. Quoniam enim, concurrentibus corporibus non elasticis *A* & *a*, celeritatibus absolutis *AC* & *aC* in ipso centro gravitatis *C*, post conflictum omnis vis & motus cessat, sequitur ut hoc casu vires relativæ & absolutæ æquales sint. Ergo, in quocunque puncto *D* concurrant corpora, vires eorum relativæ semper erunt tantæ, quantæ forent vires absolutæ, si concursus fieret in ipso puncto *C*. Quibus observatis, ceterisque ut supra se habentibus:

I. Si vires sunt ut quadrata celeritatum, erunt

$$\text{Vires } A + a \text{ ante confl.} = AV^2 + au^2$$

$$\text{Vires } A + a \text{ post confl.} = App + app.$$

$$\begin{aligned} \text{Vires relativæ per confl. absum.} \\ = A(V-p)^2 + a(u+p)^2 \\ = AV^2 - 2AVp + Ap^2 \\ + au^2 + 2aup + 2app. \end{aligned}$$

E. Summa virium post conflictum reliquarum & in ipso conflictu destructarum = AV^2

$$- 2AVp + 2App + au^2 + 2aup + 2app = AV^2 + au^2. \text{ Nam } 2aup + 2app = 2AVp - 2App, \text{ quia}$$

$$p = \frac{AV - au}{A + a}. \text{ Itaque patet huius hypotheseos veritas.}$$

II. Si vires sunt ut ipsæ celeritates, erunt

$$\text{Vires } A + a \text{ ante conflictum } AV + a.$$

$$\text{Vires } A + a \text{ post conflictum } = Ap + ap.$$

$$\begin{aligned} \text{Vires relativæ conflictu perditæ} \\ = A(V-p) + a(u+p) = \\ AV - Ap + au + ap. \end{aligned}$$

E. Summa virium post conflictum reliquarum & in ipso conflictu perditarum = $AV + 2ap + au.$

$$\text{Sed } 2ap = \frac{2AVa - 2a^2u}{A + a}$$

nunquam = 0, nisi si $AV = au$, sive si *p* evanescit. Ergo rursus apparet, hanc hypothesin falsam esse.

Addam huic demonstrationi aliam, methodo de *maximis & minimis* innixam, quam perinde ut priorem etiam atque etiam ab iis omnibus considerari velim, qui alteram hypothesein etiamnum amplectuntur. Quoniam concurrentibus corporibus non elasticis A & a in puncto quovis alio quam C , verbi causa in D , semper post conflictum aliquid virium & motus restat, sequitur, ut summa virium absolutarum constanter major sit, si concursus fiat in aliquo puncto D , quam si fiat in ipso centro gravitatis C , ubi vires absolutæ æquales sunt viribus relativis per conflictum absumendis. Jam $A \times AC^2 + a \times aC^2$ minima est inter omnes quantitates $A \times AD^2 + a \times aD^2$; sed $A \times AC$ haudquaquam minima est inter omnes quantitates $A \times AD + a \times aD$. Ergo vires non juxta ipsas celeritates, sed juxta earum quadrata æstimandæ sunt.

Coronidis loco illud adhuc notare licet, in corporibus elastica virtute destitutis, non, si vires directe oppositæ sint æquales, sed potius si habeant proportionem inversam massarum, seu si summa virium absolutarum æqualis sit summæ virium relativarum, illas vires se invicem sustinere ac consumere; nec porro *actiones & reactiones* corporum æquales esse, nisi etiam massæ fuerint æquales. Est enim *actio* corporis A ad *reactionem* corporis a , ut $A \times AC^2$ ad $a \times aC^2$, hoc est, ut $\frac{Aa^2V^2 + 2Aa^2Vu + Aa^2u^2}{(A+a)^2}$

ad $\frac{A^2aV^2 + 2A^2aVu + A^2au^2}{(A+a)^2}$, hoc est, ut $a(V+u)^2$ ad

$A(V+u)^2$, hoc est, ut a ad A , sive in ratione reciproca massarum; quod vereor ne plerisque ingens paradoxum videatur. Sed ratio & experientia sic statuere jubent. Loquor vero de *actionibus & reactionibus* corporum *concurrentium*, & quidem libere atque in spatio vacuo concurrentium; non autem de *actionibus* corporum, quæ alia trahunt vel premunt, vi continuo repetita, & resistentiæ pariter repetitæ æquali. Horum enim aliam esse rationem non arduum est ostendere. De cetero leges ac regulas, quæ observari in corporum concursibus solent, jam inde ab aliquo tempore, non minus sine axioma illo, de æqualitate *actionis*

&

& reactionis, quam sine principio de vi inertia (nam & hanc non satis probare possum) tradere ac demonstrare meis auditoribus consuevi.

DE ARTICULIS, LIGAMENTIS ET MUSCULIS Hominis incessu statuque dirigendis Observationes
AUGUSTINI FRID. WALTHERI, S. M. Polon. Reg. & Elect. Saxon. Archiatri, Prof. Anatom. & Chirurg. Publ. ac Minor. Colleg. Princ. Socii.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil. 1728, 4.

Plag. 18 Tab. 4.

Nondum creditæ sibi spartæ omni ex parte satis se fecisse ac bitrabatur Celeb. *Waltherus*, si ea saltem, quæ aliorum Industria in arte Anatomica detexerat, studiosæ juventuti solemter inculcaret, nisi artem quoque ipsam novis subinde inventis amplificare, sicque in publicum magis prodesse allaboraret. Ea igitur potissimum sollicite indaganda censuit, quæ manca adhuc minusve perspecta, aut ab aliis minus accurate tradita animadvertit. Hisz laboribus præter genuinos glandularum sublingualium ductus excretorios peculiari tractatu alibi in his Actis commemorato descriptos, has quoque observationes ad doctrinam de statu & incessu hominis luculentius exponendam spectantes debemus, de quibus pauca commemorare juvabit. In præfatione præmissa, quousque majorum industria in declaranda harum partium fabrica pervenerit, exponit, ipsumque Galenum, quæ ad genu articulami vinculis idoneis confirmandum spectant; jam tum ita egregie suppeditasse advertit, ut pauca his addenda posteris reliquerit. Nec in pede imo, ubi multo plura magisque implicita occurrunt vincula, omni laude defraudandus Galenus, qui multa eorum indicavit, quæ subinde tamen comparatam Anatomem redolere videntur, unde potiori jure Andr. Vesalium, solertissimum Anatomicum, prædicat, cujus plurimi recentiorum insliter vestigiis, qui nexum ossis tali imprimis accuratius inquirendo piura in medium produxit ligamenta, cæsi subinde sub

eodem nomine comprehendat, quæ tamen in tres distincta partes; si autopsiam conulas, cernuntur, & nonnulla in ossibus cuneiformibus conspicua non adverterit, ac in genere reliqua omnia in metatarso & digitis, sicut in manibus se habere minus accurate contenderit. Neque sine laude præmittendus erat Cl. Joh. Salzmännus, qui in *Dissert. de Articulationibus artuum* plurimè distinxit, et iusto brevius tradens multa scitu digna prætermiserit. Cum vero præter ligamenta pedi devinciendo interservientia, musculi etiam in perficiendo motu mereantur attentionem, de his quoque accuratius acturus, in præfatione de potentia eorundem, indeque eruendo calculo fusius agit. Plurimi mechanicorum vim musculorum absolutam ex reciproca ratione distantie, utriusque perpendicularis articuli centri & lineæ directionis, atque deinde perpendicularis distantie ejusdem centri & lineæ gravitatis, collato pondere, articulo imposito investigare solent, hæcque ratione Borellus non simplices solum musculos, sed compositos etiam & radiosos, deltoideum v. g. glutæum &c. exploravit, angulum musculi externum, atque simul intermediorum musculorum singulum cum pondere dato conferendo. Cui tamen aliam Cl. Varignonius methodum prætulit accipiendo in potentiarum lineis directionum minores, quæ ita collatis potentiis similes sint, atque tum diagonalem parallelogrammatis constructi cum utraque linea, sicut alterutram potentiam cum pondere comparando. Ubi Cl. Autor hanc propositionem in doctrina mechanica usum quidem ferre insignem, multo feliciter tamen in subducendo de viribus musculorum calculo, methodum Borelli succedere monet. Multo adhuc major inter autores dissensus observatur, si de principio tantam his viribus potentiam conciliante queratur. Ingeniosissimus Borellus, multique cum eo alii auram nervorum, tanquam aerem puriorem elasticum, cuique in spatii exiguis virtus satis conspicua est, considerat, fibras vero singulas tanquam ex plurimis machinulis ad formam sphericam levi equatu impellendis compositas intuetur, unde facile patere putat, per exiguam omnino atque fere insensilem auræ elasticæ copiam ad notabile pondus sustinendum posse sufficere. Minus tamen huic hypothese favere videtur ipsa nervorum spongiosorum perpetuo-

pétuoque succo madentium constitutio; qua omnino vis aëris elastica non parum infringitur. Unde potius Nob. Dom. de Berger assentitur Cl. Autor, qui musculorum motus causam primò in fibris transversis, quæ cum nervis dispersis communicant, appositeque fibras directas attingunt & fulciunt, deinde in fibris directis succo elastico turgidis quærendam censet; teste imprimis autopsya, qua carnes nudas in vivis corporibus, oculis nostris oblatis, actione sua in se potius redire, quam distendi, nec inter contrahendum, ac si aëra flatuque tumerent, expandi convincimur. Interim ingenue fatetur multa adhuc superesse, quæ e mechanicis principiis penitus explicari nequeant, ubi cum magnitudine motuum etiam eorundem numerum & promptitudinem; cerebri pariter atque nervorum contextum, horumque dubium sæpe progressum nexumque inter se conferamus. Neque missis etiam his magis a sensu remotis, omnis res expedita est, siquidem & evidentes articularum motus ob ligamenta varie digesta inconstans communiter rotationis centrum præbent, sicque calculum, quo musculorum vis eruitur, admodum dubium reddunt. Dum itaque genu articulum primo perlustrat, postquam externa, lateralia scilicet, & orbiculare cum ipso patellæ osse vicem ligamenti fortissimi sustinentis, ab aliis satis distincte exposita commemoravit, circa ea potissimum, quæ intra ipsum articulum veluti delitescunt, varia monenda invenit. Primum illorum in anteriore ejus parte situm omnes fere Anatomici, præter Vesalium, Platerum atque Bauhinum, neglexere, hi ipsi vero hoc gracile & mucosum in medio articulo collocari; atque a tibia in femur ferri, nec adesse semper, minus accurate asseruerunt. Et si enim subinde injuriis articulo illatis destruat, ceteroquin tamen nunquam deficit, sed ex anteriori cavitate inter femoris capita, minimum circiter digitum latum membranaceum prodit, longitudinalis nomine, quod secundum medii articuli longitudinem pergit, merito insigniendum: ex cavitate educum ad copiosam pinguedinem ossi patellæ subjacenti accedit, atque partim eandem alte subit, medio circiter articuli loco pinguedinem ab utroque latere conniventem, suspensam tenens, partim nonnihil expansum & pinguedinis velo accedente aactum non in os tibiæ, ut Bauhinus asserit, inferitur, sed

cum ligamento transverso connectitur, ejusque veluti triangulare fulcrum constituit. Ex quo situ facile apparet, id potissimum usum ferre, cum crus aut prorsus erigitur, aut genu insigniter fluctatur, ut scilicet tunc temporis pinguedinis motum limitet, ne inter articuli flexus oberret, sed placida ossis & pinguedinis fricatio mutua succedat, sicque mucosus ille liquor articulo lubricando interserviens commode exprimatur. Alterum ligamentum, quod cum hoc connecti antea diximus, ab aliis etiam semicirculare dictum, ob tractum tamen suum rectius transversum nuncupandum, juxta marginem summæ tibie & ejus anteriorem ambitum loco profundo infra pinguedinem sub illo longitudinali transversum fertur. Substantia cartilagineam fere æmulatur, & in medio arcum efformat, atque non solum cum orbiculari atque patellæ ligamentis ab utroque latere concreditur, sed & cartilagineas lunatas necit, sicque cum antea commemorato longitudinali non solum pinguedinis motui dirigendo, sed & potissimum coercendis cartilaginibus lunatis, pro vario femoris motu nunc elevandis, nunc denuo subsidentibus interservit. Non parum vero ad pedem extensum perfecte limitandum, & tibiam quasi e centro necedendam, articulumve in posteriore parte valenter firmandum confert, tertium ligamentorum decussis, quæ contrariis in tibia locis oritur, oppositisque & postremis angulis in cavitate, qua femoris capita disjunguntur, terminatur; quæ non solum proprias origines finisque, quando ossa ad summum extenduntur, firmissime colligat, sed etiam sub exiguo articuli flexu obstat, quo minus a latere externo internoque, aut quaquaversum os cedat. Altera tractatione, qua de articulis & ligamenti sui pedis agere constituit Cl. Autor, generalem de provido naturæ consilio in construendis non solum artificiosissime articulis pro variis, quibus destinati sunt, motuum speciebus, sed & apte disponendis ad eorundem feliciter successum vinculis, in tribus pedis articulationibus quam maxime conspicuis considerationem præmittit, dum femur superiori parte, ut eo ampliorem circumscribere arcum queat, capite ex ejus cervice oblique producto, & in profundam cavitatem insinuato instructum ac ligamento satis pro motus necessitate laxo circumdatum visitur. Imò vero parte, ubi flexio duntaxat & ex-

tenſio videbatur ꝛneceſſaria, in bina diducitur capita ampla ſatis atque robuſta, quibus binæ cavitates in tibia conſpicuæ appoſite reſpondent, atque arte ſatis pluribus coercetur vinculis, ut perparum ad latera ſecedere atque extra ſuos limites evagari valeat. Idem de pedis imi articulo, delineata exactius ejuſdem ſtructure, declarat, ubi eo plura attendenda ſunt ligamenta, quo plura inter ſe oſſa colliganda occurrunt, alia enim omnibus hiſ fere articulis nunc in dorſo, nunc in planta pedis ſuperinſtrata ſunt, ſicque communem illis operam ferunt, accedentibus ſimul peroneorum atque tibialium muſculorum tendinibus, qui peculiaribus inveſtiti vaginis lata ſua expansione ad continendas articulationes non parum conducere videntur: neque tamen hiſ ſatis proſpectum videbatur, unde præter orbicularia cuius propria ſingula oſſa pluribus ſibi invicem copolata deprehenduntur. Inter tria ligamenta a malleolo interno deducta tertium poſtiſſimum perperam hætenus deſcriptum erat, ſiquidem illud cum communi pedis, quod in alas dividitur, confundebant, cum tamen reliquorum more e cartilagine fibroſa & lata natum tum mediæ productioni alaris ligamenti, tum tali cervici, capitiſque ex parte adnaſcitur, & in partem cartilaginei vinculi ſinu inter talum calcaneumque deſinit, atque annulum illum valentioſum pro tranſitu quinq; tendinum extenſorum format, quem ob nexum cum alari plures huic falſo tribuerunt, eſſi illud ſua ſubſtantia & denſa fibrarum ſerie ab hoc communi ac teneriori vinculo facile diſtinguatur. Inter vincula ad fibulam in ſitu ſuo conſervandam, & ad tibiam alligandam collocata poſterior deſtinataque minus negligendum Cl. Autor cenſet, quam ab aliis factum erat, unum ſuperius ligamentum tranſverſum & cartilagineum, quod oblique inſtar zonæ ab interni malleoli parte ad externum malleolum deducitur; deinde vero inferius alterum, teres & robuſtum, quod ad poſtiorē inferioremque ac excavatum tali proceſſum perinde ac ad malleolum externum pertinet, ut ſic pingue orbicularē vinculum in flexu articuli poſterioribus locis crebrius intendendum defendatur, & ipſe malleolus ad moderate inclinandum inferius diſponatur. Pari ſtudio in reliquorum itidem oſſium nexus inquiri, atque multo notatu digna exhibet, quæ tamen ſingula tranſcribere inſtituti noſtri

nostri ratio prohibet; his fere ad gustum lectoris excitandum sufficientibus. Astabre sic ad motum perficiendum, constructis atque colligatis ossibus varia quoque organa, quæ his dirigendis inservirent, erant necessaria, eæ fini tot carnes diversis gaudentes principiis, & in varia denuo loca insertæ commodissime respondent. Ubi vero non sufficere putat Cl. Autor, unico duataxat nunc flectendi, nunc extendendi, nunc ad latera ducendi, usui singulorum destinare musculum, cum ad plures & reciprocas omnino actiones proprio sæpe muneri contrarias pro diverso ossium positu unus idemque musculus concurrat. Quare non iniquum duxit peculiari opera, ad quos potissimum motus singula non minus ossa quam musculi in perficiendo gressu reciproce conspirent, explanare atque fufius demonstrare, quomodo unus articulus, imo sæpius totum flexile corpus, quoad idem osseum & articulis instructum est parti singulæ in gressu aliorum transferendæ subveniat, simulque docere, quomodo singulæ carnes diversis ossibus, & quidem ab utraque musculorum parte, scilicet cujusque fine & principio tam movendis, quam suffulciendis, mutuam atque reciprocam opem frequenter ferant, nec non sibi invicem inter varios motus statusque opitulentur. Quæ certe tractatio iis, quibus sufficiaria de motu corporis nostri cognitio non sufficit, sed potius modum, quo singula peragantur, accuratius noscere student, non minus jucunda ac utilis erit.

JO. JAC. RAMBACHII, SS. THEOL. PROF.

P. O. in Acad. Fridericiana, Commentatio hermeneutica de sensu mystici criteriis.

Jenæ, ex officina Hartungiana, 1728, 8.

Plag. 6.

SUmme Rev. Autor, cujus *Institutiones hermeneuticæ* non mediocri applausu sunt exceptæ, præfatus de vitio cum eorum, qui sensus mysticos ubique locorum venantur, tum illorum, qui per paucis sacri codicis locis mysticum inesse sensum contendunt, §. IV exemplis docet, sensum mysticum & Veteris & Novi Testamenti libris inesse. Probatum hinc it §. V, sensum mysticum plerum-

rumque latere 1) in legibus ritualibus, 2) in historiis personarum V. T. notabiliorum, 3) in præcipuis fatis veteris Israelis, 4) in exitibus liberationibus populi Israelitici ex manu hostium, 5) in insignioribus judiciis a Deo in V. T. exercitis, 6) in excellentioribus beneficiis a Deo in ecclesiam V. T. collatis, 7) in promissionibus bonorum terrestrium, 8) in multis vaticiniis prophetarum, 9) in plurimis canticis & psalmis, 10) in præcipuis eventibus vitæ Jesu Christi (hic ex eo, quod Christus *Lucæ XII, 50*, passiones suas vocat *βάπτισμα*, colligit, baptismum Christi eam habuisse significationem mysticam, ut immerio ejus in aquam significaret ingressum ipsius in calamitates, brevis sub aquis mora sepulturam, emerio ex aqua resurrectionem) 11) in parabolis Scripturæ S. 12) in miraculis Christi. Cum autem hæc videri queant generaliora, §. VI *sqq.* conatur specialiora commonstrare sensus mystici indicia. Supponens igitur, ex virorum *θεοπνευστων* scriptis & exemplis certa constitui oportere criteria sensus mystici, ea criteria dispescit in *interna* & *externa*. Interna rursus alia in *rebus* hæcere docet, alia in *verbis*. Ex *rebus* hæc petenda censet criteria, 1) si nihil in aliis occurrat Dei sapientia magnopere dignum. Unde cum *Levit. XIV, 2 sqq.* modus leproso sanandi talis describitur, qui aptior ad materiam ridendi suppeditandam, quam ad augustas de Deo cogitationes excitandas; hinc concludit, sub isto cortice sensus literalis sublimiora contineri mysteria. Ex eodem criterio cognosci putat, conjugium Hoseæ fuisse actionem symbolicam. 2) Si quid sensus literalis contineat personis virorum factorum indignum. Unde existimat, Simsonis amorem erga puellam Philistæam figurasse Christum ex virgine natum & ecclesiam ex ethnicis colligentem. 3) Si res in V. T. narrentur, admirandis circumstantiis convestitæ, e. g. de leone a Simsone discerpto, cujus in cadavere postea mel fuit. 4) Si circumstantiæ veteris alicujus historiæ evidentem habeant respectum ad aliquam N. T. historiam. Sic in vita Josephi qui non conspiciat expressam Christi imaginem, eum cæcum esse judicat. Ad *verba* quod attinet, §. XIII sensum mysticum esse quærendum censet, 1) quando prædicata tam magnificis concepta sunt verbis, ut in subjectum literaliter acceptum non quadrent, e. g. cum ea de

Salomone prænuntiantur, quæ in solo Christo secundum omnem emphasim reperiuntur; 2) quando prædicata tam amplis verbis vestita sunt, ut in subjecto literaliter accepto non nisi tenui sensu, qui verborum emphasim non exhaurit, reperiuntur. Hinc concludit, quæ in V. T. de Babylonis ac Tyri interitu traduntur, ea Romæ antichristianæ excidium significare & repræsentare. Progressus hinc ad *externa* sensus mystici criteria, in duas classes ea dividit. Interdum enim ipsa Scriptura docet, (e. g. de Melchisedeco,) aliquam rem vel personam divinitus fuisse ordinatam in alterius rei figuram. Nonnunquam vero modo obscuriore sub Spiritus S. ductu pervenitur in notitiam sensus mystici, e. g. cum Christus nomen gerit Davidis & Salomonis, itemque cum ritus Mosæicos, quos constat fuisse umbram rerum futurarum, vel cum Hierosolymitanum templum & singulas ejus partes interpretamur mystice. Sequitur §. XVII quæstio, unde cognosci demonstrarique possit, hanc, non aliam rem per hoc illudve symbolum ex divino consilio fuisse designatam. Respondet S. R. Autor, respici oportere subjectum, & prædicata esse explicanda pro subjecti natura. Hinc apparere, columnam nubis & ignis significare Christum; Isaacum divino jussu sacrificandum figuram Christi gerere; Babelem esse typum Romæ antichristianæ. Ceterum ne quis hac in re justos transgrediatur limites, aliquot cautiones exhibet §. XVIII. Caveri scilicet jubet, ne omnia sensus mystici criteria æque certa putemus; ne certa commisceamus incertis, ingenique lusus pro Spiritus S. sensu venditemus; ne mel mysticum non tam gustemus, quam ingurgitemus; ne amor sensus mystici nos deducat ad contemptum sensus literalis; ne ita adhaerescamus verborum cortici, ut sensum mysticum contemnamus; ne omniscientiam affectemus in excutiendis minutiis; ne cæco impetu prorueamus ad tractationem sensus mystici; ne omnibus promiscue talia proponamus; denique ne otiosam ingenii delectationem, sed animæ pabulum in hoc studio quaeramus. Ipsum tamen Autorem subinde plus justo insistere vestigiis Cœceji & Vitringæ, luxuriantium in hoc interpretandi genere ingeniorum, nonnallos judicaturos suspicamur ex subiecta Dissertatione, hic recusa, cum jam inserta sit *Bibliothecæ Lubecensis*

Voluntati tertio. In ea enim per *hominem, cujus causa Deus non amplius sit terra maledicturus, Genes. VIII, 21*, intellectum vult Christum, quippe in quo Deus sufficientissimam viderit rationem, ut justam maledictionis sententiam revocaret, & qui Adamo primo opponatur, tanquam carens omni labe, seque etiam victimam sistens pro peccatis generis humani.

SAMPUSENDORFII, DE OFFICIO HOMINIS & Civis, secundum Legem Naturalem, Libri duo. EVERARDUS OTTO, Jctus & Antecessor, in usum Auditorum recensuit, & Annotationibus illustravit &c. Accedunt Cl. TITII ad eosdem Observationes.

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. Brodelet, 1728, 8 maj.

Alphab. 2 pl. 4.

Vic Celeberrimus, *Everardus Otto*, dum alternis annis Grotium & Pufendorfium explicare auditoribus suis in more habet, magis in eorum commodum fore intellexit, si, quarum summa tantum capita memoriz causa dicere antea solebat, animadversiones suas typis paulo plenius exscribi curaret, quam si calamo exciperdas breviter tradere pergeret, multosque tamen experiretur scribendi molestiam subterfugere, alios mendose scripta circumferre, quosdam scripto contentos, quid eo comprehendantur, haud multum curare. Ab aureo itaque omniumque cordationum judiciis probatissimo libello hoc Pufendoriano initium faciendum ratus, talem in eo recensendo atque illustrando collocavit operam, ut, quod tamen modeste præfatus est, haudquam in usum & utilitatem solum Auditorum, quin imo cujuscunque generis lectorum, scripsisse videatur, neque egregie profusus huic industriæ officere possint, quæ in hoc brevium extant, aliorum curæ & annotationes. Restat non exiguum in juris naturalis disciplina tot quæstionum adhuc dubiarum spicilegium, quarum solutioni nihil magis impedimento est, quam quod in plerisque causæ conjectio vitio laborat, nec ad solidas huc duntaxat descendunt rationes. Quare id negotii sibi datum esse intellexit Noster, ut statu cujusque controversiæ recte collocato, rem

breviter definiret, tum perspicue exciperet, & rationes deinceps adjiceret adæquatas. Nec vero prætermisit, quæ vel diligentiam Autoris effugerant, vel in quibus ab ejus traditis rectius disceditur, aut ubi fortioribus argumentis utendum esse sentiebat, in quibus licet alii jam studium posuerint, ipse tamen meliorem plerisque lucem affundere, aut clarius exculta novisque rationibus munita studuit efficere, quin & recens attulit haud pauca, & veterum sapienter dicta copiose adscripsit. Enimvero id imprimis superesse videbatur, ut Juris naturalis doctrina magis ad usum & intellectum legum civilium, Hebræarum, Græcarum, maximeque Romanarum, applicaretur, quo plenius tandem appareret, eas non vana hominum existimatione, sed ratione arteque constare. *Quod si iisdem*, inquit Noster, *ex aurea illa simplicitate naturali, sicuti conveniunt, robur ac pondus addamus, ubi vero ab ea discedunt, ex vario Reipublicæ statu diversisque motibus animorum, discriminis rationes investigemus, spes erit, posse corpus Juris civilis, ex tot millenis centonibus male confutum, suaque dignitate orbatum, uno rationum vinculo iterum copulari, & quodammodo nitore suo restitui.* Hunc itaque præclarissimum longe laborem attulit Vir doctissimus ad Jurisprudentiam universalem, ut hujus in jure civili usum, simulque juris civilis in studio juris naturæ abusum luculenter monstraret. Hac sollicitudine, in singulis juris naturalis capitibus & argumentis, juris positivi placita & sententias Jurisconsultorum diligenter contulit, eaque, quæ sunt ex proprio jure naturali, quod humana ratio inter omnes gentes constituit, ab iis, quæ diverso sensu juris & rationis naturalis, & naturalia esse, in jure civili dicuntur, pariterque ab iis, in quibus jus Romanum quasi scriptam rationem imperiti crepant, accurate discrevit. Quam vero beata foret Jurisprudentia, quando eadem via incedere nunc aliis allubesceret, ac, veterum exemplo, philosophari pergerent Jurisconsulti, quo rationes juris civilis veræ, & excellentia juris naturæ, & fines legislatoris potestatis, una cum legum ferendarum prudentia, in pleniori tandem luce collocarentur! Ceterum de ipso libelli Pufendorfiani contextu ejusque lemmatibus appositis indicandum est, repræsentatam esse emendatissimam editionem, quæ anno abhinc sexto prodijt

Tra-

Trajecti ad Rhenum. Accesserunt in calce celeberrimi in Academia nostrate quondam Antecessoris; Gerh. Gottlieb Titii, nostri per plures annos in recensendis Juris scriptis Collegæ fere unici, Observationes, non solum propter earum in Belgio raritatem, sed & propter præstantiam & conspicuam ad libellum Pufendorfianam utilitatem.

SIEGM. REICH. FAUCHII, J. C. MISENENSIS,
Meditationes Criticæ de Negationibus, Pandectis Florentinis partim recte vel male jam adjectis, aut detractis, vel circumscriptis, tam in MScripto, quam variis Editionibus, &c. partim etiamnum adjiciendis, aut tollendis, aut transferendis, &c.

Amstelædami, apud Jansonio-Wacsbergios, 1728, 8 maj.

Alph. 1. pl. 3.

MAxime utile omnibus esse his, qui aut in foro, aut in scholis Jus Civile tractant, agentis negantisque scripturæ varietatem e Digestorum libris auferri, jam olim censuit Vir incomparabilis, Ant. Augustinus, & ipsa res loquitur: idemque labor & ipsum illum Tarraconensem Præsulem & præstantissimos quosque diu multumque exercitos habuit Jurisconsultos. Cum vero, quæ illi protulerunt, sparsim tantum singulis observationibus & emendationibus nulloque ordine hucdum extiterint: maximam ab omnibus Juris Romani studiosis gratiam initurus erat Conf. Autor, etiam si sola collectoris opera defunctus esset: id quod tamen minime habuit satis: verum, alienis curis in unum locum congestis ac rite dispositis, ipse censuram atque recentem suam operam adhibuit, ac, per totum Digestorum opus, momentosum illud negativæ orationis examen, multorum annorum improbo labore, plenius absolvit. Summa jam laude cumulas reddidit has lucubrationes judicium Viri Illustris, Corn. van Bynkershoek, *elegantioris Jurisprudentiæ haud parum sibi interesse videri, ut opuscula isthæc, docta non minus, quam laboriosa, typis quamprimum describerentur*, quod in epistola ad Nostrum refert Cl. Wielingius. Neque sine admiratione intelligas, Autorem, postquam inter fori jurgia prius conseruit, hoc, non vulgaris, sed elegantioris & solidæ Jurisprudentiæ, multæque eruditionis &

subtilis iudicii opus tam elaboratum, tam concinne scriptum edidisse, cum iam septuagenario septem annis esset major: ut merito præfationi adscripserit elegantem illam sententiam, cujus memor solam discendi cupiditatem vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxerat senex iste consultor apud Pomponium in l. 20 ff. de fideic. libert. Quinque vero sunt, in quæ potissimum operam se intendisse Noster profitetur: primum, ut Pandectas Florentinas a negationibus falsis, quæ partim incuria librariorum, partim prava emendatione Autorum vulgatæ, Haloandri & Lælii Taurelli irrepserunt, repurgaret: deinde, ut negationes, quæ illis adhuc deesse viderentur, cum aliorum auctoritate, tum & propria industria & ingenii solertia suppleret: porro, ut veras negationes, quæ Pandectis illis recte insunt, a correctione aliorum defenderet: quarto, ut prohiberet, ne non necessariis & superfluis negationibus, quas alii inferendas volunt, Pandectæ contaminentur: denique, ut infinitæ concertationes de vero legum intellectu, a varia lectione affirmativa vel negativa ortæ, cessent tandem & consopiantur. Huc illud commodi accedere ait, ut studiosos Juris non amplius lateat, quid in corpore Juris Dion. Gothofredi, quod fere solum nunc scholas & fora occupavit, sibi velint, & quibus autoribus adjectæ sint legibus plurimæ negationes, aliæ parenthesi, aliæ virgulis inclusæ, aliæ alio signo notatæ, cum Gothofredus hac de re lectorem admonere, secus ac Taurellus & Russardus prudenter fecerant, male neglexerit. Ipsa tractatio, in capita XVIII distincta, tribus partibus absolvitur. Parte I agit Autor de negationibus per emendationem recte vel male jam adjectis vel detractis vel circumscriptis: & quidem negationes in Pandectis Florentinis MScriptis *male omisas*, sed ibidem per emendationem *recte suppletas*, cap. I; quasi per emendationem *male adjectas*, unam, cap. II; negationes in iisdem per emendationem circumscriptas vel indutas & deletas, cap. III; negationes ab autoribus vulgarum editionum adjectas vel detractas, cap. IV; a Gregorio Haloandro adjectas vel detractas, cap. V; a Lælii Taurelli in parenthesi adjectas vel detractas & plane omisas, cap. VI; ab eodem, tanquam superfluas, hoc signo \lessdot \gtrdot inclusas, cap. VII; a Ludov. Russardo

fardo virgulis; hoc modo: ||· || inclusas; cap. VIII. indicat.
 Parte II. recenset negationes etiamnum adjiciendas vel tollendas,
 vel transferendas ex sententia Interpretum, & quidem Guil. Budæi,
 cap. IX, Andr. Alciati, cap. X, Ant. Augustini, cap. XI, Franc. Zo-
 annetti, cap. XII, Jac. Cujacii, cap. XIII, Franc. Hotomanni, cap.
 XIV, N. a Salis, J. C. Gallici, cap. XV. Neque inobservatas reli-
 quit negationes, quas Conuanus, Goveanus, Donellus, Petrus &
 Antonius Fabri, Pandectis addere vel demere voluerant. Sed quia
 illas non adeo multas, atque nullas earum nec recipiendas, nec de-
 trahendas sensit, ideo de singulis seorsim dicere superfedit. Atque
 his hactenus absolvit partem libri, ut ipse vocat, magis historicam
 & ad inventionem aliorum pertinentem: in qua tamen ubique ju-
 dicium suum uno verbo, atque his fere particulis: *Reste*; *Male*;
Frustra; adjunxit, & rationes plerisque locis breviter subnotavit,
 collatis simul aliorum, atque etiam nostri seculi Jurisconsultorum,
 Noodtii imprimis, Bynkershoekii & vande Water sententiis & ob-
 servationibus. Sequitur Pars III, de negationibus adhuc adjicien-
 dis, vel tollendis, vel transferendis ex censura & recenti opera
 Autoris: atque iterum negationes in Pandectis Florentinis male
 omittas & adhuc supplendas, *septem fere & quadraginta*, cum
 auctoritate vulgarum, quam Taurellus aliquando neglexit, tum
 præstantissimorum Interpretum sententia, tum & propria explo-
 ratione, ostendit, cap. XVI; abundantes vero atque adhuc tollen-
 das, *duas & quadraginta*, cap. XVII. demonstrat, quas partim
 antiquus librarius Florentino MSto, partim Taurellus editioni
 suæ emendandi causa male adjecerunt, partim quæ ex imperitia
 aut errore eorum, qui exemplar Florentinum perscripserunt, ad-
 missæ sunt, & a Taurello partim, ut suspectæ, notatæ, partim ju-
 dicio Interpretum & Autoris sententiæ alienæ sunt & expungendæ.
 Denique cap. XVIII. negationes præposere positas librariorum
 vitio, ideoque transferendas, *quatuor locis*, suggerit, plurimas
 quidem, quæ transferendæ videantur, alias habiturus, si, quæ in-
 solito J. C. torum stylo admissa sunt, addere præsens instituti sui ra-
 tio tulisset. Hisque tribus capitibus potissimum Autoris studium
 & judicandi solertia, ususque hujus disquisitionis, in vera lectione
 veroque legum sensu inveniendò, elucescit. Servavit autem ordi-
 nem:

nem Pandectarum, atque singulis legibus exscriptis, quæ bene ab aliis dicta & reperta judicat, in unum collata iustis rationibus confirmavit; quæ sibi primum visa & inventa, ut sunt pleraque, a reliquis particula: *Nove*: discreta, apposuit. Nos horum præcipua quædam, speciminis ergo, dabimus. Statim in *Constit. de Concept. Dig. §. 5.* verbis: *sed totam nostram esse volumus, quid possit antiquitas legibus nostris abrogare*: post verbum, *volumus*; addita negatione, legendum docet: *ne quid possit antiquitas*; sicut legitur in Codice, *de ver. Jur. enucl.* ubi hæc Constitutio integrior habetur: simulque monet, id non observasse Laur. Theod. Gronovium, multa temere emendantem. Frustra ergo interrogative vulgo legitur: *quid possit antiquitas?* cum interrogatio parum hic conveniat. Elegantem non minus emendationem obiter postremis verbis adhibet, nemini antehac observatam: *nostris legibus abrogare*; non, ut jam legimus: *abrogare*. Non enim dicimus: *Legibus abrogare*; sed: *leger*. In *l. 18 commun. prædior.* primus vidit, in versu: *Cum enim*; legendum esse: *nec perinde habetur*; non, ut omnes legunt: *sed perinde habetur*; qua quidem emendatione Paulum a contradictione in *ead. l.* liberat: docet vero, librarium hic per errorem pro: *nec*, excepisse: *sed*; quemadmodum in *l. 10 de hered. instit.* scripsit: *sed*, pro: *ex*; deceptumque esse eo, quod superioribus verbis præcesserat: *perindeque sit*. In *l. 9 de pign. & hypoth.* itidem primus demonstrat, legi debere: *quas eotempore, quo pacifcebatur debitor, in bonis non habuit*; nisi velimus, ineptire Cajum: idque confirmat tum ex connexionione hujus legis cum tribus præcedentibus, tum ex *l. 29 ej. tit.* In *l. 25 de donat. int. vir. & ux.* quam valde difficilem vocat Cujacius, utpote varie corruptam, Autor noster omnia plana facit, in versu ultimo legens: *licet non mortis causa donatio interveniat*: unum vero eundemque prorsus casum in tota lege tractari ostendit, ut male Cujacius cum vulgata putaverit, in primo legis versu legendum absque negatione: *etsi mortis causa donaverit et*; deceptus nimirum verbo, quod sequitur: *impedietur*; pro quo Noster legendum suadet: *impedietur*. In *l. 59 de legat. 5.* in fine ita emendat: *quod semel ad me pertinere voluerim*; pro: *voluerim*: respiciunt enim hæc ad verba superiora: *egoque legatum*.

tum, quod mihi datum est, repudiam: cujus dubii vitandi causa jam nonnulli veterum, quos Accursius laudat, legerunt: voluerit, scilicet, testator: idque Haloander secutus est, & Cujacius male probavit. Nunc autem nova plane exurgit legis hujus sententia, nempe, quod, licet vivo servo, conditione existente, legatum a me repudiatum ex persona ejus ad me vellem pertinere, illud nullo modo meum fiat. In l. 10 pr. de cond. & demonstr. in fine legit: *nondum impletam conditionem, quam defectam, i. e. magis nondum impletam, quam defectam esse; ut Celsus loquitur in l. 1 de reg. Cason. Esse datum legatum, verius est, quam inutiliter datum.* Atque ita elegantius in h. l. legit Noster, quam Cujacius, negationem simpliciter referendam, & legendum: *non defectam; ratus.* In l. 95 §. 3 de solution. versu: *Nam si minori, perplexum ænigma, quod omnes male habuit interpretes feliciter solvit, legendo: difficile est dicere, causam juris honorarii, qua potuit auxilio minori esse, non retinere fidejussoris obligationem.* Claudat exempla negationum Pandectis novæ additarum insignis restitutio veræ lectionis l. 109, de reg. jur. in qua indigne a librario delusi frustra hucdum deludarunt omnes interpretes. Noster enim legit: *Non nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere potest;* pro quo librarius male auscultans scripserat: *Nullum crimen.* Sic & Paulus in l. 33 §. 1 de fideic. libert. *Non nullam enim penam & hic patitur.* Et sic regula d. l. 109 Edicto Prætoris optime convenit, quo pater, qui non prohibet filium, lugentem maritum uxorem ducere, pena infamia afficitur, l. 1 ff. de his, qui not. infam. ex quo Paulus hanc regulam colligit: *quod non nullam crimen, h. e. imputationem alicujus criminis & penam, patitur is, qui non prohibet, cum prohibere potest.* Docte sane & præclare: ut nihil jam frigidius appareat novo illo intellectu, de patientia criminis in se admitti, quem ex h. l. extorquere voluit acutissimus ceteroquin regularum interpret, Jac. Gothofredus. Jam alterius industria, detrahendis negationibus navata, vel tria produxisse specimina fortassis sufficiet. In l. 11 pr. de serv. corrupt. tollit negationem a verbis: *postea furta facta in estimationem non venire:* rectissime, ut postrema ejusdem legis certo indicant. In l. 34 §. 4. de jurejur. positionem aperte falsam,

ceterisque de re eadem legibus adversam, corrigit, reponendo: *hoc iurandum de calumnia æque patrono atque parentibus remittitur; ubi legit liber Florentinus: neque patrono, neque parentibus.* Quamvis autem jam prius vulgarum autores hoc mendum viderint, scripserintque: *æque patrono parentibusque:* rectior tamen est, qua Noster utitur, emendatio, cui etiam verosimillimam erroris a librario admissi causam subjicit, parique fere ratione commodissimam & lectionem & explicationem affert in *l. 43 solut. matrim. hanc: æque habebit mandare actiones; pro: neque habebit.* Depravatissimam lectionem in *l. 29 de vulg. & pup. subst.* ita restituit: *Lex Cornelia ad pupilli substitutionem pertinet, ac si reversus in civitate impubes decedat: quo pacto omnia aptissime cohærent, nec discrepat Papinianus in l. 11 in fin. de captiv. & postlim. modo ibi verba: non alias, quam si apud hostes, accipiantur ita: non secur, quam si, sive: perinde, ac si.* Hujus vero legis *29 de vulg. & pup. subst.* depravationem ipsorum compilatorum facinori adscribendam iudicat; hanc Scævola legem ex male intellectis *d. l. 11 §. 1 de captiv.* quæ paulo ante adduximus, verbis interpolantium, bona hac in mente, ut Scævola Papiniano conciliarent, securi de ratione illius contraria. Et similes interpolationes Noster observat, cum in *l. 10 de vulg. & pup. subst. pro: non incommode dicitur; repositum: non commode; in l. 57 mandat. pro: non inutiliter; scriptum: non utiliter; animadvertit.* Negationum transpositarum exemplo contenti erimus uno. In *l. 15 §. 3 de L. Corn. de fals.* in fine legimus: *Quæritamen debet: an æque subsequendi necessitas & honesta excusatio est, non facientibus, quod non sit concessum.* Noster vero negationem, loco motam, sic restituit: *excusatio non est facientibus, quod concessum non sit?* ut hæc per modum quæstionis accipiantur: quod quo commodius fiat, tuto legendum suadet: *nonne est?* pro: *non est?* particula *ne*, obsequens est forte hoc modo *elisa: nonne est?* Porro & superiorem illam particulam interrogativam: *an?* alienam & tollendam esse, bene admonet: cum sit, indicio Taurelli, addita per antiquum librarium in MSto Florentino, unde quondam absuerat: & absuerat recte quidem, cum sola inferior negatio sufficiat & interrogando affirmet, idque magis, si accedat particula: *ne:* quod si vero præ-

mit.

mittas particulam: *an*; sequens negatio non amplius affirmabit, sed ex stylo Jctorum potius vim negandi suam retinet: quod alibi a se explicatum iri, spondet. Vehementer vero optamus, ut ne doctissimi ac solertissimi senis nostri, cum, quarum in præfatione spem facit, emendationes Pandectarum, tum & enodationes legum, quas cap. XVI p. 291, pollicetur, fata nobis invideant, aut senectus, consiliis melior, sed viribus ægra. Ceterum & cum Nostro Clarissimum Brenemannum iterum compellamus atque publico nomine obtestamur; ut, promissi memor, Annotationes Taurelli & suas, diu satis suppressas, quamprimum proferre velit, quo de lectione Manuscripti Florentini certiores tandem esse queamus.

JO. BUGENHAGII POMERANIA; EX MANUSCRIPTO EDIDIT JAC. HENR. BALTHASAR, S. Theol. D. & Prof. Ordin. Consistorii Regii Assess. & ad eadem S. Jacobi Pastor.

Gryphiswaldiz, sumtibus Jao. Löfleri, 1728, 4.
Alph. 1 pl. 5.

VALENTINI AB EICKSTET, CANCELLARII quondam Ducum Pomeraniæ citer. Epitome Annalium Pomeraniæ & vita PHILIPPI Duc. Pomer. citer. ex MSptio edidit D. JAC. HENR. BALTHASAR.

Ibid. apud eundem, 1723, 4.
Plag. 22.

ALBERTI GEORG. SCHWARTZII, IN ACADEMIA Gryphica Professoris honorarii &c. Historia finium Principatus Rugiæ. Accessit Specimen Diplomatum Rugianorum.

Ibid. typis Höpferianis, 1717, 4.
Alph. 1 pl. 6.

Singulari Pomeranorum felicitate accidit, ut, quæ a longis annis nihil incrementi habuit illorum historia, intra unius fere anni spatium tribus libris fuerit locupletata. Priores duos, hætenus in MSptis latentes, primus nunc in lucem produxit S. R. *Balthasar*,

qui & iisdem nonnihil præfatus est; ultimum singulari industriae doctissimi *Schwarzii* debemus. De singulis pauca, imprimis cum copia historicorum operum seculo hoc, vere historico, prodeuntium breves nos esset jubeat.

Antiquissimus fere inter rerum Pomeran. scriptores censendus est *Bugenhagius*, qui ut, quæ huc facerent, factis passim per Pomeraniam itineribus, conquireret, a Bogislao X Pom. Duce jussus erat, quod Fridericus Sapiens El. Sax. in instinctu Spalatini sui, qui Saxoniarum Chronicon scripturus erat, a Bogislao per literas petiisset, ut genealogiam & res gestas Ducum Pomeraniarum secum communicaret. Cum vero non nisi vulgares ubique libellos deprehenderet *Bugenhagius*, quos in Saxoniam mitti puderet, ipse excussis scriniis historiam hanc a primis initiis ad A. 1515 conscripsit: quo tempore (absolvit autem M. Majo 1518) cum nondum Autor de Lutheri doctrina, quam biennio post amplexus est ac magno cum ardore defendit, innotuisset, mirum non est, eum in hoc opere adhuc probasse, quæ deinde detestatus est, quanquam non paucos Ecclesiæ suæ errores tum quoque agnovit, adeo ut inter testes veritatis merito locum inveniat. Ceterum historiam hanc e documentis authenticis Principumque diplomatibus ac variorum monasteriorum schedis, non sine molestia, de qua in præfationibus suis conqueritur, collegit. Præmissa est Genealogica Ducum Pomeraniarum tabula ex *Bugenhagio*, in qua sæpe ab aliis Autoribus dissentit. In imprimendo opere secutus est Cl. Editor exemplum, pro authentico venditatum, quod est in manibus Christiani Nettelblat, J. U. D. & Prof. in Academia Gryphica; consuluit tamen etiam cum fructu alterum, quod e bibliotheca Meyeriana redemit Ill. Uffenbachius, & addidit quoque sub finem supplementa ad Bugenhagii Pomeraniam, quæ in Epitome ejus A. 1580 ab anonymo exarata, & Statini in Bibl. Liebericiana exstante, deprehensa sunt passim inserta.

Quanto illustrioribus in aula Pomeraniarum Ducum officiis functus ac penitus ad archiva intromissus est, tanto magis præ ceteris commendari meretur *Valentinus ab Eickset*, natus, ut ex ejus epitaphio, quod Gryphiswaldiæ existat, patet, A. 1527 & denatus 1579. Proceedit is in Epitome, hic primum edita, ab A. 1478 ad 1549, in qua ea imprimis legi merentur, quæ Autoris ætate gesta sunt, &

quo.

quorum ipse pars magna fuit. Præmissa est ejusdem Genealogia Ducum Pomeraniæ & subjiciuntur præter vitam Philippi I, antehac quidem A. 1618 a Jurga - Valentino Winthero, sed imperfecte, editam, eandem ob causam lectu imprimis dignam, Catalogus Episcoporum Camminensium & descriptio Pomeraniæ admodum quidem brevis. Monendum tamen, eundem Autorem Annales quoque Pomeraniæ vernaculos, circa A. 1570 absolutos & hæcenus ineditos, reliquisse, quibus uberiores urbium Pomeraniæ descriptionem addidit. Parum vero abfuit, quin adhuc laterent Latina illa scripta, codicibus plerisque ita descriptorum incuria depravatis, ut Cl. Editor de opere edendo prope desperaret; cum Vir Amplissimus, Matthias Henr. Liebeher, Consul Stetinenfis, de instituto Nostri certior factus, ultro ei non modo transmisit suum Codicem, qui, licet & ipse passim mutilus esset atque corruptus, multa tamen suppeditavit egregia ad operis puritatem ac integritatem summe necessaria, sed & Codicem, a Viro Cl. Andrea Westphal, Histor. & Moral. in Academia Gryphica Prof. Nostro benevole concessum, cum duobus aliis antiquissimis, quos Stetinum servat, collatura, a mendis quamplurimis purgare dignatus est.

Denique inter Scriptores nostri temporis egregie, edita Commentatione Historico-Geographica, de Historia finium Principatus Rugiæ meritis est Clar. *Schwarzii*, qua, ut titulus loquitur, facies finium antiquissima delineatur, & variæ mutationes, amplitudinis vicissitudines ceteraque memorabilia huc pertinentia ex probæ fidei monumentis, scriptis coævīs, diplomatibus aliisque vetustis chartis a medio XI Seculi ad usque tempora hodierna Chronologico ordine ob oculos ponuntur, & commentationibus etymologico-critico-historicis illustrantur. Nam cum præter *Bartoldi Krakovitzii* Orat. de Insulæ Rugiæ præstantia, Gryph. 1622, 4, *Ge. Christoph. Lemmii* Dissp. duas de Rugia Insula, Witt. 1678, 4, & Relationem brevem de Insulæ Rugiæ per Kœnigsmarkium liberatione 1678 Sündiæ in 4 germanice editam, exiguos libellos, ut & *Ern. Henr. Wackenröderi*, Præpositi hodie Leutizensis, Chronicon Rugianum MS. nihil fere de hac Insula profert, utique laudem meretur Cl. Autor, quod superatis difficultatibus omnibus, quicquid sparsim apud alios & e monumentis ineditis de patria sua collegit,

luculenter disposuit, originibus imprimis diligenter excussis, & autoribus probe conciliatis. Adjecit quatuor diplomata, specimina Rugiæ diplomaticæ, ad modum Pomeraniæ diplomaticæ Rango-
nianæ edendæ, quam ut quam primum feliciter absolvat, ex animo precamur.

PHILIPPI FRIDERICI HANE, HIST. ECCL. ET Profan. Prof. Publ. Ord. in Acad. Kiloniensi, Consilium de Studio Histor. Eccl. apud Protestantes nostrates per Commentarios perpetuos & paulo pleniores a se concinnandos, Fontesque hujus studii genuinos recludendos, promovendo amplificandoque.

Hamburgi, apud Theodor. Christoph. Felgineri viduam, 1727, 4. Plag. 6 $\frac{1}{2}$.

Librum sistimus mole parvum & exiguum, qui Historiæ Ecclesiasticæ Novi quidem Testamenti plenioris condendi Systematis consilium aperit, eoque nomine dignum, qui in Actis nostris locum inveniat. Plane autem relictis, quæ de Historiæ Ecclesiasticæ Professoribus, qui a structa seculo superiori Academia Kiloniensi, justa subinde successionis serie ad præsens usque Seculum se sibi exceperunt, eorumque in commendatissimum illud studium meritis, nominatim illis *Tribbechovii & Kortholii*, in Præfatione ad Lectorem habentur, eorum hic nobis injicienda est mentio, quæ de *facie studii Historiæ Ecclesiasticæ apud Protestantes nostrates hodierna* Capite I Autor Cl. disserit. Et primum recte omnino monet, non deesse hic nobis Virorum eruditionis laude præstantium labores hodegeticos, qui ad cognoscendum Historiæ Eccl. apparatus & comparandam Scriptorum illius argumenti notitiam præprime faciant, e quorum numero Caveum, du Pinium, Oudinum ex exteris, ex nostratibus, Slüterum, Sagittarium, Bosium, Ittigium, ut reliquos taceamus, produxit; seorsim deinde de Protestantium & quidem Nostratium studio meritisque in Hist. Eccl. dicturus, præcipuam iis laudem & gloriam deberi, ait, quod primi post repurgatam Evangelii doctrinam illi fuerint, qui Ecclesiæ fata hæcenus oblivione sepulta & tenebris in lucem proferre, conati fuerint. Huc relati ab Autore leguntur Centuriarum, quæ a Magdeburgo, ubi plurimum confectæ fuerunt, vulgo Magdeburgenses dicuntur, Autores, quorum certe conatus plane eximius extitit, quique tantum in temporum illorum caligine præstitisse dicendi sunt, quantum vix expectari ab iis poterat, qui primi ad condendum universæ Hist. Eccl. opus accesserant. Centuriatorum laboribus egregie adjuncti, longe majus ab ista ætate nobilissimo huic studio in Academiis præmium statuere, & majori, quam antea, in elaborando poliendoque illo industria versari cœperunt Doctores; quod præcipuarum in Germania Academia-
rum eorumque, qui in iis docuere, exemplis probat Autor Cl. Erant vero ex iis, quorum ad universum Hist. Eccl. ambitum labores referri debebant;
erant

erant & alii, qui Historiæ particularis argumenta excutienda sibi sumperant, De posterioribus dum prius differit, hoc nomine eos potissimum indicat, qui vel historiam Eccles. certorum temporis intervallo, certorumque locorum libris complexi sunt, e quibus Ittigium, Ill. Seekendorffium, Jagerum, Leuckfeldum, Reithmeierum aliosque complures fuisse, constat; vel qui unum alterumve Historiæ Eccles. caput singulare elaborandum susceperunt, atque adeo in describenda vel Heresiologia, universali, aut particulari, vel persecutionum, vel Conciliorum Historia occupati fuerunt. In illorum priorum, qui universum Historiæ Eccles. campum emetiri conati sunt, numerum tum Compendiorum Scriptores, tum eos refert Autor Cl. qui integra Systemata & Commentarios moliti sunt. Certe fuisse constat, eosque non paucos, qui studium illud in Compendia coegisse, dicendi sunt, e quibus iisdemque recentioribus, Joh. Pappum, Adam. Rechenbergium, Joh. Andr. Schmidium, Christian. Junckerum, Matth. Pfiffium aliosque laudat. At vero qui a Christi illud nativitate ad nostram usque ætatem pleniori Systemate, Commentariis & Annalibus tradidisset, præter Centuriatores Magdeburgenses ex nostratibus hucusque inventus est nemo. Tantum vero abest, ut vel ideo deficientem & remissorem hac in parte nostratum industriam incusare, fas sit, ut potius alix exque graves causæ tot tantosque labores suscipiendos perficiendosque impediverint. Certe Christiani Kortholti, Jo. Andr. Schmidii, Thom. Itigii exemplis abunde probatur, nostratibus hunc quoque campum ingrediendi non defuisse conatum, at præmatura morte interrupti fuere eorum labores, ut, quod animo conceperant opus, ad finem perducere non potuerint. Capite II *de facie hujus studii hodierna apud externos & potissimum Gallos* agitur. Nostratum demum exemplo ad promovendum amplificandumque Hist. Eccles. studium excitatos fuisse Pontificios, testis esse potest Eccles. Romanæ Cardinalis, Cæsar Baronius, qui Annales suos Ecclesiasticos, opus diligenter elucubratum, velut antidoton Centuriatoribus opposuit, quo etiam ingentem nominis sui gloriam & gratiam a sede Romana retulit. Baronum passibus haut imparibus non ita multo post Gallix doctores sequuti, quorum certe præclara & insignia ab ista ætate in Hist. Eccles. merita extitisse, æqui omnes fatentur hujusque rei intelligentes æstimatores. Et ex iis potissimum illos celebriores Gallix gentis septem viros, Antonium Godeau, Natalem Alexandrum, Ant. Pagi, Sebastianum le Nain Tillemontium, Ludovicum Eliam du Pinium, Claudium Abbatem de Fleury & Franciscum Timoleonem Abbatem de Choisy, quorum scripta Noster præduxit. A Pontificiis ad doctores Reformatos progreditur, quorum magnum quidem numerum, qui sacris Eccles. antiquitatibus non sine laude vacaverint, fuisse Vir Cl. fatetur, simul tamen monet, omnes illorum aut intra Historiæ particularis, aut compendii limites substituisse, præter Fridericum Spanhemium, qui mediam Compendiariorum inter & Systematicos viam ingressus Hist. Eccles. opus serie non interrupta deductum exhibuerit: „quamvis illud dolendum, quod ultra Reformationis tempora haud progressus ævum illud biseculare, quo adeo memorabilis facta est rerum in Ecclesia conversio, plane intactum reliquerit.“ Cap. III ad rem, quam propositam sibi habet, propius accedit Autor Cl. suumque *de Commentariis Hist. Eccles. perpetuis & paulo plenioribus a se continendis consilium* pluribus exponit. *Movendum hic nobis*

nobis est, de condenda Ecclesie Novi Test. historia cum tantum fore sollicitum. Etenim quod illo in historia Vet. Test. labore jam supercedere possit, hoc ipsi otium ex recentioribus fecerunt Viri doctissimi, Joach. & Joh. Christian Lampit, Wiglebius, Nebringerus &, qui primum nominandus est, Vir S. R. Joh. Francisc. Buddeus, qui novissime doctissimo suo de Hist. Eccl. Vet. Test. opere præclare de universo literatorum orbe meruit. Et ad celeberrimi hujus Viri, a cujus ore Noster pendit, Hist. Eccl. continuandam comparatus unice erit ejus labor; qui etiam rationem & methodum, quam ille servavit, in tractatione, ut ait, tam generali, quam speciali operis a se edendi imitabitur. Hinc adhibita cum Buddeo periodorum certarum epocharumq; methodo, Annalium rationem, quam hujus descriptionis generi non æque facile convenientem existimat, cum eodem missam faciet. Quis servabit temporum Periodos, eas designabit ut ex argumenti natura & indole stant; tempora autem Ecclesie suis insigniora eventibus eruat sequentia; *I tempus Conversionis Constantini M. II tempus Imperii Caroli M. III tempus Reformationis Lutheri. IV tempus tandem Pacis Westphalica.* Constitutis his temporum Periodis, opus integrum a C. N. ad nostra tempora V partibus totidemque Tomis absolvetur, molis haud inæqualis, ad modum duorum Tomorum Hist. Eccl. Vet. Test. S. R. Buddei, in forma chartæ quadripartita, per succedentes temporum vices edendis. Seculorum porro divisionem, quæ quam plurimis nostratum non sine fructu hucusque recepta fuit, Noster servabit & unumquodque illorum peculiari nomine suo & caractere ad modum Guilielmi Cavei insigniet. Singula tandem seculorum suis absolvet Capitibus, pro diversa rerum ad Ecclesiam seculi facientium ratione & numero minuendis, augendis, quorum tribus prioribus in cujusvis seculi historia exhibebit sequentia: *Cap. I fontes indicabit hoc ævo consulendos, II Orbis politici, III literarii Orbis statum delineabit.* Tum in ipsa Eccl. historia, scilicet ejus incrementis & decrementis, doctrina, hæreticis, Conciliis, ritibus & ceremoniis enarrandis versabitur & quæ alia pro Seculi ratione erunt, in iis describendis operam suam desiderari, non patietur. Quæ specialem vero tractationem, narrationis historice seriem brevibus & succinctis thesibus includere, iisdemque uberiorem in subjunctis animadversionibus exegesi adicere, constitutum est Autori Cl. plane ad methodum, quam S. R. Buddeo servatam fuisse, constat. Tandem ad finem capituli hujus de fontium ratione agit, quod argumentum latius Capite proxime sequenti IV & ultimo persequitur. Fontium nomine ipsi venit *apparatus Scripturæ, qui temporibus illi, cujus Historiam consignant, vel omnino extiterunt coævi, vel etiam non adeo longe ab eodem fuerunt remoti; nec iis tamen posthabitis, quibus adsunt judicia, eos sua ex ejusmodi monumentis hausisse, quorum inspectio vel non omnibus, vel postea minimum ætati haud concessa est.* Illorum deinde fontium recludendorum necessitati tum ex eorum defectu, tum ex aliis rationibus asserit, paucisque de genuino in iterandis fontium Editionibus modo adjectis, commentationi finem imponit. Ceterum ex hoc Cl. Autoris consilio satis superque credimus, constabit, quam egregie ille in usum eorum moliat, qui Antiquitatum Ecclesiasticarum dulcedine trahuntur; optamus, ut quam spem nobis injecit, eandem impleat suoque tandem tempore felix consilio & promissis eventus respondeat.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXIX.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB
A. D. ad MD. Collegit, ordinavit & Præfationibus auxit
LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS,
Sereniff. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus.

Tomus XI.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ, 1727, fol.

Alph. 8 pl. 7.

Non satis laudandum est Sociorum Palatinorum Mediolanensium institutum, qui in continuanda Scriptorum rerum Ital. collectione nulli operæ aut sumptibus parcunt. Tomus hic XI Excell. Senatui Serenissimæ Reip. Lucensis consecratus, exhibet I Anonymi Ticinensis, qui, quod Guelphis additus a patria exulare cogeretur & in aula Johannis XXII Avenicne degeret, eruditissimus dictus *Aulicus Ticinensis*, Commentarium *de laudibus Papiæ*, anno circiter 1320, ut *Muratorius* nosser probat, vel ut alii volunt, 1330 conscriptum, quo ut nomen ac situm Papiæ & Ecclesias, aliaque quæ ad commendationem urbis spectant, ita imprimis consuetudines ejus ac mores civium graphice admodum depingit, ut non possint non magnopere delectari, qui, quantum illi his quadringentis annis mutati fuerint, cognoscant. Qua occasione optat Nosser, uti alias quoque fecerat in libro *Rislessioni sopra il buon Gusto*, sub nomine *Lamindi Pritanii* edito, ut essent, qui nostræ ætatis mores, studia, artes aut ritus cum defectu & subacto judicio describerent, quod quo plus temporis decurreret, hoc gratius posteris futurum, minime dubitat. Sequuntur II *Annales veteres Mutinensium ab A. 1131 ad 1336*, qui

N

cuna

cum nomen Alexandri Tassoni, senioris quidem cujusdam, non Poetæ illius celeberrimi, qui A. 1633 VII Kal. Majas defunctus, præferrent, diu a Nostro neglecti sunt, quod Autor ille limites hujus instituti supergressus videretur, quippe qui post A. 1509 scripserit: at profundius librum scrutatus, animadvertit, se in veterum scriptorum, forte cœvorum, Artales incidisse, moxque ex ipsa præfatione Tassoni intellexit, eum veterum dispersas schedas in ordinem redegit & de verbo ad verbum transcripsisse, iis tantum de suo additis, quæ post A. 1488 (pertingit vero ad A. 1562) sequuntur. III *Bonifacii de Murano Chronicon Mutinense ab A. 1306 ad A. 1342.* Autorem, circa A. 1349 extinctum, justum Chronicon scripsisse, verisimile est; at cum ejus copiam nondum habere potuisset Cl. *Muratorius*, interea laciniam hanc publici juris facere non dubitavit, quam scilicet totam Peregrinus Priscianus Annalibus suis Ferrariensibus, quos ineditos servat Bibliotheca Estensis, intulerat, ut ostenderet ipsius scriptoris Mutinensis verbis, quanta mala Mutinenses inde ab A. 1306, quo Azonis Marchionis Estensis dominationem excusserunt, perpessi fuerint, donec A. 1336 ad pristinos Dominos reversi sunt. IV *Chronica Astensis*, ab origine urbis, seu potius ab A. 1070 ad A. 1325, autoribus *Ogerio Alferio & Guilielmo Ventura*; quibus accedunt Historica quædam ab A. 1419 ad A. 1457, autore *Secundino Ventura*. Cum jam pridem frustra optasset Noster, aliquid Scriptorum ineditorum sibi suppeditari, quo res Galliarum subalpinarum seu Pedemontii explicarentur, quod bellorum rabies magis illic quam alibi in veterum libros delævisse videretur, tandem illustrissimus & doctissimus Vir, Marchio *Josephus Malaspina* ex Toparchis Sanctæ Margaritæ & nunc Abbas Commendatarius S. Marciani Dertonensis & a Consiliis Augustissimi Imperatoris, liberaliter ipsi non modo Codicem, a tribus civibus Astensibus compilatum, verum & in eum notas suas eruditas, nec exiguas, transmisit. *Alferius* primus res brevi narratione ad A. 1294 deduxit, unde discas, qualis tum fuerit populus, quæ ornamenta, quæ vires; major tamen animi candor in *Guil. Ventura* emicat, inter claros milites numerando, quippe qui Capitanei titulo pro patria, quamvis adverso Marte, dimicavit. Is vero historiam non tam Astensem,

quam

quam universæ Italiæ, maxime Insubiæ & Cisalpinæ provinciæ, ab A. 1260 repetens ad A. 1325 produxit, tanta quidem dexteritate, ut difficulter judicaveris, Guelfisne an Gibellinis fuerit addictus. Memorabile quoque ejus Testamentum, A. 1310 a sexagenario conditum & Cap. LVII insertum, in quo inter alia Filios hortatur, ut à fabulis scriptis in libris, qui *Romanzi* vocantur, diligenter sibi cavèant. De *Secundino Ventura*, qui brevis est, non est ut quicquam addamus, nisi quod verisimile videatur, eum Guilielmi nepotem aut pronepotem fuisse. V *Fratri Raynerii de Grancis, Pisani, de præliis Tusciæ Poema*, ut Noster merito vocat, *caliginosum*, e Codice MS. Classensi nunc primum vulgatum. Autor, quem eundem esse cum Raynerio Pisano, *Pantheologiæ* Autore, et si tempus (vixit enim uterque seculo XIV) & patria consentiant, certo affirmare non audeat Cl. *Muratorius*, studio quidem tenebras sectatus videtur, adeo ut passim Oedipo opus habeat: habet tamen nonnulla, quæ ad Pisanos pertinent, non ubivis obvia, primusque Nostro fuisse creditur, qui Pandectas memoret in depopulatione Amalphitanæ Civitatis A. 1136 Pisas translatas, Lib. IV his verbis:

*Malpica Parthenopes datur & quando omne per equor,
Unde fuit Liber Pisanis gestus ab illis*

Juris, & est Pisis Pandecta Cesaris alti.

VI *Annales Pistorienses*, sive Commentarii rerum gestarum in Tuscia, Italice scripti, ab A. 1300 ad 1348, autore coævo & veritatis maxime amante, quibus apud Juntas olim 1578 Florentiæ impressis, locum hic merito dedit Cl. Editor. VII *Gualvanii Flammæ Manipulus Florum*, sive Historia Mediolanensis ab origine urbis ad A. 1336, ab Anonymo ad annum usque 1371 producta, & Codice pergameno Mediolensi nunc primum edita & cum altero Bibliothecæ Ambrosianæ collata. Flammam hanc, scriptorem ordinis Prædic. non infimæ famæ, Philosophiæ Moralis studium, anno primum 1315 in conventu Mediolani introductum, primum omnium professum, inter plura alia Chronica hoc quoque Mediolanense, ad sua usque tempora productum, reliquisse, testatur Ambrosius Taegius ex Ord. Præd. in Historiis MSis, quæ adhuc adservantur Mediolani, circiter A. 1490 scriptæ. Diversus interion

est hic liber ab altero Chronico Mediol. inedito, quod *Flos Florum* inscribitur. Qui plura de nostro desiderant, adeant Jacobum *Quetif* de Scriptoribus Prædic. T. I p. 617 seq. VIII *Ptolomæi, Lucensis* Ord. Prædic. Episcopi, postea Torcellani, *Historia Ecclesiastica a Christo nato ad annum circiter 1313*, cum doctis additamentis Continuatorum, e Codicibus Ambrosiano & Patavino nunc primum edita: accessere subinde *Jos. Ant. Saxii*, Viri Cl. cujus & Epistola ad Muratorum de Autore præfigitur, notæ iis imprimis locis, ubi fabulas antecessorum suorum de Johanna Papissa, Sylvestri II cum demone commercio, aliasque secutus est. Quantæ alioquin existimationis fuerit Autor, cujus verum nomen *Bartholomæus* per Syncopen Italis consuetam primo in *Tolomeus* ac postea *Ptolomeus* mutatum est, tum ex iis patet, qui ad ejus auctoritatem sæpe provocant, Platina nempe, Raynaldo, Spondano, Baluzio, aliis, tum præterea laudatus *Quetif* Tomo I & scriptores fere omnes testantur, qui de Scriptoribus Eccl. aliquid commentati sunt. Illud ad laudem ejus spectat, quod non modo S. Thomæ Aquinatis discipulus, verum & in itinere cõmes & confessionarius fuerit, ut ipse in hac Historia prodidit. Neque ab hoc loco alienum putavit Cl. *Muratorius*, quin seorsim adjungeret IX *Ejusdem Annales breves ab A. 1061 ad A. 1303*, jam antea Lugduni 1619 in 8 editos iterumque Maximæ Bibliothecæ Patrum Lugdunensi Tomo XXV p. 949 insertos, quibus sacra pariter & civilis historia traditur. Cumque impressa sæpius reperta fuerint mendosa, in illis quidem restituendis Historia Eccl. Autoris feliciter usus est Cl. Editor. Claudit hunc Tomum X *Nicolai Tegrini Vita Castrucci Anselminelli Lucensis Ducis ab A. 1301 ad 1328*, edita antea Mutinæ 1496, quo anno ab Autore absoluta fuit, iterumque Parisiis 1546. Et par erat, vitam tanti Principis accurate describi, sub quo re vera sublime honoris & potentæ culmen attigit civitas Lucensis, unde & ejusdem vitam non modo Nic. Machiavellus Italicis literis mandavit, inter ejus opera exstantem, verum & Aldus Manutius junior fusissime expositam dedit Italico pariter sermone Romæ 1590, & hanc ipsam Tegrini in gratiam civium Italicæ redditam Justus Compagnius edidit Lucæ 1556. Quantæ verò auctoritatis fuerit Tegrinus noster, ex eo facile intelligitur, quod non una vice ad Rom. Pontifices, Ale.

Alexandrum VI & Julium II sum & ad Maximilianum I Imp. Ferdinandum Regem Hispaniæ aliosque Principes Legatus ierit nomine Republicæ; ut taceamus, cum summa Juris scientia floruisse, atque inter inlauratores literarum merito numerandum esse. Ceterum cum Manutius suæ vitæ diplomata quædam Friderici II & Ludovici Bavari addiderit, quæ hoc loco subjungi poterant, maluit Nosse ea servare Codici Diplomatico Italiæ, quem edendum in hac ipsa Collectione meditatur.

A COLLECTION OF AVTHENTICK RECORDS belonging to the Old and New Testament, translated into English by WILLIAM WHISTON

M. A. &c.

hoc est,

COLLECTIO GENUINORUM MONUMENTORUM Veteris & Novi Testamenti, in Anglicam linguam versa a GUILIELMO WHISTONO, M. A. olim Professore Mathemat. in Academia Cantabrig.

Londini, apud Autorem & Typographos Londin. 1727, 8.

Alph. i pl. 9.

EAS. Scripturæ dignitas est, ut laudi omnino sit eruditis, quicquid pro vindicando vel minimo ejus apice promunt. Nec laude sua defraudandi sunt, qui in eruendis libris spocryphis, quos proximo a canonicis scriptis loco antiquæ ecclesiæ jam venerata est, studium suum collocant; modo ne justo majus illis pretium statuant, quodque revelatis a Deo libris sit præjudicio. Merito itaque applausu hic Doctiss. Whistoni labor excipiendus foret, si vetustis ecclesiæ Christianæ monumentis, quæ collecta hic sistimus; non majorem quandoquæ auctoritatem tribueret, quam S. Scripturæ majestas ferre videtur. Non improbamus a deo, illum, authenticæ esse hæc scripta, & ab iis, quorum præ se ferunt nomina, elaborata, asserere, quæ tanquam supposititia ac spuria ab aliis pridem explosa fuerunt, cum problemata hæc fiat examine eruditorum digna; neque impium sit, argumenta, quibus autores ejusmodi librorum negantur, sollicita cura excutere. Equidem faten-

dum est, Nostrum illud maxime hoc opere egisse, ut autoribus, quorum nomine vulgo notantur, libros, quos alii pro adulteriis habent, vindicet, sed de nonnullis tamen ita loquitur, ut iis parem divino verbo auctoritatem asserere videatur. Nostrum jam non est argumenta, quibus asserta sua tuetur, evolvere, aut quid reponi illis possit, asserre, cum jam ipsa operis materia plura attentione eruditorum digna, atque sollicite expendenda, nobis offerat, quam parca nobis concessa pagellæ facile caperent. Neque enim subtilit Celeberr. Autor in iis, quæ titulus pollicetur, sed præter critica varia atque philologica peculiari sæpe demonstratione usus horum omnium in agnoscenda ac celebranda bonitate divina, ac providentia, opus hoc exornat. Ad alia quoque sæpe argumenta, affinia quidem, sed proposito hand proxima, digreditur, antiquos ecclesiæ ritus aut sententias explicans, quo referenda suat, quæ de ortu ac prisco usu apocryphorum librorum docte commentatur, quæ neminem forte legisse poenitebit. Licet enim more suo paradoxas hic quoque opiniones sequatur, apparatus tamen doctrinæ variæ, quæ illas illustrat, ansam eruditis multa penitus inspicendi suppeditare potest. Prima propositio, qua libro *Baruchi* præfatur, & quam additis pluribus argumentis uberius explicat ac confirmat, est: librum hunc autore *Barucho*, Jeremiæ Prophætæ scriba, conscriptum cum ipsius Jeremiæ epistola subjuncta Hebraico idiomate exaratum fuisse, adeoque genuinum & authenticum librum esse, utpote non in canonicum modo Hebraicum sed Hellenistarum quoque Vet. Testam. ad tertium aut quartum usque Christianismi seculum receptum. Lingua enim Hebraica primum scriptum fuisse, testantur frequentes, qui in eodem occurrunt, Hebraismi, atque eleganter expressus linguarum orientalium genius, qualem in nullis libris Græca lingua scriptis offendimus. Publica quoque Judæorum Hierosolymitanorum monumenta, tempore Jonathani summi Pontificis anno ante natum Christum 144 adhuc obvia, atque initio secundi Maccabæorum libri (cujus auctoritatem in sequentibus demonstrare *Whistonus* in se recipit) allegata, genuinum hunc *Baruchi* scriptum esse, confirmant. Testantur enim Judæi, repertum in hisce monumentis fuisse, quod Jeremiæ Prophætæ captivis Babylonem deductis

Mosai.

Mosaicam legem tradiderit, eorumque posteris graviter inculcaverit, ne præceptorum Domini obliviscerentur, & multis modis omnes hortatus sit, ne legem ex corde suo evelli paterentur. Satis quippe apparere, solennem hanc adhortationem non aliam esse, quam illam quæ *Baruch. III, 9 & IV, 7* occurrit, & quæ, ut mox demonstrabitur, Jeremiæ nomine ab antiquis allegatur. Eodem *Maccab. libro, V, 2* asseritur, Jeremiam captivis injunxisse, ne mente sua aberrarent, aureas ac argenteas imagines raris ornamentis comtas inter paganos intusti. Patet verò, non alium hic respici locum, quam *Cap. VI Baruchi* sive literas Jeremiæ ad Judæos Babylonem deductos scriptas. Hebraica autem lingua primo post Christum natum seculo hunc *Baruchi* librum adhuc extitisse, ex elogio Baruchi a Josepho concinnato patet, quo nobili eundem genere natum, atque patriæ linguæ admodum peritum fuisse, testatur. Videtur enim *Wbifsono*, loco hoc Josephi innui, eum genealogiam Baruchi, quæ nostris adhuc temporibus ejusdem scriptis præmissa superest, legisse, eamque vernaculo sibi idiomaticè h. e. Hebraico concinnatam fuisse. Neque nunc temere supponere licet, aut Baruchum alia quam Hebraica lingua vel Chaldæa scripsisse, nec concipi potest, quæ ratione Josephus linguæ Hebræicæ peritiam in Barucho vehementer ita commendare potuisset, si non alia legisset, quam quæ hodiernum in Jeremiæ Vaticiniis *XXXVI, 17, 18* invenimus, quibus confirmatur saltem, quod scriba Jeremiæ Baruchus fuerit, atque verba & vaticinia Prophetæ, vel lecta vel dictata calamo in codicillis descripserit. Inde porro Cl. Autor autoritatem hujus libri Baruchi confirmare molitur, quod nemo dubitet, vaticinia Jeremiæ antiqui Canonis Hebræi partem constituisse, prout ex omnibus Græcis pariter atque Latinis librorum Veteris Test. indicibus luculenter apparet. Sed Hebræi olim communi Prophetæ Jeremiæ nomine Threnos, Baruchum atque epistolam Jeremiæ complectebantur. Habetur ejusmodi indicum copiosa collectio in Hodyi Dissertat. de LXX Interpretibus. Solenne enim Judæis erat, parvos libellos nomine eorum, qui majoris molis erant, complecti, maxime postquam Hierosolymitani instituerant S. Canonis libros ad 22 literarum alphabeti Hebræici numerum revocare. Possè quoque, quod liber hic genuinus Ba-

ruchi,

ruchi, cujus mentionem Jeremia fecit, factus sit, ex alia ejusdem epistola ad novem cum dimidia tribus in Babylonicos carceres deductos colligi, quæ Syriaca lingua conservata, atque Bibliis Anglicanis Palyglottis inserta est, unde in Anglicam linguam translata dissertationi huic eandem Noster subjecit, qua sæpe ad Baruchi hunc librum provocatur. Extare præterea disertum Apostolorum aut saltem ipsorum amanuensis Clementis testimonium, in Constitut. ut vulgo vocantur, Apostolicis, Baruchi librum ante destructas Hierosolymas publice in Synagoga prælectum fuisse, ipso die quo lectio ejus instituta fuerit, nempe decimo mensis Gorpæi diserte expresso. Ex Origenis quoque verbis, ab Euseb. Histor. Eccles. VI, 25, conservatis, abunde constare, minimum Jeremiæ epistolam, quæ Caput VI Baruchi constituit, si de integro libro dubitandum videatur, usque ad Origenis tempora inter Hebraicos libros Canonem S. constituentes receptam fuisse. Commendat igitur Autor eruditus, ut sollicite inquirent, cur Hebraicum hujus libri aut minimum ultimi ejusdem capituli exemplar, quod publice ipso Origenis tempore a Judæis inter Hebraicos ac Canonicos libros referebatur, proscriptum inde Hieronymi temporibus fuerit, & annon ejus ætatis Judæi, qui temere partem hanc S. Codicis aspernabantur, alias quoque S. Scripturæ partes proterve eodem tempore supprefferint? Itenæum certe, decem circiter post S. Johannis obitum annis natum, non obscurius solum quandoque ad librum hunc digitum intendere, sed prolixum quoque inde locum, tanquam ipsius Jeremiæ, cui Baruchus a literis erat, vaticinium adducere. Tertullianum non semel ad librum hunc alludere, sed & distincte epistolam Jeremiæ sive VI cap. Baruchi, tanquam genuinum ipsius scriptum allegare, neque pro infirmioribus habere argumenta, quæ hoc capite, quam quæ locis ex Jeremiæ vaticiniis petitis fulciuntur. Origenem quoque Homilia VII in Jeremiam ad locum Baruchi provocare, qui Jeremiæ adhortationem ad Judæos Babylonicis vinculis constrictos continet, communiter atque recepta in adducendis S. Scripturæ locis phrasi usum; *ita scriptum est*. Mox Cyprianum eundem cum Origene locum adducere, eademque verba, quæ in laudatis modo Apostolicis Constitutionibus occurrunt, inter plura alia S. Scripturæ

pturæ loca promiscue collocare. Diluere inde Autor molitur dubia contra divinam hujus libri autoritatem vulgo objecta, atque concludit, facile per singula secula eundo posse probari, exstitisse semper a Cypriani temporibus usque ad ea quibus purior lux evangelii reddita ecclesie fuit, inter Christianos, qui autoritatem libri divi nam agnoverint. Et ne cui mirum videatur, cur Judæi, qui antiquissimis temporibus libro in Canone S. locum concesserant, recentioribus post natum statim Christianismum mutato repente consilio eundem respuerint, offensos illos graviter fuisse luculento testimonio arbitratur, quod ab Apostolis, aliisque primorum temporum scriptoribus creberrime ipsis objiciebatur, *Bar. III, 35, 37: Hic est Deus noster, neque alius cum ipso potest comparari. Postea se ipsum terræ exhibebat, atque cum hominibus versabatur.* Hæc enim verba clare nimis divinam Messie originem, ejusque incarnationem demonstrabant, quæ doctrina a Rabinis proscripta erat, Messiam merum hominem fore, profitentibus. Hisce pro demonstranda divina Baruchi autoritate prolixè enarratis, ingenue tamen Noster fatetur, hunc aliosve S. Scripturæ libros, non quidem interpolatos, atque inverso ordine collocatos, sed imperfectos valde atque inancos esse, maxime cum Josephus melioribus codicibus olim instructus, non eodem, quod in aliis S. Scripturæ V. Testamenti libris enarrandis præstiterat, studio Baruchi capita sigillatim recenseat. Si tamen conjecturæ relinquatur locus, quomodo fragmenta illa Baruchi, quæ supersunt, justo ordine disponenda sint, adjecto laterculo demonstrat, additis in eadem brevibus animadversionibus. Ipsum vero librum, cum inter apocryphos S. Codicis passim legatur, non exhibet, sed epistolam duntaxat secundam, ex Judæa à Barucho scriba ad deductos Babylonem fratres transmissam, atque variis pro divina ejus autoritate rationibus pugnat, quarum plurimæ ab illis quibus pro Baruchi libris modo usus erat, haud multum abluunt. Sequitur versus *LXX Interpretum* descriptionis templi ab Ezechiele exhibitæ, secundum exemplar Alexandrinum, additis passim notulis quibusdam, in Anglicam linguam a Nostro translata. Elicit inde alios paulo numeros pro mensura partium ædium sacrarum, quam qui vulgati sunt, sed intricatiores, quam ut

brevibus h. l. adduci a nobis possint. Sequenti Dissert. probare suscipit, quod *priora XIV capita secundi libri Esræ* inter apocryphos vulgo relati, atque in vulgata latina pro quarto Esræ libro exhibiti, genuinis atque prophetis Vet. Testam. scriptis accensenda sint. Argumenta, quibus sententiam suam confirmat, hæc maxime sunt. Quod initio statim libri diserte Auctor affirmet, verbum Domini ad se venisse. Nullam enim rationem esse, cur non æque Esræ ac multis aliis Judaicæ gentis Prophetis fidem habeamus, maxime, cum nullius falsi ex ea gente Prophetæ scripta ætatem tulerint, neque unquam extitisse impostorem sciamus, qui Esræ nomen sibi adsciverit. Digna quoque, Whistoni arbitrio, sunt divino autore & verba libri, & argumenta, observatumque ab aliis, quod, cum certum sit, a Judæo brevi tempore ante Messiam adventum librum scriptum esse, pro impostore tamen autor haberi nequeat, cum non grata, atque civium suorum aures deinceps, sed ingrata atque dura maxime proponat. Superbis enim Judæis, de dignitate sua persuasis, nihil ingratum magis erat, quam cum obijceretur, ipsos non unicum Dei peculium esse, sed alias quoque gentes supremum numen in partem hæreditatis admisisse. Isti opinioni cum libri autor omnino adversetur, atque nimiam Judæorum præsumptionem destruat, mirum non est, eundem inter falsos Prophetas mox a Judæis relatum fuisse; imo, cum clare hoc libro non solum Messiam aliquando moriturum asseratur, sed temporis ejus momentum quoque prædicatur, a falso Prophetâ longe abest, qui auram populi captans horum erroribus velificaturus, potius erat. Porro & veritatis vaticiniorum de rebus longissime remotis argumento utitur Noster, ut longe majorem humanam prudentiam ac perspicaciam auctori hujus libri tribuat, cum Messiam adventum, discessum decem tribuum ex Regno Medo-Persarum, aliaque plura aperte & accurate memoraverit. Præclare etiam libri autoritas confirmatur ex familiari temporibus, quibus autor vixit, stylo ac argumento; quod si enim autor foret recentior, is secundum recentiorum mores non tam in idololatriam, veterum Judæorum vitium, quam alia crimina, homicidia, incestum, impietatem &c. fuisset investus. Loquuntur præterea sæpissime Judæorum magistri de constitutionibus ac
legi-

legibus ab Esra quodam latis, quorum tamen in historia scribæ Esræ, nec in nostris, nec in Josephi codicibus, ulla occurrit mentio, ita ut suspitioni locus omnino sit, celebrem hunc Judæorum legislatorem ab Esra nostro Propheta alium non esse, qui sine dubio præfectus Judæorum Babylonicæ captivitatis temporibus fuerit, ut adeo mirum non sit, tenaciter admodum Judæos regulis ab ipso præscriptis inhærecere, cum ultimus Prophetarum inter eos fuerit. Externa inde argumenta, ut vocat Autor, pro adstruenda hujus libri autoritate exponit, ad quæ testimonia antiquorum maxime refert. Non enim modo cum aliis S. Scripturæ libris canonicis a LXX viris in linguam Græcam conversus fuit, sed ipse Christus sæpe sensum, aut dictionem libri hujus innuit, immo loca quædam discrete inde adducit. Ut veritatem dictorum indubie persuadeat Autor, per aliquot libri hujus folia duabus sigillatim columnis textum S. Scripturæ, & quæ in Esræ hoc libro cum eo conspirantia, invenit, exhibet. Pergit inde ad Patrum Ecclesiæ testimonia, quorum ingentem numerum, eundo per omnia post Christum natum secula, adducit, qui vel discretis verbis libri hujus autoritatem confirmant, vel rebus in eodem occurrentibus uti haud dubitant. Uberius quoque exponit rationes, quibus persuasus, non eandem autoritatem capitibus XV & XVI ac reliquis hujus libri partibus tribuat, cum & in Arabico codice desiderentur, & stylis pariter ac materia demonstrant, illa ab alio potius quam ab Esra conscripta fuisse. Ipsi autem Esræ hujus scripta tanti facit, ut vaticinia ejus exacte completa fuisse, productis speciminibus evincere laboret. Inde ad *Salomonis Psalterium* transit, præmissis *Psalmo Davidis CLI*, quem, postquam Goliathum superaverat, scripserit. Equidem nihil certi adhuc de hoc Psalmo definire audeat, cum revera in codicibus Hebræis omittatur, licet in Græcis, & Alexandrino & Romano, inveniatur, unde in dubio autoritatem ejus, donec certiora invenerit argumenta, relinquit. *Salomonis Psalmos XVIII* celeb. Autori reperire licuit, fateturque omnino plures eorum perisse, cujus jacturæ suspitionem imprimis nonnulla Lactantii loca faciant. Autor quidem horum Psalmorum Nostro non magnus ille Rex Judæorum perhibetur, sed Salomon quidam, qui post captivitatem Persicam 36 circiter Artaxer-

xis Mnemonis anno Hierosolymas restituerat, atque divinum inter Judæos cultum restauraverat. Hos igitur in sacrorum librorum, nec tamen canonicorum numerum refert. Apocryphos esse fatetur, sed nomen hoc libris in Ecclesia olim non dedecori, sed honori potius fuisse, contendit. Pergit inde ad *Maccabeorum librum III*, addens nonnulla de fragmentis libri II. De *litteris*, quæ sequuntur, *scriptis a Judæis Hierosolymitanis ad Judæos in Ægypto habitantes*, ut sacram communionem secum servarent, cum inter apocryphos S. Scripturæ libros 2 *Maccab. C. I* integro & *II, 1-18* habeantur, & addita dissertatione nihil aliud agat Autor, quam ut genuinas illas esse probet, plura afferre opus non est. Dum autem in hæc argumenta inquirat, in varias Judæorum sectas incidit, quarum originem ut plenius excuteret, proluxa dissertatione probat, antiquam Magorum in Media ac Persia sectam, quæ rejecta crassa illa paganorum idololatria atque cultu imaginum & idolorum, Solem tamen, ignem, aliaque elementa religioso venerabatur cultu, ex captivitate ac dispersione decem tribuum in illis regionibus ortam fuisse, verbo, mixtam fuisse sectæ hujus doctrinam ex antiqua Sabiorum ac crassa idololatria, & vera decem tribuum religione. Probare imprimis suscipit, Zerdustum, horum legislatorem, non Darii Hyllaspis, sed Artaxerxis Mnemonis temporibus vixisse, ejusque religionem cum Judaicæ eandem fuisse, licet circumcisionem, ab Abrahamo olim institutam, haud acceperit. Notatu imprimis digna sunt, quæ de occasione, qua dictus Zerdustus igni templa consecraverit, quorum præcipuum in Bactria exstructum erat, ubi se ipsum Pontificem summum instituerat, commentatur. Natam enim superstitionem hanc arbitratur ex portentosa illa accensione ignis super altari Domini in templo Hierosolymitano, ejusque restauratione, cujus mentio in laudatis modo Judæorum ad fratres in Ægypto litteris occurrit. Sequuntur inde excerpta ex *Enochi* libro, & quæ *Testamentum XII Patriarcharum* posteris traditum, quorum utrumque genuinum factum esse, atque inter sacros apocryphos & arcanos libros olim locum habuisse, pluribus argumentis contendit. Sub finem denique varia librorum fragmenta occurrunt, quos ceu spurcos dudum Ecclesia damnavit, additis passim prolixioribus Whistoni animadversionibus illustrata.

CAMIL-

CAMILLI EUCHERII DE QUINTIIS, E
Societ. Jesu, Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri
IV, Sereniff. Lusitanæ Regi JOANNIV dicati.

Neapoli, excudebat Felix Mosca, 1726, 4 min.

Alph. 2 fig. æn. Tabb. 8 nitidiss.

Non erat, quod tot suspitionibus animura excrucietur suum, tantaque solitudine sibi Cl. Autor a Lectoribus timeret, quos in præfatione huic operi præmissa tantum non omnes caperata fronte, uncis naribus, nescio quid mali in se machinari, sua tantum probare, cetera fastidire atque contemnere, & grave sibi bellum facturos esse, quadam propemodum divinazione assequitur; qua si ipsum deceptum esse dixerimus, nos deceptos esse forte non credet. Neque enim hæc omnia prohibebunt, quo minus ipsum in utraque hæc arte egregie profecisse, & hoc ingenii & doctrinæ monumentò bene de patria & literis meritum esse, profiteamur. Cujus si multi exemplum sequerentur, posset intelligi, non tam effætam esse hanc nostram ætatem, ut posteritatis judicium debeat timere. Inarimes balnea argumentum laboris selegit, ut cognoscatur, ipsum pietatis imprimis rationem habuisse, non immemorem beneficii ex illis fontibus accepti, quibus, cum nervorum imbecillitate manus ejus antea laborassent, morbi insultationes profligavit, affectamque valetudinem mirifice confirmavit: in qua re imitatus est M. Tullium, qui cum orationis præcepta ab A. Licinio Archia accepisset, hæc ipsum imprimis virtute defendendum collaudandumque existimavit. Nihil omisit, quod ad significationem affectus gratique animi possit pertinere. Idque rectius se facturum credidit, si fontium, aquarumque virtutem, cujus ipse in se cepit experimentum, artisque salutaris præcepta, carmine heroico, ipsius Lucretii exemplo, complecteretur: cujus vestigia subinde præstit cum cura; interdum etiam, cum in alia dilabatur, ad Virgilii gravitatem, non invita Minerva, aspiravit, atque ubi in imagines rerum exprimendas, metamorphosesque incidit, non raro Ovidii facilitatem & nativum flumen assecutus est. Credidit enim jucundum lectoribus fore, si artis ipsius fastidia & difficultatem ingenii, coloribus,

Præf. fol. t.

p. 24. 37. alibi. poetiis que delitiis emolliret. Fontium plerorumque origines & virtutes e poetiis fabulis & transfigurationibus derivat, qua arte imprimis valet, atque proximè ad antiquorum vatium vivacitatem & elegantiam accedit. Numerorum ratio artisque Medicæ præcepta ipsi novarum subiinde vocum fabricandarum necessitatem imponere, qua libertate tamen moderatius usus est, & obtemperavit Poetæ in Arte poet. v. 47 præcipienti:

*Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddidit junctura novum, si forte necesse est.
Indicii monstrare recentibus abdita rerum.
Et nova, si factaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta.*

Præf. p. 3. E Græcorum enim lingua plurima in Latinam transtulit, & hujus legibus, carminisque præceptis, cum venustate accommodavit. In fontium virtutibus enarrandis, Medicorumque de morbis & illorum cura monitis tradendis, præter Lombardum Elisium, Solinandum, Bacciumque, maxime Julium Janolinum secutus est, qui libro singulari, *de Remediis Naturali, che sono in Ischia*, horum balneorum naturam diligenter explicavit, & in eodem, quod Cl. Autor sibi ornandum sumpsit, argumento operam occupavit, A recentiorum placitis alienissimus est, quia in tanta Doctorum multitudine, quem maxime Autorem sequatur, statuere apud animum non potuerit, atque adeo se optime antiquorum vestigiis in hæsurum existimaverit. Materiam hujus descriptionis in sex Libros partiti est.

p. 1. 3. 4. 33 & 44. *Primo* Insulæ Inarimæ situm, nomina, conditores, cæli temperiem, ubertatem soli, balneorum item numerum, nomina & positum explicavit. *Inarimen*, Puteolani sinus insulam, ab Arimis dictam putat, quæ vox Hetruscorum lingua veteri *Simias* notavit: quod genus animalium in insulis Pithecusis, (quibus etiam a *πιδυκος*, Simia, vel *πιδος*, dolium, nomen est) frequentissimum deprehenditur: quamvis alii ab Arimis populis, qui primi illam coluerunt, nominis originem deducunt. Eandem Inariam ab Æneæ classe, ejusque ibi statione appellatam tradit. Conditores Insulæ Chalcidenses prædicat, ipsam vero, & arenas maxime, S. Resitutæ, patronæ, consecratas ostendit. Soli fertilitatem, cæli tem-

MENSIS MARTII A. MDCCXXIX. iii

temperiem, montem Epopeum, quem Typhæo injectum poetice fabulatur, lympham fontis Abucæti, triginta tria balnea, partim diruta, ægrotantium habitacula, viridaria, dumeta, sylvasque venationibus aptas, flumina piscationibus, oculorumque & aurium voluptati servientia, Arcem Alfonsi, cetera, studiose commendat, atque in tota topographia illa ingenii vires & elegantiam non infeliciter expertus est. In balneis, thermis, arenis medicis, quæ & ipsæ diversis nominibus distinguuntur, plurimus est. In hæc tria genera enim omnes virtutes insulæ salutes dispescit, thermasque a balneis ita sejungit, ut illarum nomine ipsi sola hypocaula, seu sudatoria, arte naturave calentia, veneant.

Balneorum Thermarumque origines toto *Libro II* ex Antiquitatibus repetit, omnesque omnium fere gentium lymphas salutes eleganti carmine describit. Inventionis laudem modo Nymphis, quæ Palladis jussu Herculi laboribus exantlatis fatigato calidam paraverint, modo ipsi Herculi, qui clava lacum Cyminum eliquerit, tribuit: prima apud Siculos balnea extitisse, ex illorum antiquissimis vestigiis colligit, plurimos fontes ad Deos referri autores, Saturno Aquas Cutillas, Veronenses Cybele, Clusinas Esculapio, alias aliis deberi docet, & thermas in naturales & artificiales distinguit.

Libro III Aquarum Inarimensium, quas laudat, colorem, odorem, saporem, caloremque commendat, harumque virtutum causas inquirat, & modo Typhæum fulmine actum vulnus ibi lavisse, & aquas infecisse, Poetarum more comminiscitur, modo *Φυσικὰς* coloris, odoris, saporisque causam, ex chalcōto, nitro, bitumine, gleba Armenia, Cadmea, oëtra, pyrite, magnete, sale, aliisque metallis, quorum ibi copia sit, invicem mixtis repetit: de calore vero copiosissime disserit, atque a Thermophilo, illum ex radiis solaribus, qui visceribus terræ confirmantur, deducente, a Chryssippo, qui causam ex clauso antris æthereo calore querit, a Mileo, qui illum vaporibus & spiritui calorifero tribuit, a Democrito, qui a cineribus & calce intra terras clausis aquas caleferi credit, denique ab Epicuro, Cartesio, omnibusque recentioribus, largissime discedit. Joannem Gratianum, Bergomenscm, cujus sententiam ex libro ejus de Thermis Patavinis in Actis nostris

p. 4 & 5.

7.

8, 9.

45, 46.

48.

51 sq.

1.

55, 66.

67.

70.

71.

72.

117.

118 sq.

134 sq. 140

sq.

119.

120.

121 sq.

122.

stris A. 1702 p. 1 retulimus, aliosque, qui a particulis salium heterogeneis calorem excitari putant, vaniloquos appellat, extremo etiam Illustris Joan. Gothofridum de Berger, qui in commentatione de Thermis Carolinis, a nobis in Actis A. 1709 p. 457 commemorata, a particulis Pyrites solutis calorem derivat, omnino non probat, quia Phœbus ipse, calorem ex igne subterraneo oriri, dicitur. Sine dubio, pro suo in has literas amore, & cum voluptate leget Illustris Bergerus noster, cum intelliget, rem tanti momenti ab illis perquiri, qui proximi sunt iis locis quibus hujus generis experimenta commodissime exquiri possint: sed dolebit, non ipsum tractatum suum a Cl. *Quinto* lectum fuisse, quod in eo ad omnia responsum videri poterat, quæ ab Empedocle, Aristotèle, Agricola, Cæsalpino, Solinandro, Baccio, Fallopio, Kirchero, & pluribus aliis, pro igne subterraneo differuntur. Ex ipsis etiam Neapolitanis doctissimi præstantissimi, Leonardus à Capua & Th. Cornel. Consentinus, in eodem tractatu ejusdem sententiæ contra Empedoclem opinionem defensores laudantur, quos tanto plures quis faciendos putaverit, quanto & clariores sunt physica scientia, & majorem facultatem cupiditatemque habuerint, hæc naturæ arcana in locis vicinis explorandi. Hoc igitur jucundius erit Bergero nostro, novas solidasque rationes cognoscere, quibus melius edoceri possit, quo cupidius idem jamdudum optavit exquisitiorem rei perquisitionem, præsertim cum hæc, quam proposuit ipse, sententia multis adhuc doctissimisque viris, in diversis Europæ partibus, placuerit, sepositis ignis subterranei, aliisque opinionibus, quæ antehac acceptæ erant, multis etiam nostrorum temporum studiis celebrabantur. Optandum imprimis erat, ut Grimaldus aliquis, quem merito Italia in ornamentis suis numerat, quid hic sentiat, ipsi exponat, experimentis & rationibus Bergerianis imprimis ad disquisitionem vocatis. Sic enim solidi aliquid expectari poterat.

177, 178. *Libro IV* potestates virtutesque lympharum, thermarum, arenarumque exponit, illasque pedum, ossium, viscerumque dolori, & putredini, pituitæ, atrophie, cachexie, tympanitidi, hypofaræ, si tempestive adhibeantur, ulceribus, strumæ, dysenterie aliisque mederi testatur; vimque illis ad vulnera corporis sanan-

179.
 180.

sanan-

sananda singularem tribuit. Lepidam de Simeone Capycio, Patric. Neapolit. historiam refert, qui in pugna quadam, in ipsa Aenaria insula, lethale vulnus, ubi prima collarum, ossi jugulari connectitur, acceperat, cum micro gladii palmo in longum protensus, & digitis latus duobus, haerit medius inter octavam nonamque collarum, lympharum ope restitutus est, & deinde, cum post annum & septemdecim dies, propter ferrum ibi haerens, vulnus recruduisset, prid. Non. April. 1581, aquae parvi gurgitis remedio effecerit, ut ferrum extrahi posset, ipse integer & incolumis viveret. Haec & alia multa copiose ornateque enarrat, tempus brumale huic curationi aptissimum esse docens.

Libro V de modis adhibendi id genus medicamina agit: primo deprecandam B. Virginis gratiam, purgationes corporis subjungendas, animum hilaritate excitandum, praeterea sexus, aetatis, temperamentorumque rationem habendam, ad stellarum ortum attendendum, spatiumque dierum, quod curationi destinandum sit, definit, Medicorumque, & imprimis Jo. Baptista Balbi, & Nicolai Cyrilli, operas & consilia commendat. Ad animi hilaritatem, loci situm, monachorumque nugas & ludos, quos ipse cum risu viderit, commendat, dieteticasque leges praescribit.

Libro VI Antidota incommotis, quae inter usum lympharum aegrotos subinde affligunt, opponit, quosdam in balneis deficere, alios faucibus sitire, alios calore interno cruciari, hos nausea, agrypniacque, alios veterno enervari docet, hisque malis occurrit, dandum aliquid postea corpori, otioque indulgendum, tandem sero, ubi recte omnibus membris confirmatus fueris, donum revertendum esse, praecipit. Adjectus est septuplex Index, I Rerum, II Arenarum, fontium, hypocaustorum, III Morborum, IV Locorum, quorum topographiam exhibuit, V Metamorphoseon, VI aliarum rerum, quae in hoc opere describuntur, VII Auctorum. Ceterum Figurae singulis Libris praemissae ceteraque de praesantia artificis satis testantur; ut typorum ac chartae elegantiam nunc taceamus.

THEORIA GALORIS MATHEMATICA

P

NOVA

nova methodo Medicinæ applicata, Autore JO. DANIELE PERLICIO.

Wittebergæ, apud hæred. G. Zimmermanni, 1728, 4.

Plag. 9 Tab. æn. 1.

- I**N Præfatione monet Cl. Autor, non statim Mathematica esse, quæ methodo a Mathematicis emendicata proponuntur, idque exemplo duarum Dissertationum Cl. *Detardingii*, Prof. Rosloch. in quibus methodus mathematica plane talis non est, illustrat. Deinde regulam suam transituum caloris ex uno corpore in aliud, ex naturali corporum tendentia ad æquilibrium deductam, Lectoris judicio submittit, regulam vero Cl. *Hambergeri*, Prof. Jenens. (quæ transitus caloris ex corpore specificè leviori in specificè gravius esse dicit) æqua ponderat lance, suamque huic præfert. Hac occasione multa adversus eum monet de regula ipsius adhesionis in Elementis Physicis nuper proposita, eamque ita comparatam esse judicat, ut rigorem præsentis demonstrationis sustinere quominus nequeat. Ipse equidem Cl. *Hambergerus* ex vi corporum insita hanc suam regulam demonstrare non audet, eamque ex experientia tantum stabilire conatur; experimenta tamen hæc longe aliter explicat Autor, nec opus esse putat, ut ad vim quandam hæctenus ignotam recurramus, cum tertium aliquod adhuc detur. In ipso Tractatu calorem pro instituti sui ratione ubique ad Medicinam applicat, atque post præmissas definitiones materiæ caloris, sanguinis, machinarum a sanguine impellendarum, caloris, actu & potentia calidorum, mensuræ caloris, concludit ex duobus experimentis, calorem non posse explicari a solo motu sanguinis, sed conjungendam esse heterogeneitatem, cui subjungit axiomata partim ex hydrostaticis, partim physiologicis petita, & ad calorem spectantia. Ex his construit Propositiones, quarum I docet, *quemlibet hominem in statu sano & naturali quendam habere determinatæ caloris gradum*, unde deducit, durante motu durare calorem; celeritatem hujus motus tempore mensurari; errare tamen eos, qui ex celeritate pulsuum mensuram hujus motus petunt; æstimanda hæc esse potius ex celeritate secretionum & excretionum; indeque desumenda esse fundamenta

ta concludendi ad diversitates sic dictorum temperamentorum medicorum; in quibus calor variare solet pro ratione densitatis materię in solidis & fluidis; celeritates item sensibilitatum seu penetrationum caloris in diversa subjecta, in inversa ratione tenacitatum fibrarum & gravitatum sanguinis specificarum. *Prop. II* moeset, *calorem naturalem variare pro diversitate earum rerum, quibus jus est in circulum sanguinis*, indeque deducit, cum gravitate globulorum sanguinis specifica variante, variare etiam intensitatem radiorum calorum corpus egredientium; decrementum vel augmentum circuli sanguinis non dependere a vario sanguinis calore & velocitate; tamdiu subjectum perfecta frui sanitate, quamdiu diversis caloris gradibus absque noxa resistere potest; ejusmodi cuivis commendandam esse dietam, quę proportionem caloris continuo æqualem servare valet; fundamenta hæc monita præbere condendi artem præparandi artificiose aerem; & naturę subjecti & statui morboſo convenientem. *Prop. III* continet regulam transituum, quę docet, *quantitates caloris ex duobus corporibus sese contingentibus, ex uno in aliud transeuntes, æquivalere excessui, quo alterum superat calorem alterius*, unde deducit, mensuram caloris aut æstus febrilis sola contrectatione manuum haberi non posse, nec summariam quidem; admittis diversis ad febricitantem personis, quamlibet tamen aliter atque aliter æstum febrilem percipere debere; inde patere, quare subjecta biliosiora periculiosiora æstus febrilis phænomena habeant subjectis frigidioribus; inde explicandas esse diversitates sensibilitatum ab æstu solis & aeris in diversis subjectis productarum; imo applicari hæc etiam posse ad alterationem corporis a frigore nullo subeundam, indeque explicandam esse naturam congelationis in subjectis a frigore mortuis; elucere quoque, quid sentiendum sit de methodo Boerhavia & Indorum curandi quasdam febres acutas per injectionem patientis in aquam frigidam, quam methodum consideratis considerandis innoxiam esse dicit Autor; denique & ratione fornacum calefaciendarum, itemque vitium, & stragulorum lecti, fundamenta hæc monita præbere egregia; indeque commendari debere methodum observandi eas res corpori insensas, quarum majorem vel minorem quantitatem

§. 23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.

- corpus perferre potest. Quoniam autem hæc caloris indagatio sensuum beneficio insitui nequeat, commendat Autor *Prop. IV constructionem thermoscopii* incurvati, cujus sensibilitatem quaerit in proportione diametri cylindri ad lumen canalis = 18 lin. : $\frac{1}{4}$ lin. quod statim *Prop. V in usus Medicos convertere* docet, dum commendat 1) condensationem spiritus ad punctum aliquod canalis, quod ex experientia, aliquot annis recurrente hyeme repetenda, determinandum est. 2) Contactum thermoscopii a quodam corporis membro, v. g. manibus & halitu oris. 3) Mensuram ascensus spiritus oscillationibus alicujus penduli æstimandam a puncto condensationis usque ad subsidentiam, magnitudinem spatii dato tempore absoluti dare pollicetur mensuram caloris desideratam ab intensitate ejusdem desumptam. Et quanvis non neget, methodum hanc parum commodam esse iis, qui omnia pauculo labore absolvere malunt, tamen cum vix aliam reperiri posse viam arbitretur, perveniendi ad accuratam caloris mensuram, omnia arripienda esse suadet adminicula, quæ eo ducunt, cum non solum in aerometriam haud exigui inde redundare possint fructus, (methodum enim vulgarem observandi differentias solum caloris parum accurati habere judicat) sed & ad condendas observationes dietetico-thermoscopicas, quibus augmentum vel decrementum sanitatis quotannis innotescere potest, comparationes item calorum inter se, multum facere pollicetur. Experimentum deinde in medium affert, quo probat, *spatia ascensus spiritus in thermoscopio non esse temporibus proportionalia, indeque minus recte scalas thermoscopiorum vulgares in partes aequales dividi*, quam sententiam, remotis in scholiis subjectis dubiis, porro defendit, atque usum hujus theoriæ in proportionibus calorum inter se annectit. *Prop. VI magnitudines calorum quorumcunque ejusdem intensitatis esse inter se demonstrat in directæ ratione temporum, per quæ dictorum radiorum motus calorifici durant*, atque in Scholio subjecto statim ad febres applicat, quorum intensitates, si thermoscopio & pendulo mensurentur, si æquales fuerint, esse dicit æstus febriles inter se ut tempora per quæ durant. *Prop. VII magnitudines calorum diversorum ejusdem temporis esse inter se ut intensitates*; febres ergo, quæ æqualibus

absolvuntur temporibus, erunt inter se ut æstuum & symptomatum intensitates. *Prop. VIII magnitudines calorum quorumcunque ratione quacunque inter se diversas, comparari inter se posse ex ratione composita temporum, per quæ durant, & intensitatum,* unde deducit, si intensitates calorum in corpore humano, ab inæqualibus dosibus medicamentorum sub diversis etiam temporum durationibus productæ, fuerint æquales, esse easdem inter se in ratione composita dosium & durationum caloris inde oriundi; si tempora durationum eorundem calorum, sub inæqualibus intensitatibus, ab inæquali etiam dosium quantitate producta fuerint æqualia, esse calores inter se in ratione composita intensitatum & dosium exhibitarum; quod si vero doses medicamentorum fuerint æquales, erunt calores inter se, in ratione composita intensitatum productarum & temporum per quæ durant. His proportionibus calorum simpliciter consideratorum subjungit præportiones effectuum, quos iidem in thermoscopio producunt, atque demonstrat *Prop. IX, magnitudinis spatiorum a spiritu in thermoscopiis quibuslibet, sub qualicunque decremento ascendente, confectorum, quæ ab initio ad subsidentiam inæquali celeritate absolvuntur, esse inter se ut tempora, quorum intervallis ad data puncta spiritus pertingit. Prop. X, diversas spatiorum magnitudines, quæ equali tempore a spiritu in thermoscopio conficiuntur, esse inter se in ratione successive decrecentium celeritatum;* indeque desumendas esse proportionem pro eruenda diversitate intestini sanguinis in diversis subjectis motu, debitarumque cuique dosium medicamenti. *Prop. XI demonstrat, effectus thermoscopicos a calore quocunque productos esse in ratione composita temporum & spatiorum a spiritu confectorum,* unde deducit in applicatione ad Medicinam, effectus thermoscopicos ejusdem durationis esse in ratione composita dosium exhibitarum & spatiorum absolutorum; si spatia fuerint æqualia, effectus thermoscopicos esse inter se in ratione composita dosium exhibitarum & temporum, per quæ effectus hi durant; si vero doses medicamentorum fuerint æquales, effectus thermoscopicos esse in ratione composita temporum & spatiorum absolutorum. *Prop. XII Methodum exponit, qua dato quovis morbo M, cujus phenomena*

- cognita sunt, alter ejusdem natura μ inveniri possit, qui cum priori sit in ratione quacunque data, quod Practicis, qui magno gaudent aegrotorum numero, maxime proficuum & jucundum esse posse monet. Prop. XIII ex datis rationibus proportionem morborum ejusdem generis exprimentibus, quantitate item intensitatis a cognitis medicamentorum quorundam dosibus producta, invenire docet rationem, quae excessum dosum eorundem medicamentorum, uni aut altero subiecto exhibendorum, exponat. Quia autem in Propositionibus antecedentibus eadem machinarum structura supponebatur, Prop. XIV porro docet Autor, quomodo ex datis iisdem morborum ab una eademque causa oriundorum quantitativibus inveniendae sint proportionales dosum in subiectis, quae respectu tenacitatum fibrarum & gravitatum sanguinis specificarum inter se differunt, exhibendarum. Inque resolutione hujus problematis construit Autor regulam, unde haec proportionales desumendae sunt, quae est: *Facta ex celeritatibus secretionum & excretionum in tarditates alterationum, dare proportionales tenacitatum fibrarum & gravitatum sanguinis specificarum.* Prop. XV exponit methodum, qua non solum observationes meteorologicae, sed & medicae, diversissimis licet thermoscopiis instituta, ad regulam & proportionem generalem reduci possint. Deinde proportionales calorum angulis exponendas esse suadet, qui nascuntur, quando spatium a spiritu post condensationem ascendente primo minuto temporis confectum circino super lineam horizontalem longitudinis digiti Paris. ejusque dextrinam extremitatem (qua tempus indigari posse postulat) perpendiculariter erigatur, spatium vero minuto secundo absolutum extremitati sinistrae itidem perpendiculariter jungatur, deinde per has perpendiculares hypothenusa ad basin continuatam ducatur, quae dictos determinabit angulos. Denique & de methodo Cl. Grisehövii exprimentis proportionales caloris per areolas agit, eandemque, si loco scalae thermoscopicae anguli substituuntur, commendat: pro usu medico thermoscopium brevius sufficere posse monet: methodum Dalence investigandi statum aut declinationem aetnis febrilis rejicit: tandem & regulam suam olim in Diss. de Hyetoscopia propositam praedicendi magnitudinem guttarum pluviae
- §. 67.
68.
69.
70, 71.
72.
73, 74, 75.
76.
77.
78.
79.
80.

pluviæ instantis hinc emendat, eandemque, prout hæc omnia propo-
sita, futuræ disquisitioni & maturitati reservat.

ELEMENS DE LA GEOMETRIE DE L'INFINI:
Suite des memoires de l'Academie Royale des Sciences &c.

i. e.

ELEMENTA GEOMETRIÆ INFINITO-
rum, in Supplementum Commentariorum Academiæ Regiæ
Scientiarum; Autore BERNHARDO DE FON-
TENELLE, Secretario Soc. Reg. perpetuo.

Lutetiæ, ex Typographia Regia, 1727, 4.

Alph. 3 pl. 3 Fig. æn. Tab. 1.

Propositum est Celeberrimo operis hujus Auctori *Fontenel-
lio*, Theoriam infiniti ex ipsa ejus generatione extruere,
quæve calculi hodie cogniti, vel circa infinitum, vel finitorum
per infinitum determinationem suppeditant, inde a primis & ab-
solutis infiniti ideis sic persequi, ut in Systema coeant sui generis,
propriis sibi principiis fultum, & ab aliorum suppositionibus non
pendens, quæ a posteriori plerumque ducuntur. Qua ratione no-
vam lucem plurimis jam cognitis posse affuadi judicavit, & an-
tea non tradita eadem opera erui. Quicquid huc facturum in lu-
cem emisit, partibus duabus absolvitur, quarum primæ sectiones
sunt duodecim, secundæ octo. Nostrum est pro instituti nostri
ratione de singulis breviter dicere.

Est autem prima Sectio fere Lemmatica, & persequitur
ideas variationum, quibus quantitas quavis a quovis statu præce-
dente, sive ut termino, sive ut sequentium elemento, pervenisse
concepitur ad statum, quem obtinet. Ex his ipsis ideis eruuntur
ideæ rationum & proportionum, aliæque huc spectantia; ut, quot-
libet mediorum inter datos extremos formationes, variæque hujus
naturæ non tam nova, quam novis observationibus illustrata, vel
nova ratione ostensa, quæve possit ad infinitum expedite trans-
ferri. Ejus generis est observatio, medios arithmeticos interval-
lum inter eadem extrema minima, qua possit, inæqualitate divide-
re, geometricos maxima.

De

De infinite magno & diversis ejus ordinibus instituit tradere Sectio altera. Et præmissis quidem infiniti notiosis, & quæ hinc immediate sequuntur, fundamentum ordinum diversorum ponit, quod ex natura quantitatis infinitum adhuc infinitæ variationis sit capax. Ordines autem discernit potentiales & radicales. Potentiales $\infty \infty^2 \infty^3 \infty^4$ &c. ∞^∞ , & generaliter $1 \infty^n \infty^{2n}$ &c. ex infinita variatione finiti & infiniti procedentes in ultimis terminis serierum $1234 \dots \infty$; $1, \infty, 2 \infty \dots \infty^2$; $1 \infty^2, 2 \infty^2, 3 \infty^2 \dots \infty^3$ &c. &c. Hoc modo satis discriminantur, quæ ordinem transeundo mutarunt. Sed quid in ipso transitu actu & ad confinia ordinum diversorum eveniat, id quidem velò infiniti & quadam obscura ambiguitate obducitur. Igitur, quicquid hic lucis affundi potest, ex finitorum indicibus elicendum. Ejusmodi est, quod in finitis, quo major est quantitas, eo rationem minorem habet ad suum quadratum; deprehenditur autem ratio illa infinitefcere in infinitis. Quare, si finita datarum conditionum incrementis vel decrementis continuo varient, infinitefcendo omnes incrementorum & decrementorum conditiones consequuntur, quarum per statum infinitatis suæ capaces sunt: & si illas consequuntur, habuerunt autem per illos finitudinis status, de quibus constat, variables incrementorum vel decrementorum conditiones, iisdem per omnes finitudinis status continuo variarunt. Sic conditio summarum seriei 1234 &c.

∞ est $\frac{n^2+n}{2}$, quod pro serie tota fit $\frac{\infty^2}{2}$. Sit numerus termi-

norum $n = \frac{\infty}{2}$ & summa evadit $\frac{\infty^2}{8}$; ut prior sit ad hanc, uti

est 4 ad 1 . Hujus conditionis vestigia occurrunt in finitis n . Nam $1+2:1+2+3+4=3:10$, & $1+2+3:1+2+3+4+5+6=6:21$, quarum posterior vicinior est ipsi $4:1$. Infertur igitur ex eo, quod in infinito evaserit $4:1$, & in finitis, quæ sub examen vocantur, propior fiat ipsi $4:1$, eidem fieri continuo propiorem per finita omnia. Jam, quod ad ordines radicales pertinet, sint n & r numeri quivis non fracti, & inter 1 & ∞^r introduceantur medii,

numero n , ut progressio fiat $1, \infty^{\frac{r}{n+1}}, \infty^{\frac{2r}{n+1}}, \infty^{\frac{3r}{n+1}}$ &c.

∞

$\infty^{\frac{n+1}{n+1}}$ r: Medii diverso ordine infiniti illi sunt, quos radicales ordines vocat. Manente n sit r successive 1 2 3 4 &c. ut totidem series determinentur, & puros radicales illos vocat, qui incidunt in seriem mediorum inter 1 & ∞ , mixtos, qui in hanc r n incidunt. Mixti vero in sequentium serierum inter 1 & ∞^2 ; vel 1, ∞^2 ; 1, ∞^3 &c. medios vel ita incidunt, ut inter illos primum formentur, neque in præcedentibus seriebus, ubi r est minor, locum inveniunt, & hoc respectu huic seriei proprii sunt; vel in quibusdam simpliciorum, quæ præcesserunt, jam habentur, & hoc intuitu pluribus seriebus sunt communes. Binorum radicalium comparatio facilis est in serie, quam utrique ingrediuntur. Quam vero ingrediuntur, innotescit ex indicibus ordinum radicalium, collatis cum indicibus terminorum ultimorum in seriebus ∞ ∞^2 ∞^3 &c. & obvia ratione mutatis, ubi opus est. Sed & cum finitis certo modo comparari posse ostenditur. Tandem subjiciuntur quædam de partibus infinitesimis infiniti, quæ ordine descendunt. Consequens igitur est infinitum continere posse partes infinitas & finitas simul, illas finita, has infinita multitudine. Sic & progressionis $1 \infty^{\frac{1}{2}}$ $\infty^{\frac{2}{3}}$. . . ∞ rationes omnes finitæ sunt, ubi notatu dignum, quod hoc loco ostenditur, esse $\infty^{\frac{1}{2}} > 1$ & $< \infty^{\frac{2}{3}}$. Hinc vero intelliguntur etiam Theorematâ ordinis, sic enim in sequentibus vocabimus, quoties opus erit ad illa provocare. Si seriei infinitæ termini omnes sint ordinis n dabitur x mediæ & ejusmodi quantitatis, ut x x ∞ æquetur summæ seriei. Igitur si n explicetur per ordinem finitorum, erit summa ordinis ∞ . Si x est ordinis ∞ , erit summa ordinis ∞^2 . Si series habeat terminos infinitos ordinis n & infinitos ordinis n + 1; in summa inerat ordo n + 1 propter terminos ordinis n, & ordo n + 2 propter terminos ordinis n + 1; & adeo tota summa erit ordinis n + 2. Si, reliquis manentibus, numerus terminorum ordinis n fuerit finitus, erit eorum summa ordinis n, & proinde summa tota ordinis n + 2 ut ante; eo tamen intrinseco discrimine, quod priori casu summa terminorum, quorum ordo est n, ordines sequentes n + 1 uno termino augeat, & cum ipsis in summam coalescat, in secundo autem priorum termino-

Q

RUIN

infinite magnitudinis sunt, ejusdem cum ∞ ordinis, & in data ad ipsum ratione. Sed & medii inter horum quoslibet $\frac{\infty}{n}$ $2 \frac{\infty}{n}$ cadunt numero $\frac{\infty}{n}$, quorum ratio ad ∞ non datur. Designetur quilibet mediorum $\frac{\infty}{n}$ $2 \frac{\infty}{n}$ $3 \frac{\infty}{n}$ &c. indefinite, hoc characterē α , & divisum intelligatur intervallum inter 1 & ∞ per α eo modo, quo antea per n, & medii prodeunt $\frac{\infty}{\alpha}$ $2 \frac{\infty}{\alpha}$ $3 \frac{\infty}{\alpha}$ &c.

finiti omnes, ob rationem datam $\frac{\infty}{\alpha}$, & excurrentes usque ad $\frac{\alpha \infty}{\alpha}$, in quo coëfficiens numericus jam abit in aliquem terminorum α . Hic autem ipse terminus infinitus est, & in data ratione ad ∞ , ea videlicet, quæ est α numeratoris ad α denominatoris. Jam si habeatur α numeratoris pro primo ipsorum α in serie A inter 1 & ∞ incidentium, & infinita distantia ab 1 abesse advertatur, erit numerus finitorum $\frac{\infty}{\alpha}$ $2 \frac{\infty}{\alpha}$ $3 \frac{\infty}{\alpha}$ &c. ipsum $\frac{\alpha \infty}{\alpha}$ præcedentium omnino infinitus. Deinde si α denominatoris habeatur pro ultimo ipsorum α , & illo manente, α numeratoris successive transire intelligatur per magnitudines omnium

α , ipsum $\frac{\alpha \infty}{\alpha}$ transibit per terminos infinitos magnitudine & numero & in ∞ desinet, ipso α numeratoris exæquato cum α denominatoris. Patet vero & infinitum numerum AB infinite BC multo minorem esse, cum in suppositione, qua ponitur α numeratoris omnium α minimum, α denominatoris maximum, $\frac{\alpha \infty}{\alpha}$ numerus terminorum AB evadat portio valde parva $\frac{\alpha}{\alpha}$ ipsius ∞ , seu AC.

His ita expeditis, progredimur ad seriem A⁴. Huic inesse

concepitur 1) terminorum finitorum numerus finitus $A^2 B$ 2) terminorum ordinis ∞ numerus infinitus BC , 3) terminorum ∞^2 numerus infinitus CD , ipso BC major. Ordinentur seorsim series A & A^2

$$\begin{array}{l|l} A & 1 \ 2 \ 3 \ 4 \ \&c. \ . \ . \ . \ n \ . \ . \ . \ n^2 \ . \ . \ . \\ A^2 & 1 \ 4 \ 9 \ 16 \ \&c. \ . \ . \ . \ n^2 \ . \ . \ . \ Q \ . \ . \ . \ \dots \ \infty^2 \end{array}$$

& ad B infinitefcant termini ipsius A , erunt in A^2 omnes termini inde a B infiniti a fortiori. Sit igitur n^2 maximum quadratum finitum, id longo intervallo fequetur fuam radicem n in A , in A^2 autem fimilem locum obtinebit cum n . Quare in A^2 limes transitus in infinitum ceterior eſt eo limite B in A , & proinde per Q ordinabuntur quadrata infinite magnitudinis radicum tamen finitarum, & adeo major erit numerus terminorum infinitorum in A^2 quam in A . Quadratorum infinite magnorum & radices finitas habentium *παράδοξον*, quantum fieri poterat, leniturus obſervat finitudinis & infiniteſtatis ſtatus veluti fixos eſſe; magnitudinum in illo ſpectatarum determinabilem eſſe naturam & rationem ad i datam; utraque deſtitui, poſtquam jam infiniteſtatem conſecutæ ſunt. Inter utrumque igitur intelligi poſſe aliquem medium, in quo evadant indeterminabiles, ratione ad i excidant; in quo finitudinem habeant mobilem, quæ ſit veluti, ut ipſe ait, *la nuance des finis aux infinis*; hunc ſtatum habere finita in ipſo tranſitus actu, & licet reliqua, quæ ibi eveniunt, lateant ſub velo infiniteſtatis, licere tamen hoc indicio ſerierum A & A^2 , & conſpirantis reliquarum naturæ deprehendere partem ejus, quod totum perſpici nequit, & adeo finita indeterminabilia agnoſcere, quarum proprietas ſit, ut ad poteſtates eveclæ ordinem mutant. His ita ſe habentibus, termini infiniteſcunt in A^2 ad n , ubi in A incipiunt finiti indeterminabiles, & ſic finitorum in A^2 numerus eſt finitus, licet indeterminabilis: porro numerus finitorum in A infinitus eſt, unde ut ex iis multitudo finita tantum maneat finitæ magnitudinis in A^2 , ſequitur infiniteſtam multitudinem illorum finitorum infiniteſcere; adeoque inde terminos ordinis ∞ in eſſe in A^2 numero infinito. Si igitur inſpiciatur Tabula ſuperior, ex AB in ſerie A , finiti in numero finito derivantur in ſeriem A^2 , & præterea infiniteſtatis ∞ prodeunt ex indeterminabilibus ipſius A in

BC

BC seriei Aⁿ. Præterea numerus ipforum ∞ in BC seriei Aⁿ augetur numero finito terminorum ordinis ∞ ipsius BC in A, qui ex analogia finitorum ad quadratum erecti ordine ∞ non excidunt. Unde termini ∞ ipsius BC in Aⁿ numero excedunt terminos ipsius AB, & CD excedunt terminos in BC; interim & in CD ipsius Aⁿ pauciores sunt quam in BC ipsius A, unde derivantur. Eadem methòdo inferendo ostenditur, in Aⁿ numerum terminorum finitorum adhuc minui, numerum terminorum ∞ in B C evadere finitum, (cum infinita multitudo τω ∞ ex B C ipsius A evadere debeat ∞² in CD ipsius Aⁿ) CD & DE infinitos esse & DE > CD, CD > BC, BC > AB. In genere quamvis Aⁿ ingredi ordines diversos numero n + 1, duobus altissimis ordinibus tantum inesse multitudinem infinitam terminorum, in serie quavis numerum terminorum crescere hoc ordine A B, B C, C D, D E &c. In seriebus omnibus descendendo minui numerum terminorum per cognominum ordinum loca A B, B C, C D, D E &c. descendendo.

Tandem cum summa ipsius A sit $\frac{\infty^2}{2}$, & cujusvis Aⁿ summa necessario erit n + 1 ordinis, & pars ∞ⁿ⁺¹ eo minor, quo magis inæquales sunt termini ordinum altissimorum, quoque pauciores, id est, quo majus est n. Ultima harum serierum ponendo n = ∞, est 1[∞] 2[∞] 3[∞] 4[∞] &c. ∞[∞] & ostenditur esse 2[∞] idem cum aliquo ∞[∞] adeoque infinitis ordinibus ipso ∞ altiorem; unde 3[∞] in infinitis ordinibus superabit ipsum 2[∞]. Hoc autem innotescit considerando 2[∞] 3[∞] ultimos terminos esse serierum 2¹ 2² 2³ &c. 2[∞], 3¹ 3² 3³ &c. 3[∞] & conferendo earum terminos cum terminis ipsarum Aⁿ, in quibus n est numerus par, vel etiam observando intra quos medios incidant in serie 1[∞] 2[∞] 4[∞] 8[∞] &c. Quo loco stabiliuntur idæ moræ plurium seriei terminorum in ordine eodem; transitus continui terminorum ordinatim se consequentium in ordines consequentes, & transitus per saltum facti in ordines novos præteritis intermediis, & ostenditur seriei 1[∞] 2[∞] 3[∞] &c. terminos transire per saltum, transire continuo transitu, & etiam commorari; saltu transire per intervalla decrescencia, continuo transire per minorem ordinum numerum eo, in quo commoratur, & commorari moris continuo crescentibus. Pro-

ximo loco considerantur series inter A' & A^∞ interjectæ; primo quidem formæ $A^{\frac{1}{n}}$ incipiendo ab $A^{\frac{1}{2}}$ & descendendo ad $A^{\frac{1}{\infty}}$ seu A^0 , deinde formæ $A^{\frac{n-1}{n}}$ incipiendo ab eadem $A^{\frac{1}{2}}$ & ascendendo usque ad A' , nempe quando $n = \infty$, fit $A^{\frac{n-1}{n}} = A$; item, quæ sub forma $A^{\frac{n}{n-1}}$ ab A^0 descendendo in A desinunt. Has vero sequuntur A^0 ut $1^0 2^0 3^0$ &c. ∞^0 & $A^{\frac{1}{2}}$ $A^{\frac{2}{3}}$ $A^{\frac{3}{4}}$ & cum præcedentibus excutiuntur ea methodo, quam vidimus paulo ante. Sub finem sectionis comparantur inter se series A & ipsi respondens Geometrica inter eadem extrema 1 & ∞ , quam G vocat. Hanc autem G seu $\infty^{\frac{1}{2}}$ $\infty^{\frac{2}{3}}$ $\infty^{\frac{3}{4}}$ &c. ∞ & in superioribus ostenderit incipere ab infinito numero terminorum finitorum, desinere autem in finitum numerum infinitorum, & hoc loco confirmat novis rationibus. Quo facto, differentias comparat, quæ licet summam in utraque serie eandem nempe $\infty - 1$ habeant, diverso tamen ordine in A & G disponuntur. Summarum rationes etiam desinit, & quæ ex ea consideratione superioribus confirmandis idonea deprehendit; subjungit. Sed ad quartam Sectionem pergamus, quæ de infinite parvo inscribitur.

Hic stabilitis ideis infinite parvi seu $\frac{1}{\infty}$ & variorum ejus ordinum $\frac{1}{\infty^2}$ $\frac{1}{\infty^3}$ &c. $\frac{1}{\infty^\infty}$ aliisque eo facientibus, consideratur series genita ex divisione ipsius A per ∞ . Cum A seu $1, 2, 3,$ &c. ∞ constet infinita multitudinem terminorum finitorum & infinita infinitorum, patet $\frac{A}{\infty}$ seu $\frac{1}{\infty}$ $\frac{2}{\infty}$ $\frac{3}{\infty}$ &c. $\frac{\infty}{\infty}$ seu 1 , continere infinitum numerum terminorum infinite parvorum & infinitum finitorum infinite parva differentia $\frac{1}{\infty}$ continuo crescentium

uum & unitate minorum; unde per Theoremata ordinis facile
 judicium est de summa ejus. Seriei $\frac{A}{\infty}$ respondet Geometrica
 inter eadem extrema 1 & $\frac{1}{A}$ & eadem est cum serie G supra confi-
 derata, sed cujus singuli termini dividuntur per ∞ , ex quo faci-
 le est inferre, numero infinito terminorum infinite parvorum &
 finito finitorum constare. Porro ex consideratione differentia-
 rum hic stabilitur idea indeterminabilium finitorum adeo parvo-
 rum, ut ad potentias elevatæ ordinem inuteat, & in ordinum in-
 finite parvorum gradus descendant, eoque ipso analoga ideæ in-
 determinabiliter magnorum. Eadem methodo eruuntur ordi-
 nes terminorum ex iis, quæ de A^n in præced. Sect. ostensa fuerunt,
 & ostenditur summas habere finitas excepta prima; ipsarum

$$\frac{1}{A^n} \text{ vero summas esse finitas, } \frac{1}{A^{n-1}} \text{ infinitas, } \frac{1}{A^q} \text{ finitas } \frac{1}{A^q}$$

infinitas; $\frac{1}{n} \frac{1}{n^2} \frac{1}{n^3}$ &c. $\frac{1}{n^\infty}$ summam finitam esse: summam

$\frac{1}{G}$ non minus ac $\frac{1}{A}$ infinitam esse sed hac ipsa majorem. His
 vero subjicitur Theoria expansionis quanti cujusvis in seriem in-
 finitam partium decrecentium ipsi æqualem. Quo loco ejus præ-
 fertim modi consideratio occurrit, quo quantitatis pars & residuo-
 rum partes ejusdem denominationis in infinitum sumuntur, quive
 seriem geometricè proportionalium procreat. Reliquorum autem,
 hisce æquivalentium quoad summam finitam, disquisitio ad
 alium locum pertinet. Ceterum quæ in hac Sectione diversorum
 ordinum infinite parva spectantur, ex potestatibus eruuntur. Ge-
 neralior autem idea sub finem sectionis requirit considerationem
 elementi immediati & in ordine suo minimi, quod infinites sum-
 tum quantitatem ipsam restituat, veluti unitas elementum imme-
 diatum in ordine suo minimum est, ex quo omnes finiti numeri
 summantur. Atque hic ponit eruditissimus Vir ∞ non esse elemen-
 tum ipsius ∞^2 , sed ∞ ; quoniam capiendo ad ∞ tertium,
 qui

qui est infinitus $\frac{\infty^2}{\alpha}$, hic in α ductus efficiat ∞^2 ; sit vero α ipso ∞ maior. Eadem ratione α^2 pro elemento habet ipsius ∞^2 , quod factu $\alpha^2 : \infty^2 = \infty^2 : \frac{\infty^2}{\alpha^2}$ hic tertius in α^2 ductus efficiat ∞^2 . Sed hæc hæc haec, quæ restant, proxime exhibebimus.

ELEMENTI D' ARITHMETICA &c.

i. e.

ELEMENTA ARITHMETICÆ TAM NUMEROSÆ QUAM LITERALIS, EXPOSITA A JO. CRIVELLIO, C. R. S. Veneto, & DEDICATA EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ ac COMITI, D. CLELIAE GRILLABORROMÆÆ.

Venetiis, apud Gabr. Hertz, 1723, 8.

Plag. dimid. 22.

PERquam utile & elegans est hoc Arithmeticæ universæ compendium, cui vix aliud, non modo Italice sed & ceteris linguis conscriptum, præferendum videtur. Summi fere & excellentissimi autores, omisso elementis, non nisi altiora pertractarunt. Multi de Arithmetica practica vulgari, quam *partem minorem* vocat Cl. Autor, pauci de *parte majore*, sive Analyfi Algebraica, scripserunt. Nonnulli theoriam absque praxi; alii praxin sine theoria; quidam numeros, prætermisissis signis sive symbolis; aliqui etiam hæc absque illis, persecuti sunt. Ipse igitur rem utilem se facturum merito judicavit, si omnia a primis principiis repetens, non modo praxin sed & theoriam, non modo Arithmeticam numerosam sed etiam speciosam sive symbolicam, ordine ac luculenter exponeret; tyronum imprimis gratia, qui hujus præstantissimæ scientiæ studiosi, non facile inveniunt, unde haurire eam commode possint. Quanquam etiam passim plura atque majora affert, quam quæ simplici tyroni sufficere videantur. Et in præfatione quidem cum instituti sui rationem reddit,

tum

tum de origine ac progressa utriusque Arithmetice succincte tractat, eumque locum his verbis concludit: *postremo calculus infinite parvorum, a Leibnitio A. 1684 publicatur, ad infinita nova inveniendâ occasione dedit Viri doctissimis, ut Bernoulliis, Hospitalio, & compluribus aliis; quorum studio atque attentione ad tam altum evecta gradum Arithmetica speciosa est, ut altius evehî non posse videatur.* Libellus ipse divisus est in quatuor sectiones. In quarum una, quæ totidem rursus capitibus constat, explicatis primis conceptibus de quantitate, signisque ad eam exprimendam introductis, primus traditur Algorithmus cum numerosus tum literalis; deinde constructio cujuslibet potentie & extractio cujusque radice Arithmetice docetur; postremo regule analyseos fundamentales stabiliuntur. Sectio altera duodecim absolvitur capitibus, in quibus de ratione & proportione cum Arithmetica tum Geometrica, cum simplici tum composita, de regula aurea directa & inversa, de fractionibus, de fractionum fractionibus, de fractionibus decimalibus, itemque de proportione harmonica tractatur, atque applicatio analyseos ostenditur ad problemata simplicia tam determinata quam indeterminata. Sectio tertia, in septem capita divisa, de Algorithmis agit potentiarum & radicum, cum simplicium tum compositarum, de æquationibus duarum dimensionum earumque resolutione, & de applicanda Analyfi ad problemata duarum dimensionum tam determinata quam indeterminata. Denique sectio quarta novem capitibus exponit series Arithmeticas, Geometricas, numerorum figuratorum & potentiarum, nec non compositas, novissimeque etiam variationes & combinationes attingit, canonesque exhibet, cujus ope quantitas quæque ad quamcunque potentiam elevari potest. Ceterum Cl. Autor, si hanc partem operis sui Arithmetici non inutilem judicari viderit, etiam partem alteram se editurum pollicetur, ubi res magis arduas tractabit atque æquationes altiorum graduum, ita tamen, ut terminos puræ arithmetice nunquam excedat, nec constructiones exhibeat geometricas, quippe ad alium tractatum, ipsius iudicio, pertinentes.

SYLLOGE I VARIORUM DIPLOMATARI-

R

ORUM

orum Monumentorumque veterum in editorum ad huc, & res Germanicas, imprimis vero Moguntinas, illustrantium, quæ tandem plenaria libertate donare decrevit VAL. FERD.

DE GUDENUS, Immed. Ordinis Equestris Imperii
Circ. Rhen. Super.

Francof. ad Moenum, apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort,
2728, 8 maj.

Alph. 2 pl. 9 cum nonnullis figuris æri incis.

Quam egregie de historia patria meritis sit Vir Perillustis *Valentinus Ferdinandus de Gudenus*, Cameræ Imperialis Assessor splendidissimus, e lectoribus nostris ignorare nequeunt illi, qui eorum, quæ de Cl. Joannis Scriptoribus Rerum Moguntinarum A. MDCCLXXIII Mense Octobri diximus, meminerunt, quod in antiquitatibus patriis collocatum studium, tantum abest, ut Generosissimus Eques ex illo tempore abjecerit, ut potius hac, ejus titulum dedimus, Sylloge clarissime nunc demonstraverit, se gravissimas eminentissimi muneris curas his laboribus, veluti suis deliciis distinguere, magno & nostro & posterorum emolumento, quos tantam virtutem imitari jubemus. Hoc ut rectius intelligatur, brevi commemoratione, quæ commendationis loco erit, quid in hoc Volumine bonæ frugis lateat, indicabimus.

Quod evolventi librum omnium primum in oculos incurrit, est luculenta Perillustis Autoris Præfatio, in qua ille primo loco eximias nonnullas Artis Diplomaticæ Regulas, ex diuturno Archivorum Moguntinorum, aliorumque usu, in Antiquitatis studiosorum insignem utilitatem, tradit, inde, quid in ipso Volumine præstiterit, edocet, qua denique fide hæc omnia edita sint, commemorat. Illæ Regulæ sunt quantivis pretij v. c. omnia Diplomata & Libellos ante A. MCCLXXX conscriptos esse membranaceos; Diplomata ad seculum usque XI, magis in latum, sequentium temporum monumenta magis in longum porrigi; ad eum annum, ad quem omnia sunt membranacea, ad eum quoque esse omnia Latina; angusta & elegantiori figura characteris præcellere Diplomata seculi XII; Siglas in diplomatibus antiquis Latinis non occurrere, exceptis initialibus nominum propriorum literis,

p. 2.

3.

4.

6.

literis, quibus ipsa nomina cum in principio atque in ipso contexto, tum in adductorum testium serie sæpissime, licet valde obscure sunt indicata; Cifras in antiquis diplomatibus prorsus exulare; una serie conscripta esse diplomata, omnium etiam parenthesium, cominatum & punctorum expertia; prænominum binorum morem ante exitum seculi XV fuisse insolitum; homines privatos intra seculum X & XI paucas vel nullas conscripisse tabulas, usos ea in re Episcopi vel Magistratus autoritate & opera, contra morem antiquiorum & recentiorum temporum; annum Pontificatus in chartis Episcoporum non semper a tempore Electionis & Provisionis papalis, sed a die consecrationis computandum esse; sigilla ad A. MCXC diplomatibus ipsis, secta in loco sigilli decussatim membrana, fuisse impressa; Episcopos & Abbates principes, imagini suæ in sigillis scutum Ecclesiæ suæ & familiæ apponendi initium fecisse circa A. MCCCXX ita, ut illud loco dextro, hoc sinistro locarint; figuram Equestrem personæ laicæ semper indicare Virum natalibus illustrissimum, videlicet Comitum; Monogrammatum continuam seriem definire cum Friderico I, Henrico VI & Ottonem IV eadem vix adhibuisse; Philippi Imperatoris literas esse rarissimas; Fridericum II ab eò more non prorsus fuisse alienum; Carolum IV in chartis solennioribus postliminio eum restituisse; subscriptiones manu propria inchoasse Maximilianum I, Caroli vero V non exstare diploma, quod non sua sacratissima manu subnotaverit, quæ omnia atque singula, quantum valeant ad noscendam proborum diplomatum naturam, ad infringendam improborum auctoritatem, nobis tacentibus, constat.

Sed his alia non minus jucunda passim insperguntur, quale est illud p. 3 primum diploma idiomate Germanico exaratum, quod oculis usurpavit Perillustri Autor, esse Imperatoris Rudolphi A. MCCLXXXVI; & quæ p. 11 ad illustrandam quæstionem sane ancipitem afferuntur: num in diplomatibus cognomina nobilium, à villis castris prædiisque petita, indicent tantum locum domicilii hujus vel illius nobilis, nomine gentilitio stemmatis in occulto permanente; an vero ejusmodi locis in hæserit nobilis alicujus familiæ cognomen; & quæ p. 20 de aquila bicipite ob-

fervantur, quo insigni gentilitio, Cæsarei simillimo, Comites de Saarwerden, testibus sigillis, seculo XIII usi sunt, cum inter Imperatores Ludovicus Bavarus prius gemina, Carolus IV bicipite signaverint.

p. 1.

Sed ad ipsas gazas deveniendum est, quæ ut Perillustris Autor in fronte libri loqui amat, post diram plurium seculorum inclusionem e carceribus tenebrosis in lucem asseruntur, & in hoc volumine plenissima libertate donantur. Sunt illæ I Codex diplomaticus Monasterii quondam Schönauensis, non illius quod in Diocesi Trevirensi est, Ordinis D. Benedicti, nec quod in Herbipolensi Episcopatu ad Salam Fluvium est seculo XII conditum, excunte superiori seculo fratribus Minoritis concessum, sed quod anno post C. N. MCXII prope Heidelbergam pro Alumnis Ordinis Cisterciensis a Buggone Wormatiensi Episcopo est extractum, cujus Codicem Apographorum cum Perillustris Autor sit nactus, ex eo diplomata CLXVI, ab A. MCXLII ad A. MCCXLIX, hic evulgavit. II Codicillus diplomatum Parthenonis Beurenensis in Eichsfeldia Diplomatum XVIII, sigillis etiam VIII æri incisis exornatus. Partheno Beurenensis Sanctimonialium Regulæ Cisterciensis A. MCCXVII Rudolpho de Bodenslein suam debet originem, quem cum tempore mutatorum in Germania sacrorum deflorescentem vindicavit sibi Elector Moguntinus, tabulæ etiam

305.

Archivo Moguntino cesserunt, reversisque in pristinam possessionem emtionis jure virginibus sacris Cisterciensibus, relictæ sunt ibidem, ubi eas transcriptas hic dedit Perillustris Autor. III Recensio Codicum antiquorum complurium tam manuscriptorum quam impressorum Moguntia in Reverendissimi Capituli Metropolitanæ Bibliothecæ latitantium, nempe non omnium, sed totidem quot Perillustri Autori inspicere licuit. Reliqua addere cum difficillimus aditus, tum discessus Wezlariam ad eminentissimum munus, quo fungitur, capeendum vetuerunt. Digna sunt cognitu, quæ de hac antiquissima Bibliothecæ in præfatione p. 40 dicuntur. In ipso opere recensentur Codices Manuscripti LIII, inter quos eminent n. 7 Katholicon, ob elegantiam Scripturæ, n. 17 Flavius Josephus de Bello Judaico, n. 22 Sextus decretalium, n. 25 Decretales Gregorii IX, 26 decisiones Rotæ Romanæ, n. 35 Statuta

337.

Mag-

Magdeburgensis Archiepiscopi Burchardi & Statuta Synodalia Joannis Episcopi Numburgensis, n. 53 Chronicon Collegii Windesheimensis. Hos insequuntur Libri ab Incunabulis Typographiæ excusi XCI, quorum antiquissimus Rationale divinorum officiorum per Joannem Fussl & Petrum Gernsheim 1459 6 Octobris: recentissimus Antonius de Butrio super primam decreta! Venetiis per Joannem & Gregorium de Gregoriis 1501 8 Octobris. IV Manipulus Chartarum diplomaticus XXV, cum Cœnobii Schwarzachensis Ordinis S. Benedicti Dioceseos Argentinen- sis, tum Civitatis Imperialis Wezlarensis. V Elenchus Cancellariorum Electoralium Moguntinensium ab A. MXCIII ad annum usque MDCCXXVIII. Est hæc Archiepiscopi & Electoris Moguntini insignis prærogativa, quod ab antiquissimis temporibus tribus usus sit Cancellariis, Episcopo Eichstadiensi in ordinandis tam diocesanis quam metropolitanis rebus ecclesiasticis, S. R. I. Vice-Cancellario in Archicancellariatu Germaniæ administrando, Aulæ denique Cancellario, in aulæ ditionisque Moguntinæ regimine, quorum cum istos nemo non norit, illos doctissimus Mallincrotius collegerit, hos ab Ethelgero Præposito Northunens- si, Ruthardo Episcopo a manu, ad Virum Illustrem Jo. Georgium a Lasser, hodierni Eminentissimi Celsissimique Electoris Principis Cancellarium, undique conquistos illustratosque laudatissimæ diligentiæ Perillustis Autoris nostri debemus. VI Diplomatum promiscuorum Authenticorum Decades IV.

Superest ut exponamus, qualem se in edendis his gesserit Perillustis Autor, ubi notamus, Præfationem inter & Codicem diplomaticum primum Schönaugiensum apparere Syllabum diplomatum omnium, huic primo Tomo insertorum, perquam luculentum, in fine utilissimos adjectos esse Indices: I Pagorum, urbium, oppidorum, castrorum, villarum, monasteriorum, montium, sylvarum, fluminum &c. in his monumentis occurrentium; II Vocabulorum barbarorum & exoticorum; III Personarum, quos inter summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Antistites exteri, Magister Ordinis Teutonici, Abbates, Prælati, Regulares, secundum Dioceses & temporum ordinem, inde Reges Romani & Imperatores, Reges, Electores, Duces & Princi-

pes, Comites, Dynastæ, Nobiles, Cancellarii, reliqui, tandem Typographi &c. IV Rerum: ipsa autem diplomata passim eximiis illustrata esse notulis, de quibus nova dicendi, ni nos nimios fore vereremur, in promptu esset occasio. Conferant harum rerum cupidi pag. 10, ubi Guntherus seculo XII Spirensis Episcopus, inter Leiningenses Comites relatus, Hennebergicis ex vero asseritur; p. 38 ubi error communis, Conradum II Wormatiensem Episcopum A. 1187 obiisse, diplomate A. MCXCI refellitur; p. 110, 123, 144, ubi varia ad Nobilitatis Germanicæ naturam noscendam idonea prudenter & tempestive moneatur; p. 323, ubi de Pincernis in Tautenburg perquam eximia traduntur. Sed missis his & privatæ uniuscujusque diligentæ relicta, silentio involvere non possumus, quanta adhibita curâ hæc in lucem sint edita. Nempe in præfatione p. 40 affirmat Perillustris Autor, se illa Diplomata omnia atque singula vel ex ipsis venerandis authenticis, vel ex vetustis libris copialibus propria manu descripsisse, eoque facto iterum diligentem, eamque perquam necessariam collationem adhibuisse, immo etiam sub prelo sudantia a se esse recognita, ea, quæ par est, circumspicione ac diligentia, ut emendata & absque corruptione omnia prodirent, quod ipsum uti & illis, qui sunt, & qui post aliis erunt in annis ejusmodi thesaurorum Editores, apprime commendamus, ita reliquorum Tomorum sitim perquam accendit, quam ut Perillustris Autor quantocyus reslinguere non dedignetur, verecunde rogamus.

SILESIACARUM RERUM SCRIPTORES
aliquot inediti, accedunt Codicis Silesiæ Diplomatici Specimen & Diplomatarium Bohemo-Silesiacum, quibus inseruntur Dissertationes duæ, quarum prior Historiæ Silesiæ diplomaticæ Specimen, altera Historiam Genealogicam Ducum Silesiæ sistit. Confecit opus non Silesiæ modo sed & vicinarum gentium res adornans FRID. WILH. DE SOMMERSBERG, Eques Silesus.

Lipsiæ, sumptibus Mich. Huberti, 1729, fol.
 Alph. 12.

BENÈ meritis videbatur Illustris Autor, cum de ultima Patriæ suæ antiquitate, edito *Regno Vanniano*, tum de reliqua Silesiæ suæ historia, *Lemmatibus historicis ad Ducatum urbemque Vratislaviensem pertinentibus*, *Stenique Bregensis Silesiæ & imprimis Vratislavia descriptione*, illi Regno Vanniano subjunctis, & opere magis luculento, *Tabulis Genealogicis Ducum Superioris & Inferioris Silesiæ*; quorum illa in nostris Annalibus A. MDCCXXII Mense Decembri p. 560, has A. MDCCXXIV Mense Martio p. 153 retulimus, & ut par erat, commendavimus; sed fuisse illa priora exiguas promulges epularum splendidissime instruendarum, ex præclarissimo hoc Scriptorum Silesiacorum Opere apparet, quo suæ in lectissimam dilectissimamque patriam pietati omnium primus ex arte satisfecit, quoscunque rerum historicarum cupidos eximio affecit beneficio, simul illustre nomen ex merito, dum hæc manebunt literæ, ab oblivione & interitu vindicavit.

Ut autem nostris lectoribus de eximii operis natura eò rectius constet, annotamus, quadruplicis generis nobis videri illa omnia, quæ Amplissimi Senatoris laudatissima cura sumus nacti, quorum primum est Autorum antea non editorum, alterum scriptorum, quæ Illustris Editoris diligentia debemus, tertium eorum libellorum, qui apud paucos supersites manuscriptorum codicum pretium æmulantur, quartum diplomatum res antiquas mirifice illustrantium. Ad primum genus quod attinet, sunt Scriptores, qui hoc Volumine exhibentur, inediti: I *Joannes*, Joanne Dlugosso antiquior Autor, qui Polonorum res ab origine gentis ad finem usque seculi post C. N. tertii decimi descripsit. II *Autor Anonymus* Chronicæ Principum Poloniæ cum eorum gestis, circa finem seculi XIV fide ac industria singulari compilatæ. III *Sigismundus Rostzius*, qui circa A. 1470 Chronicam & Numerum Episcoporum Vratislaviensium conscripsit, hic ex tribus codicibus, qua lieuit, emendatum, & notis variis ab Illustri Editore subjectis illustratum. IV *Daniel Rapoldus* I. V. L. Episcopi Vratislaviensis Consiliarius & utriusque Ecclesiæ ad S. Joannem & S. Crucem Syndicus, qui circa A. 1560 Historiam de illustrissimo Silesiæ Ducatu seu conscribendorum illius provinciæ Commentario-

p. 1.

13.

64.

98.

p. 14. riorum Epitomen confecit, diligenti illi patriarum rerum scrutatori G. Rhonio nunquam viſam, hic ab interitu ſervatam. V *Nicolaus Henelius ab Hennenfeld*, S. C. M. & Ducis Lig. nienſ. Conſiliarius, Ducatus Monſterbergenſis & Territorii Francoſteinenſis Procancellarius, ac Reipubl. Vratiſlav. olim Syndicus, qui, patria primus in Hiſtoria, inter alia egregia ſcripta, etiam Ducatus Monſterbergenſis & Territorii Francoſteinenſis Chronicon concinnavit, quod cum *ἱερόγραμμα* nactus eſſet Illuſtris Autor, ex eo excerpta ampliffima nobis dedit, immo Chronicon integrum, ſi rerum in Sileſia geſtarum & ab Autore deſcriptarum ſeriem ſpectes.

256. Ad ſecundum genus retulimus ea, quæ Illuſtris Autoris diligentæ unice debemus, nempe *Differtationes duas Hiſtoricas*, quarum altera Hiſtorica, res univerſæ Sileſiæ & Ducatuum ſingulorum vices & fata diplomatica fide ad noſtram uſque ætatem illuſtrat, altera, Genealogica VII Tabulis, ex monumentis fide dignis, ſuperioris & inferioris Sileſiæ Duces, a Piaſto Duce Poloniæ & Przemislao III Ottocaro Rege Bohemiæ oriundos ab initio ſæculi XII ad finem uſque XVII ſiſtit. Sunt illi Duces Tabula I Vratiſlavienſes a Wladislao II, qui A. 1159 obiit, ad Henricum VI, quinque filiarum patrem, quarum Margaretha Abbatiffa ad S. Claram Vratiſlaviæ A. 1378 ultima obiiffe videtur, Tabula II Glogovienſes & Saganenſes, Piaſti poſteri, a Conrado II, qui A. 1298 obiit, ad Joannem II, quinque filiarum patrem, quarum, quæ poſtrema obiiffe videtur, eſt Anna, Carolo Monſterbergio nupta, quæ A. 1541 deceſſit. Tabula III Olsnenſes, Piaſti poſteri, a Conrado I, qui A. 1266 obiit, ad Conradum VIII Album, A. 1492 decedentem. Tabula IV Suidnicenſes, Javorienſes, & Monſterbergenſes, Piaſtei, a Bolosne I, qui A. 1303 obiit, ad Joannem, A. 1429 ab Huſſitis cæſum. Tab. V Lignicenſes & Bregenſes, Piaſtei, a Roſeſlao III, qui A. 1352 obiit, ad juventutis Principem Georgium Wilhelmum, A. 1675 acerbiffimo funere elatum. Tabula VI Teſſinenſes, Opolienſes, & Ratiborienſes, Piaſtei, a Miſcone ſeu Miſeſlao A. 1211 defuncto ad Fridericum Wilhelmum A. 1625 denatum. Tabula VII Opavienſes, Ratiborienſes, & Monſterbergenſes, Bohemici ſanguinis, a Nicolao I Duce Opaviæ, Przemislai Ottocari Regis Bohemiæ

hemix V filio, A. 1318 rebus humanis exempto, ad Valentini
 Ducum Ratiboriensem, A. 1321 *παραδεδωκεν* mortuum, quæ Tabulæ
 omnes doctissimis commentariis sunt illustratæ, quibus coævis aut
 saltem antiquissimis testimoniis ubique firmantur, infinita antiquo-
 rum recentiorumque scriptorum *παρορματα* notantur, resellun-
 tur, emendantur, & Historiæ Silesiacæ Genealogicæ potissima
 momenta in luce clarissima collocantur, ut Equitis Generosissimi
 in antiqua illa patris memoria restituenda sagacitatem, & perti-
 nax sed laudatissimum tot Historias, Annales, Chronica, Necro-
 logia, Diplomata, omnis ævi, omnis generis, edita, inedita, perle-
 gendi, conferendi in unum, comparandique inter se studium ac
 diligentiam inter Senatorias curas & imposta a Principe, cui a Con-
 siliis est, negotia non possumus non mirari. Si uno alterove exem-
 plo fides nostræ assertioni faciendæ est, p. 314 ostenditur, Hofman-
 num, rerum Bambergensium scriptorem non ignobilem, Conra-
 dum, Boleslai Alti Ducis Vratislaviensis filium, Bambergensem E-
 piscopum, A. 1203 defunctum, cum Conrado Glogoviensi Patavi-
 ensi Episcopo, A. 1298 denato, confudisse. Henrici VI Ferrei, Du-
 cis Saganensis, Conjugis & nomen & gens mire dubia. Annam
 eam esse dicendam, ex diplomate Henrici Ducis probatur p. 356.
 Wankonis, Ducis Masovix, Domini Plocensis, filiam fuisse, in To-
 mo horum Scriptorum II ostendetur. Conradum I Olsnensem plu-
 rimi A. 1350 obiisse perhibent. Hos sequi vetat Diploma Conradi
 de A. 1363, cum quo si conferas Diploma aliud A. 1367, quo Con-
 radus II a Rege Bohemix Wenceslao patrias terras fendi jure ce-
 pit, circa A. 1366 obiisse mortem Conradum illum I constat, vide
 p. 375. Quo anno Bolco II Dominus Monsterbergensis denatus
 sit, Annales patrii tacent, Dluglossus illud II Id. Jun. anno Domini
 MCCCXII contigisse tradit. Tabulæ allatæ p. 413 ostendunt, nu-
 merum hic centenarium excidisse, immo & literæ X reliquas du-
 as unitates perperam adjectas, quod filiorum Joannis & Henrici
 Dominorum Monsterbergensium Tabulæ de A. 1411 25 Sept. p. 414
 excitentur, ex quibus & novissimis Bolconis de A. 1410 d. 3 Jan.
 colligitur, anno hoc exeunte, vel illo inenante decessisse Bolconem.
 Habuit idem conjugem Euphemiam; sunt qui Oettingensem fa-
 ciunt, sunt, qui Pomeranam, sunt, qui se nescire ingenue fatentur,
 fuisse

fuisse Bolconis Ducis Coslensis & Margarethæ de Sternberg filiam, sive Caroli IV Imperatoris pag. 413 conficitur. Quam egregie omnes Wladislai Ducis Bithuniensis & Coslensis posterii, quos fere longa hætenus urfit nox, Diplomatum beneficio vindicati sint, pag. 686 & sequentibus legere est. Veremur, si plura, quæ in manibus sunt, feliciter reperta & eruta, hic traderemus, ne lectoribus tædio sint nostris, quæ illis, qui res Silesiacas amant, aut ob commune historiarum vinculum ejusmodi nodorum solutionibus indigent, non possunt non esse jucundissima.

- Quare ad tertium scriptorum hoc Volumine exstantium genus digredimur, quæ edita olim, raro tamen in Bibliothecis apparentia, multorum exercuerunt desideria, hic magno amatorum commodo restituta. Hoc in loco censendi sunt 1) *Nathanaelis Tilefi* a Tilenau, P.L. Civis Romani & Ecclesiarum liberi Patronatus Milicensis Superintendentis, *Tabula Genealogica Gentis Kurtzbachiorum*, Vratislaviæ 1602 typis impressa, hic autem ex Nic. Henelii Adversariis Historiæ Silesiacæ MStis & Nic. Pohlii Annalibus Vratislaviens. MStis correctæ, & Comitum Malzaniorum, ad quos libera Dyuastia Milicensis a Kurtzbachiis Baronibus cognationis jure pervenit, stemmate aucta. 2) *Danielis Czepkii*, Ecclesiæ Marianæ Suidnicensis Pastoris, *Gynæceum Lygio-Bregense*, Lipsiæ 1626 typis mandatum, magnâ fide, magna industria, ita tamen conscriptum, ut Illustri Autori spicilegium amplissimum superferit, quod notæ frequentissimæ indicant. 3) *Ejusdem Autoris Ascania Connubiorum Vincula cum Ducibus Lygio-Bregensibus*, Suidaicii edita. 4) *Jo. Schrammii*, Henrici Ducis Lignicensis Cancellarii, *Genealogia Ducum Silesiæ Lignicensium, Bregensium & Goldbergensium*, Witteb. 1574 per Jo. Lust excusa. 5) *Eloasari Tilefi*, Ducibus Teshinensibus a secretis, *kurze Verzeichnüß, Bericht und Auszug von dem Stamling und Ankuñft der Herzoge zu Teshchen und Grossen Glogaw, Freibergæ Misenerum A. 1588* quondam evulgatus libellus.

Supereft monumentorum genus quartum, diplomata, quæ ex variis libris MStis, imprimis autem ex Volumine quodam Serenissimi Principis Caroli Friderici Ducis Wurttembergici & in Silesia Olsnensis, celeberrimi Tabularii Carolosteinensis parte quon-

quondam non minima congesta, & in duos Codices dispersita hic leguntur. Alter illorum Codicum ad utramque Silesiam unice pertinet, alter diplomatarium est Bohemo-Silesiacum; alter est diplomatium CLII, alter CCVIII, in quo, si dixerimus, quod res est, inedita numerum ducentorum & triginta superare, magno nos, quod ad Silesiorum res attinet, thesauro beatos esse diximus, Nil reliquum est, quam ut Tomo Scriptorum Silesiacorum secundo, apparatu non minore instruendo, faustam Lucinam ex animo apprecemur.

P. 773.
917.

Versuch zu einer Historie der Gelehrtheit.

h. e.

MARTINI SCHMEIZELII, PROF. PUBL.

Specimen historię eruditionis.

Jenę, apud Petrum Fickelscherr, 1728, 8.

Alph. 2 pl. 10.

Historiam literarę sapientię, ac singularum ejus partium, breviter expositurus Cl. Autor, Jenensis Academię Professor, non solum proœmium, quo hujus cognitionis necessitatem urget, sed aliquot etiam capita præmittit, in quibus de natura & attributis eruditionis agit doctissime. In Proœmio scilicet sive capite præliminari observat, eorum, qui literati vocantur, plerosque non habere justam eruditionis ideam, nec perspectam iis esse omnium eruditionis partium connexionem, atque hinc fieri, ut perpauci prudenter tractent literarum studia. Cujus rei cum ignoratio magno sit conjuncta damno, hoc libro complecti statuit, quę edocendos existimat jam in Gymnasiis adolescentes ad veram ac solidam tendentes eruditionem. Totum opus octo absolvit Capitibus. Et primo quidem contemplatur hominem, ejusque & intelligentiam & voluntatem corruptam esse docet, utramque vero sanari posse eruditione. Persequitur simul causas, cur ex humano genere adeo pauci ad veram eruditionem perveniant. Capite secundo interpretatur erudite diversa eruditionis nomina, nec solum ipsum *eruditionis* nomen considerat, sed etiam vocabulum *sapientia*, *doctrina*, *viri eruditi*, *docti*, *literati*, *σοφίας*, *παιδείας*,

ac cetera. *Tertium Caput* in decem divisum est capitula, quorum *primo* agit de natura eruditionis, ejusque definitionem exhibet & illustrat; *secundo* de fonte eruditionis disserit utroque, ratione & sacra Scriptura; *tertio* de certitudine eruditionis, quam demonstrat potissimum exemplis hominum eruditione præditorum; *quarto* de eruditionis necessitate; *quinto* de causis veræ eruditionis, ubi exclusis dæmonibus, excluso item lapide philosophico, docet, eruditionis naturalis causam esse ingenium homini a natura tributum, eruditionis vero spiritualis causam, esse illuminationem divinam; *sexto* de fine eruditionis pie ac solide philosophatur, itemque *septimo* de ceteris eruditionis veræ; *octavo* de gradibus agit eruditionis; *nono* de tribus adjumentis eruditionis, natura, disciplina, & exercitatione; *decimo* denique de oppositis eruditionis, ignorantia, galantismo, pedantismo, charlatanismo, automathismo, & plagio literario. His præmissis *Capite quarto* in universum agit historicè de origine, incrementis, & propagatione eruditionis. Jam *Capite quinto* persequitur singulas eruditionis partes à p. 219 usque ad p. 331. Et initio quidem in tabula representat cognationem & connexionem disciplinarum omnium, eamque illustrat. Hinc singulas scientias suscipit contemplandas ita, ut suis meditationibus de natura, complexu, & utilitate cujusque scientiæ subiciat non solum uniuscujusque disciplinæ historiam, verum etiam catalogum meliorum de singulis librorum. Habet igitur suum capitulum Grammatica, linguæ Hebraica, Græca, Latina. Imo & hodiernæ linguæ perstringuntur, Gallica, Italica, Hispanica, Lusitanica, Germanica, Belgica, Anglicana, Scotica, Dànica, Sæcica, Norvægica, Russica, Polonica, Bohemica, Wallachica, Moldavica. Sequitur eadem methodo Rhetorica, Poesis, Critica. Tum progreditur Cl. Autor ad Philosophiam, & partium ejus exhibita connexionè in tabula, historiam Philosophiæ inde à primis natalibus describit ad nostram usque tempora. Spèciatim deinde per certa capitula ea, quam diximus, methodo agit de Metaphysica, Lógica, Ethica, Théologia naturali, Jure naturæ & gentium, Jure civili, Jure ecclesiastico, Oeconomica, Politica privata, Politica civili, Medicina, Gymnastica, Physica, & Mathesi. Hinc de Historia disserit pari industria, tum de eccle-

ecclésiastica, tum de naturali, tum de antiquaria, tum de civili, tum de genealogica & heraldica, tum denique de literaria & philosophica. Postremo loco pertractat theologicas disciplinas, hoc est, Theologiam catechetica, positivam, moralem, exegeticam, polemicam, homileticam, casuisticam, Symbolicam, & Patristicam. Perbrevia sunt tria ultima Capita. Et *sexto* quidem agit de applicatione eruditionis ad diversos status hominum; *septimo* de officinis eruditionis, hoc est, de scholis cum minoribus, tum majoribus, quas vocamus Academiis; *octavo* aliquot scriptores nominat, e quibus tractata hoc opere argumenta illustrari possunt pluribus.

Liceat vel tribus verbis addere, Autorem nostrum hoc eodem A. 1728 edidisse sermone Germanico *Ichnographiam justae Historiae Imperii Romano-Germanici*. Dissert ea a ceteris hujus generis operibus in eo, quod non solum Imperatorum; sed etiam praecipuorum Imperii nostri Statuum historiam exhibet, chronologiam & synchronismos diligentius observat; statum denique Juris publici, Juris feudalis, & religionis per singulas historiae hujus periodos describit. Cum vero singula brevissime exhibeantur, eo scilicet fine, ut auditoribus theses suppetant, quas locupletissime illustrantem Cl. Autorem in suis scholis majore cum fructu audiant, nostrum non est diutius hic haerere, sed expectare potius, dum doctissimus Autor totum corpus Historiae Imperialis edat una cum tabulis ad eam pertinentibus Chronologicis.

SPICILEGIUM SCRIPTORUM; REFORMATIONIS historiam illustrantium, cum recensione variarum librorum rariorum, editum a JO. ZACHARIA GLEICHMANNO. Ejusdem Continuatio prima, secunda, tertia, & quarta.

Gothae, literis Reyherianis, & Jenae, literis Hallerianis;

1723 - 1727, 8.

Pl. 9 $\frac{1}{2}$.

Excitatus Vir Cl. qui Sereniss. Ducis Gothani Advocatus aulicus & Redituum Praefectus est per Comitatum Ohrdrufen-

S 3

sem.

sem, adhortatione Hermanni Hardtii, trium *Autographorum Lutheri* tomorum (quos in his Actis A. 1690 p. 625 & A. 1691 p. 422 laudavimus). Editoris celeberrimi, ut, si quis parvis antiquitatis reliquias librarias reperiat, eas ne gravetur illi thesauro adjicere; hoc *Spicilegium* non ita pridem edidit. Uti vero Cl. Hardtius *autographa Lutheri* vocat libellos summi hujus viri, ipso curante & recognoscante editos, atque adeo accuratissima fide exscriptos, sic & Gleichmannus noster exhibet primas omnium editiones, quas ipse possidet, libellorum hodie rarissimorum. Nominabimus ex hocce catalogo aliquot raritate eminentes. *D. Philippi Melhoser Offenbahrung der allerheimlichsten Heimlichkeiten der iegigen Waals - Priester, genannt Canon oder die stille Mess, 1525.* *Simonis Hessi* libellus ironicus contra Magistros nostros Colonieneses & Lovanienses, 1521. *Hansß Greifenbergers* *kurzer Begriff von guten Wercken, 1524.* *Thome Rhadini Pordischi, Placentini, Ord. Præd. ad Principes & populos Germania Oratio in Lutherum nationis gloriam violentem*, Romæ primum edita, Lipsiæ recusa A. 1520, *Joannis de Indagine, Parochi in Steinheim, Introductiones apotelesmaticæ, 1512*, quo in libro ex astris prædicitur reformatio Ecclesiæ. *Melauchtbonis* Epistola ad Oecolampadium *de Lipsica Disputatione, 1519.* *D. Jo. Dracconitæ* *Leichen - Predigt auf Seliuum Kobanum Hessum, 1541*. Ex ceteris libris rarioribus, quos possidet Cl. Autor, commemorandus nobis videtur *Vocabularius utriusque Juris*, ante A. 1486 impressus; *Chronicon totius orbis*, a *Georgio Alto* Germanicum in sermonem conversum; (quam quidem esse versionem Latini *Chronici Hartmanni Schedeli*, monere nobis liceat e *Sagittarii* *Introduct. in Hist. Eccl. cap. X6. 15 p. 90.*) *Thome Naogeorgi Regnum Papiisticum*, distinctum in libros quatuor, 1559; *Joannis Spangenbergii Bellum Grammaticale*, quod alii perperam *Andrea Salernitano, Cremonensi* Patrio, adscribunt, Lipsiæ 1541; *Martini Oberndorferi, Prof. Witteb. Oratio de abductis ex arce Aldenburgica duobus Principibus adolescentulis, Ernesto & Alberto, a Cunrado Causungo, plagiaris*. Hanc historiam cum quidam vocarint in dubium, plures idoneos ejus rei testes hic adducit Cl. Gleichmannus. Ultimo loco memorat rariore veteris & junio-

ris ævi, quos ipse possidet, nummos, in quibus sunt duodecim bracteati ænei, adeo rari, ut B. Chr. Schlegelius, qui nunquam tales viderat, ne existere quidem æneos sibi persuaserit. Præterea & librorum a se editorum exhibet catalogum, ac promittit nobis singularem *de raritate librorum* Dissertationem.

NOVA LITTERARIA.

VENETIIS Bartholomæus Javarinus, Typographus, sequens programma de edendo Corpore Byzantino publicavit: *Cum Sirmondi editio confecta pene sit, Historiam Byzantinam prælis meis committere statui; cujus præstantiam & utilitatem nemo ignorat, nisi qui litteras omnes ignorat. Opus tam ingens multa requirit, quæ brevi tempore comparari nequeunt: attamen quia pridem xpi cogitationes eo conficere, proximo Mense Majo curata parata erunt; eoque vertente, Volumen primum excudere incipiemur. Id genus chartæ typorumque paravimus, ut nihil possit esse supra: sed illud imprimis curabimus, ut tum Græcæ tum Latine quam emendatissima sint. Volumina sunt triginta quatuor molis admodum variæ & inconditæ: sed ego opus universum viginti duobus complectar, ut nunc quidem in animo est. Singula autem dabo altero quoque mense aut paulo tardius. Opus cum absolverimus, probabit ducatis Venetis ducentis & quinquaginta; cum tamen hoc tempore vix septingentis emi possit. Sed qui in societatem nomina dabunt, quæ jam instituta est, & in dies crescit, singulari quadam utilitate facient, minimeque usitata. Solvent enim duntaxat Ducatos circiter centum & viginti, eoque hoc plane ordine, ut ante primi Voluminis editionem libellas Venetas viginti novem mihi numerent, atque ita deinceps in Volumina singula. Varia porro mihi variis ex locis promittuntur ad Historiæ Byzantinæ ornatum & perfectionem: quæ fortasse plura Volumina poscent. Id si fiet, eadem stabit sociis conditio, ut in quodlibet Volumen nihil plus solvant libellis viginti novem. Habetis quid promittam; qua fide præstare promissa soleam, ex Sirmondi editione conficite. Vix ullum fore*

puto

puto antiquæ eruditionis studiosum, suæque utilitatis non immemorem, qui tam æquas Societatis hujus conditiones non accipiat.

Dresdæ Jo. Theophilus Michaelis, Technophylacio Regio & Electorali Adjunctus, novam invenit rationem, vitra illa majora Tschirnhausiana, rejeclis omnibus majoris apparatus machinis, sola manuum ope, conficiendi ac perpoliendi. Obtulit Regi ejusmodi vitrum, ex massa rudi vitrea 30 librarum a se elaboratum, cujus diameter 17, & focus 28 digitorum est; addito scripto trium plugarum in forma quarta, cum hac inscriptione: *Vitrum islorium, methodo nova confectum, &c.* In quo scripto cum generationem inventionem suam commemorat, tum opticen colaudat, utilitatemque vitrorum politorum, in juvando visu, multisque rebus inveniendis ostendit. Mentionem etiam, data occasione, facit, de certa aliqua nec sane vulgari cataractæ specie, quam bis observare ipsi licuit, qua, in solido alioquin crystallino humore guttula obscurior, nubeculæ instar, hinc inde volvi deprehensa est.

Prostat Actor. Erud. Supplem. Tomi IX Sectio X, qua continentur: 1) De vita & rebus gestis Mariæ Scotorum Reginae Scriptores XVII, ex recens. *Samuelis Jebb.* Tomi II. Londini 1725, f. 2) *Jacobi Elsner* Observationes sacre in libros Novi Fœderis: Tomus II. Traj. ad Rhen. 1723, 8. 3) Defensio Dissertationis de Dario Medo, examinata a Rev. Viro J. F. Schroëro in libro: Imperium Babylonis & Nini. 4) *Henrici Rowlandi* Mona antiqua restaurata seu Comment. de antiquitatibus Insulæ Anglesege. Dublini 1723, 4. 5) D. Jo. Christiani Lehmanni, P. P. Machina nova, omnes aquas ex linea horizontali absque ignis, aeris & aquarum admixtulo elevans &c. 6) *Johannis Hancocke* Aqua communis, optimum Febrium & fortasse etiam Pestis remedium. Lond. 1724, 8. 7) *Q. Horatii Flacci* Eclogæ, per Willielmum Baxterum. Lond. 1725, 8. 8) *Christoph. Matthei Pfaffii* Institutiones Historiæ Ecclesiasticæ. Editio secunda. Tubingæ 1727, 8. 9) *Tobie Eckhardi* Vita Alberti Stadenensis Abbatis. Goslaræ 1726, 4. 10) Elogium Conradi Friderici Reinhardi.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXIX.

**ANTIQUITATES ASIATICÆ CHRISTIA-
nam Æram antecedentes, ex primariis Monumentis Græcis
descriptæ, Latine versæ Notisque & Commentariis illustra-
tæ: accedit Monumentum Latinum Ancyræ; per
EDMUNDUM CHISHULL,**

S. T. B.

Londini, typis Guil. Bowyer, 1728, fol.

Alph. 2 pl. II Tab. æn. 2 cum figuris & nummis passim
infertis.

Maximè omnino de hoc opere eruditorum fuerunt ex-
spectationes, quas nunc non impletas modo, sed &
longissime superatas esse, unanimi suffragio læti gra-
tique nobiscum fatebuntur. Quantum enim in hoc arduo studio
rum genere valeret Celeberrimi *Chishull* solertia, satis superque
jam perspectum habebant, ex antiquissima Inscriptione Sigæa an-
te aliquot annos seorsim cum luculento & perquam erudito Com-
mentario edita; de qua, quum in hac quoque præstantissima an-
tiquitatum Asiaticarum Collectione una cum Appendicè & pse-
phismate Sigæorum ad Antiochum Soterem, sigillatim antea quo-
que excuso, primum locum merito occupet, ideo nihil in præsen-
ti dicere amplius attinet, quod in ejus laudes jam satis quidem
a nobis excursum sit binis in his Actis locis, Mens. Febr. A. 1722
p. 58 sqq. & Mens. Novembri 1727 p. 506 sqq. Primum igitur,
quod nobis jam laudandum venit, monumentum est epigram-

T

m?

- P. 59. ma statuae Jovis Vrii à Philone Antipatri filio, celebri statuario, circa Alexandri M. aetatem insculptum, quod Chalcedona iavifentes olim Wheelerus atque Sponius ex marmorea basi discriptum uterque in suas tabellas itinerarias retulere, sed dispari omnino eventu, quum magis sit utriusque apographi discrepantia, quam proinde tollere feliciter audeat Cl. *Chisbull*, & inter utramque descriptionem accuratam comparationem instituens, verum tandem & elegantem sensum elicit, sistitque epigramma plane emaculatum cum sua versione pariter metrica. De ipso autem Jove Vrio locum ex Ciceronis Verrina VI producit, in quo Imperator vocatur. Quum vero notum sit, Jovem Vrium forma puerum fuisse, non sine causa in eruditis ad istam statuam notis
62. Cl. *Chisbull* quaerit, cur Imperatorem vocarit eum Tullius, notatque, jam olim fuisse, qui Imbriciterem ibi substituere maluissent, quod Homero *Ἰμπερος Ἔγος*, & ab Ennio Spiritus Austri imbricitor celebretur, demumque ipse conjicit, scripsisse per compendium Ciceronem Jovis IMP. pro *Impuberis*, ex quo deinde oscitantes librarii fecerint Jovis IMPeratoris. Verum utut hæc ingeniosa sit conjectura, a vero tamen, quod pace Cl. Autoris dictum sit, longius paullo recedere videtur, quum facilius sit literas IMP. legere pro Imperatoris, prout & in veteribus Inscriptionibus & in nummis semper fere leguntur, quam pro Impuberis, quam vocem compendiaria scriptura sic expressam nullibi inveniri firmiter persuasi sumus. Forsan minore negotio in Cic. pro Jovis Imperatoris legendum fuerit Jovis *Temperatoris*, quomodo sic Jovis Serenatoris meminit Apulejus. Non enim de *Æolo* solum canit Virgil. *Æn.* I, 57, quod ventorum *temperat* iras, & de Neptuno Ovidius *Met.* XII, 94, quod totum *temperet* æquor; sed &, quod huc maxime facit, de ipso adeo Jove Horatius *Od.* 4 L. III, qui mare *temperat* ventosum. Verum integer omnino nobis ille videtur Cic. locus. Jupiter enim Imperator dici potuit, quod imperium habuerit in ventorum rabiem & indomitas undas; æque ac alter Jupiter Imperator, cujus meminit Livius L. VI c. 29. Sed missis his factis, jam cum Cl. Autore progredimur potius ad insignia duo monumenta infensissimorum olim sibi hostium, Seleuci scilicet Callinici & Ptolemæi Evergetæ,
- 65.

ta, hic conjunctim posita, quorum unum Milesium inscribitur, alterum vero Adulitanum, a locis scilicet in quibus quodvis fuit repertum. Utroque vero vaticinium *Dan. XI, 7, 8*, de Rege Aquilonis h. e. Seleuco, ut vasis aureis & argenteis in sacrorum usum ditissimo, & Rege Austri, i. e. Ptolemæo, ut eorundem spoliatore & reportatore, mire confirmari & illustrari, liquido ostendit Cl. Autor. In priore enim Milesio Seleucus Catalogum exhibet variorum vasorum aureorum figuris atque pondere insignium, quæ ceu donaria ad Apollinis Didymei templum destinantur: in altero vero Adulitano ipse Ptolemæus Evergetes varias gentes ditioni suæ a se subjectas late ac superbe recenset; quod monumentum a Cosma Indicopleuste primum publicatum & postea a viris eruditis certatim editum, post Spanhem, H. Vossium, Dodwellum & alios viros magnos, a *ἰσθῆαις* suspicione egregie liberat contra Begerum & Harduinum Cl. nosler Chishull, qui paucis ipsius Cosmæ & uberioribus Montfauconii suas ipse eruditissimas adjecit annotationes. Isti monumento alia nunc subjungitur Inscriptio Cypria Ptolemæi sexti & Cleopatraz uxoris fororisque, Deorum Philometorum, a Rev. S. Lisle cum pluribus aliis Cl. Editore communicata & apud Citium olim urbem, oppidum nunc Larnaka, ab ipso exscripta. In pereximiis notis huic Inscriptioni adjectis legi imprimis merentur, quæ de statione & officio τῶν ἀρχισταματοφυλάκων, Corporis Custodiariorum, item de altero Philometorum titulo scite & apposite in medium afferuntur. Jam tres in ordine succedunt Inscriptiones in lapidè Milesio, quem regis Seleuci monumentum supra laudatum in fronte ornat, obviæ, quarum prima, & probabiliter reliquæ etiam, spondet annorum ante Chr. plus minus 155. Pruzæ enim Regis meminit, cujus ætas in istud tempus incidit: in quavis vero varia recensentur Apollinis Didymei donaria. In notis ad istas Cl. Autor inter alia lectu dignissima observat, quod, cum fortè electi oraculorum Prophetæ non omnes essent natura ingenio poetico præditi, illis aliquando substitutus fuerit Poeta, qui edenda a Propheta responsa metricè componeret, quod non ex ipsa solum Inscriptione, sed & ex Strabonis L. IX erudite probat. Post variâ conjunctim leguntur monumenta Teja, in quibus primum merito locum oc-

p. 83.

99.

93.

95 sqq.

- cupat Lapis, in quo Tejorum diræ, quotannis contra nefarios; ve-
tita aliorum exportantes, magna cum religione decantari solitæ,
continentur, stela post Sigeum marmor mira & ætate & raritate,
altiore enim ejus antiquitatem, bis mille annos longe superan-
tem, præter alia arguere censet Cl. Editor Simonideas, sed non diu
post Simonidem rudioris figuræ literas, & ipsarum adeo Cad-
meorum quædam relicta vestigia; quibus accedit, quod Æsy-
mnetarum ibi fiat mentio, quo nomine antiquissimis temporibus
Græciæ magistratus vocatos fuisse, notarunt jam olim Aristoteles
& Theophrastus, qua de re latius tractat Cl. Autor in subjunctis
notis egregiis, in quibus simul opportune monet, tres voces Græ-
cas antiquissimas, *κίχλλης*, pro fure & grassatore nocturno, *τι-
μυχεόντες*, pro annonæ præfectis, & demum *Φοινικήια* pro literis
Græcis a sui inventore Phœnicæ sic denominatis; in Lexica, a qui-
bus hæcenus exularunt, postliminio esse revocandas. Reliqua ve-
ro, quæ sequuntur, monumenta quanquam aliorum fuerint, Ro-
manorum puta, Ætolorum, variarumque Cretæ Insulæ civitatum,
Teja tamen non improprie vocari posse, ideo censet C. Autor, quod
unum omnibus sit negotium; Tejorum nempe in Deum Bacchum
pietas laudata, urbi que jus asyli eo nomine concessum. In notis
omnibus his monumentis in fine una serie additis, prætet ea, quæ
ad accuratiorem nominum istarum civitatum orthographiam &
Stephani Byzantini emendationem potissimum faciunt, doctè
disseritur de Cosinis sive Cosmiis, summis Cretensium magistrati-
bus, de urbibus sacris atque asyis, de Creticæ linguæ varietate, cu-
jus ex ipsis his lapidibus quædam in medium proferuntur specimi-
na, de verbi denique *ἀνιέρσθαι* significatu &c. præter hæc diver-
sa monumenta antiqua inseruntur, ab aliis quidem jam maximam
partem publicata, sed hic longè emendatius exhibita & feliciter
interpretata ac illustrata, in quorum censum veniunt Lacedæmo-
niorum psephismâ in novaturientem Musicum Timotheum, dia-
lecto Laconica conceptum & ex corruptis Boethii de re musica li-
bris correctius a Jac. Gronovio editum, sædus porro Hierapyt-
niorum & Priansiorum, duorum Cretæ populorum, Oxoniæ in
Basilica Bodlejana hodie servatum, a Pricæo ad Apulej. Prideau-
xio & Reinesio jam olim descriptum & cum notis publicatum, cui
addi-

p. 100.

101.

102 199.

123.

124.

125.

126.

128.

129.

additum est ex Grutero Gortyniorum, quo se Hierapytniis ob-
 strinxerant, juramentum. Subsequitur pariter tabula foederum
 inter duos Cretæ populos, Latios & Olontios, cum mutuo alter-
 utris præstito juramento, ex exemplari Francisci Molini, Veneto-
 rum apud Cretenses 1645, Proconsulis, Venetiis deprevalissime
 olim seorsum edito, longe emendatius descripta, & Alloritarum
 denique, iidem Cretensium, ad Pariorum decretum de asylo at-
 que amicitia renovanda, ad ipsos missum Responsum, jam olim
 a Grutero, novissime vero a Montsauconio, sed a neutro, ut Cl.
 Autori videtur, satis accurate productum. Teja hæc monumenta
 excipiunt Attalica, ita a Cl. Editore denominata, quod Attalorum
 ætatem, annos nempe ante Chr. nat. 152 & 158, attingant, istorum-
 que, ut & Cratonis, Demetrii, &c. merita & beneficia in Dionysia-
 corum seu scenicorum artificum sodalitia uberius enarrent:
 complectuntur igitur psephisina sodalitiæ Attalistarum, & alterum
 psephisina sodalitiæ ab Echino dicti, porro Cratonis ad Attalistas
 illos epistolam, & decretum denique honorarium, quæ omnia
 eruditus notis illustrantur. Quibus demum succedunt monumen-
 tum Aphrodisiense & Stratoniese, quorum prius sub se compre-
 hendit M. Antonii Triumviri epistolam Græcam, scriptam, ut vi-
 detur, A. V. C. 717, ante Chr. 34, ut & decretum, quo Senatus
 Rom. pro ratis & firmis habuit concessa a Dictatore Cæsare &
 Triumviris Lepido, Antonio, Octaviano, Plarasensibus & Aphro-
 disiensibus beneficia, A. V. C. 714, ante Chr. 37, posterius vero
 psephisina exhibet de Jovis & Trivia ceremoniis a Cæsare pariter
 atque Augusto per decretum confirmatis, infra annum V. C. 726,
 ante Chr. 25, ut videtur, exaratum; utrumque vero, æque ac præ-
 cedentia monumenta, præclaris notis historicis & criticis est in-
 structum. Hactenus de monumentis Græcis. Absolvitur tandem
 universum hoc opus præstantissimum celeberrimo monumento
 Ancyrano Latino, quod post tot eruditorum vigilias denuo expli-
 care & supplere non dubitavit Cl. Editor, quod a Tournefortio
 longe accuratius & locupletius ipsius apographum, ac Busbequia-
 num & ipsum quoque Cossonianum fuerat, Smyrnæ nactus esset,
 ipsius manu olim Ancyræ fideliter descriptum. Ipsi inscriptioni
 adjectæ sunt Casauboni ac Jac. Gronovii notæ, prudenter tamen

P. 133.

134.

137.

139.

143.

145.

146.

150.

152.

156.

172-177.

179.

p. 181 sqq.

200, 201.

omissis consuetis hujus elegantis, acerbis nempe in viros summos conviciis. Sequitur deinde ipsius Cl. Autoris Commentarius copiosissimus juxta ac optimæ frugis plenissimus, in quo liquido ostendit, ab antecessoribus suis non spicilegium, sed lætissimam potius messem sibi fuisse relictam. Tam apte enim ex utriusque linguæ autoribus, Cœnotaphiis Pisanis Norisii, aliisque Inscriptionibus, binis quoque ineditis, ab Ill. Sherardo & Cl. Harbin cum aliis ejusmodi cimeliis ipsi communicatis, omnisque denique eruditionis apparatus marmor illustrat, ipsiusque lacunas adeo concinne supplet, ut monumentum hoc omni ævo venerandum nunquam plenius, nitidius & elaboratius prædiisse fatendum sit ab omnibus, omnesque hinc in posterum Suetonii editiones mancæ sint futuræ, quibus marmor Ancyræ ex recensione Chisulliana non sit adjectum. Sed tantum de opere, cui Appendicis loco addita Dissertatio de rarissimo Ephes. nummo CK&III inscripto, olim seorsim edita, & Iter Asiæ poeticum A. 1701 ad Rev. Jo. Horn, Schol. Wicciacensium Magistrum, Autoris quondam præceptorem, carmine heroico eleganter perscriptum. Nos interea Cl. Autori de immortali hoc ingenii sui partu ex animo gratulamur, vitamque simul atque meliorem sanitatem præcæmur, quo & alterum, quem in fine operis pollicetur, Antiquitatum Asiaticarum Tomum, qui Inscriptiones Græcæ maximam partem adhuc ineditas de rebus historicis, honorariis, agonisticis & sepulchralibus, una cum Lexico totius operis Alphabetico completetur, absolvere & ingenti literatorum commodo quam primum publicare queat.

VETUS LATIUM PROFANUM, TOMUS III, in quo agitur de Antiatibus & Norbanis; Autore JOSEPHO ROCCO VULPIO, Soc. Jesu Sacerdote.

Patavii; excudebat Jos. Cominus, 1726, 4 maj.

Alph. 1 pl. 12 fig. 2n. Tab. 24.

EDere cooperat A. 1704 Petrus Marcellinus Corradinus, Emin. hodie E. R. Cardinalis, Veteris Latini Profani & sacri Tomum I, La-

I, Latium Gentile, quantum generatim veteres populos & Reges, tum leges ac ritus, fastos item, Calendarium ac Fæsta Latinorum attinet, complexum, de quo diximus in Actis A. 1706 p. 310, identique mox A. 1705 alterum quoque Tomum adjunxerat, quo Librum II de Setinis, & III de Circejsibus dedit. At cum ex eo tempore, Autore gravioribus Ecclesiæ curis abrepto, de operis continuatione pœne desperatum esset, eam provinciam, jussu *Corradini*, cui hunc Tomum III inscriptum videbis, in se suscepit *Pl. Rev. Vulpinus*, usns imprimis iis, quæ ad reliquos Tomos ille jam collegerat, monumentis; & eundem jam etiam Tomum IV prelo subjecisse accepimus. Exhibet vero in hoc Tomo III, quem præ manibus habemus, Librum IV de Antiatis, in quo sæpe *Philippi* a Turre Monumenta Veteris Antii vel sequitur & illustrat, vel emendat, & V de Norbanis, in quibus ita versatur, ut quamvis Latium tantum profanum promittat, simul tamen etiam de iis agat, quæ ad veterum gentiliam religionem pertinent, vera quidem sacra h. e. Christiana posterioribus Tomis reservans. Ut itaque primum pateat, quid hic tradatur, agitur L. IV C. 1 de Antii origine & conditoribus, 2 de Colonia eo deductis, 3 de ædificiis & monumentis, 4 templis, imprimis 5 templo Fortunæ Antiatum, 6 de ludis eorum, 7 de familiis Romæ illustribus, 8 de magistratibus eorum, 9 Portu Antiatino; 10 urbe Satricio, 11 Astura oppido ac flumine, & 12 de Clostris Romanis in finibus Antiatum; L. V C. 1 de Norbæ conditoribus, 2 de Norbana Romanorum Colonia, 3 de ædificiis agri illius, 4 de Nymphæo lacu, fluvio, templo & urbe in agro Norbano, 5 de gente Norbana inter Romanas illustri, 6 & 7 de oppidis Norbanis, Salmone & Cisterna. His interspergit Autor varia monumenta, eaque hæc ita pridem eruta, in quibus est Tabula illa marmorea in ruinis veteris Antii A. 1723 reperta, de qua tamen pluribus egit Noster singulari Commentario, quem mox exhibebimus. Ubi de Æsculapii templo apud Antiates agit, exhibet Tab. VII sciagraphiam ejus integram, e vetustissimis rudibus, quæ adhuc supersunt, nuperime delineatam. Cum vero de Fortuna sub duplici imagine ibidem culta dissentiant Autores, aliis cum Fulvio Ursino ad Fortunam Reducem & Fortunam Antiatum, aliis cum Ligorio ad Fortunam Feli-

p. 50.

64 sq.

100.

- p. 101 sq.
114. Felicem & Fortem; cujus utriusque memoria in lapidibus Anti-
tum exstat, respicientibus, Noster potius Fortunam Vitalem seu e-
questrem sortemque, & Muliebrem, diversis simulacris ibi cultam,
indicare putat, & prolixè demonstrat; in primisque de fortibus, per
quas oracula edere Fortuna in templis consuevit, erudite disserit.
- 144 sq. Quinam ludi fuerint, quos Cicero ad Attic. L. VIII Ep. 8 & 10
Antii habitos memorat & delitiosissimos vocat, ingeniose dispu-
tat. Portus Antiatini veteris reliquias pulchre depingit Tab. XV
& XVI, aras etiam illic repertas, in quibus sacrificare nautæ con-
sueverè, Tab. XVII delineans. De templo Matris Matutæ, quod
Satrici percelebre fuisse memorant, non vulgaria Noster commemo-
rat. Vestigia etiam exhibet Tab. XIX antiquissimarum ædi-
um ad Asturam, quæ Ciceronis villæ rudera esse creduntur, una
cum arcis, quæ ibi etiamnum visitur; figura. Ceterum singulari
etiam sagacitate pollet Autor in nummis explicandis, quo limpri-
mis patet, dum Nortanæ gentis Romæ illustris nummos illustrat,
in Tab. XXIV representatos.
- 231.

**TABULA ANTIATINA E RUINIS VETE-
ris Antii nuper effossa, Interpretatione & Notis ab JOSE-
PHO ROCCO VULPIO, Soc. Jes. Sacerdote,
illustrata.**

Romæ, excudit Jo. Mar. Salvionus, typogr. Vatic. 1726, 4 maj.

Plag. 7 cum Tab. æn. unica.

- Cap. I. **Q**Uæ ad vetustissim hujus marmoris Antiatini interpretatio-
nem in Veteris Antii historia carptim antea (scilicet in La-
tini Veteris Libro IV Cap. 3) dixerat Rev. Autor, ea nunc data opera
hoc Commentario uberius persequitur, in gratiam imprimis Emi-
nentissimi Cardinalis Alexandri Albani, in cujus quippe Museo
instructissimo hoc monumentum hodie asservatur, quippe illius
ectypum, hic representatum, nostro Autori benigne concesserat.
- In Capite primo, (quinque enim Capitibus absolvitur integrum
præclarum Opusculum) scite observat Cl. Autor, quod duplicem
partem habeat Tabula hæc, sive Tabulæ fragmentum, primaque
Cæsariani, sive Cæsareæ domus servi describantur; altera vero
sex

sex posteriorum anni mensium Calendarium notetur. Istorum vero servorum ministeria concisis de more notis in lapide signari ait; Imperatorias tamen servos fuisse asserit, qui Imperatoriarum ædium Antii magnificentissime extructarum curam habuerint; in eo tantum se adhuc hæere fatetur, cujusnam scilicet Imperatoris fuerint servi; Tiberii tamen Claudii Cæsaris forsitan fuisse, ex eo potissimum colligit, quod ipsius nomen in ipso marmore ter occurrat. Ab his se ad verba in prima Tabulæ parte concise descripta interpretanda confert, additque mox in istam interpretationem notas uberiores haud ineruditas. Inter alia observat, prænomen Titi sola litera T. Tiberii vero binis literis TI. olim fuisse significatum. Imprimis vero multus est in recensendis variis servorum nominibus a diversis eorum officiis ut plurimum desumptis; occurrunt enim in hac antiqua tabula Villici & subvillici, Topiarii, Atrienfes, Politores, Bibliothecarii, sive qui a Bibliothecis fuerunt, Campiductores, Tectores, Speculatores, servi a supellectile, Pavimentarii, quam vocem nullibi quidem sibi adhuc lectam notat; favet tamen omnino analogia, quomodo marmorarii, unguentarii, balsamentarii, cetarii, purpurarii, monetarii & id genus alia multa apud Autores præcos crebro leguntur, porro sphaeristici vel sphaeristæ, pictores, juscularii sive jusculentarii, tegularii & dispensatores: servos quoque Medicos non omisit, laudatque ex vetustis inscriptionibus Ocularios, Chirurgos Clinicosque, quibus de feminis quoque Medicis non nihil addit; post hæc commemorat servos a portandis ilicibus dictos, Corinthios, sive qui vasa ex ære Corinthio asservabant, Thermarios, qui thermis præerant, & demum Pedisequos, quibus omnibus Pignorii atque Popmæ de servis labores haud perfunctorie ad augeri possunt, quum multa hic occurrant, ipsis nondum observata. Quibus belle pertractatis, scriptionum compendia alterius Tabulæ partis enodare aggreditur, suisque interpretationibus confirmandis luculentum Commentarium statim subjungit, in quo de variis Calendariorum apud Veteres notis erudite agit, docetque simul fufius, quod festa, ludi, dies fasti atque nefasti, natales imperatorum, diesque, quo virilem togam primum sumserint, partem idem victoriæ & triumphi, clades porro atque damna illata,

Cap. II.

III.

IV.

V.

tempus denique publici epuli dandi, equorum probationis, & plura alia in Calendarium fuerint antiquitus relata. Et hæc quidem ad egregii hujus commentarii commendationem sufficere posse jure arbitræmur; nisi monendi adhuc essent incauti lectores de quodam Cl. Autoris lapsu, quem hoc loco silentio præterire non steter omnino vetat candor. Ita nimirum scribit Rev. Vulpus pag. 31, in Campis Pharfalicis bis civili bello decertatum, scilicet Julium Cæsarem inter atque Pompejum, & iterum Augustum inter Brutumque & Cassium Julii Cæs. percussores. Hæc quidem ille. Verum Philippos Thessaliæ cum Philippis Macedoniæ ad Strymonem fluvium sitis gravi errore confundisse hic Cl. Autorem extra controversiam est. Priorē enim loco superatus fuit a Cæsare Pompejus, altero vero haud ita multo post commissum est decretorium prælium Triumviros inter atque Brutum & Cassium Cæsaris parricidas. Magno quidem teste se hic tuetur Cl. Autor, scilicet Virgilio; verum hanc certe in rem minus idoneo: quis enim a Poeta veritatem rigide quæso exegerit? Potuisset insuper ad suas partes vocare Manilium Lib. I, Lucanum Lib. VII, ipsam quoque Florum Lib. IV cap. 3 & 7, Servium ad L. I Georg. aliosque, qui eundem errorem cum Virgilio incurrerunt; in his tamen omnibus nullum plane erroneæ sententiæ invenit præsidium. Sed verbum amplius non addimus, quia hunc Poetarum lapsum in Geographicis jamdudum solide castigavit Lucas Holstenius in Notis ad Stephan. Byzant. de Urbib. p. 136, & Emmenest. ad laudatum Virgilio locum. Hæc vero bona cum Cl. Autoris, ut spes est, venia monita a nobis sunt.

GEORGII D'ARNAUD SPECIMEN ANIMADVERSIONUM CRITICARUM, ad antiquos Scriptores Græcos, nominatim Anacreontem, Callimachum, Hephaestionem, Herodotum, Xenophontem & Æschylum.

Harlingæ, apud Folkerum vander Plaats, 1728, 8 maj.

Alph. 1 pl. 5.

Quantum in literatura Græca & re imprimis Græcorum metrica præstet Cl. d'Arnaud, hæc ipsæ observationes in optimo

mos quosque Auctores Græcos diligenter conscriptæ fatis superque evincunt. Univerſum hoc egregium opusculum Capita XXXVIII complectitur, quæ ſtrictim percurrere placet. Integra priora Capita octo Anacreonti deſtinantur, cui poſt Fabri ejuſque filix & Barneſii præclaras operas, variis in locis non levis medicina a Noſtro aſſertur. Sic verba Odx 9: *Ἴς ἐστὶ σοὶ μέλει δὲ*, ab eruditis varie tentata, legenda cenſet *τίς ἐσσί; μοι μέλει δὲ*, illudque δὲ ex Ariſtophanis ſcholiaſte ſcite explicat per γὰρ. Notat porro contra ſciolos, ὕμνον de omnibus cantilenis in Deorum honorem compoſitis adhiberi. Pariter ad Od. 18 obſervat, ἀπλώσῃ eſſe malleo ducere, non uno argumento ornare, ut male reddidit Barneſius, quem & in ſeq. reſellit, quod in Od. 21 *πυκάζειν* veterit pergerere, quam per circumdare potius cum veteribus Græcis ſit reddendum. In Od. 24 pro *τέλει*, quod metro obſtat, ingenioſe ſubſtituit Ionicum *τέλειον*. Ad Od. 25 erudite differentiam oſtendit inter *πόνον* & *μόχλον*, ſimulque docet, τὸ γογγόν in Od. 25 acre & alacre ſignificare. Pro *λευκόπυς Ὀρέτης*, qua de voce erudite diſceptat, legere mavult *αἰλλόπυς*, impetuoſis pedibus præditus, quod heroi inſanienti melius convenit. Occaſione vero Odx 39 litem illam acrem reſuſcit, an diphthongos *αι* & *ει* ſequenti conſonante corripuerint Veteres, quod variis exemplis probaverant olim Salmaſius, Caſaubonus & Menagius, negaverat vero ad Callimachum Bentlejus; cui ſe denuo oppoſuit Jenſius in Lect. Lucian. Salmaſianis & Caſaubonianis nova addens argumenta: quem tamen iterum confutare conatur hic Cl. Auctor. Eam vero cui, quaſo, inaudita iſta ſeſe probaverit licentia, tot veterum Poetarum loca præter urgentem neceſſitatem reſingere & interpolare, ut ſaltem diphthongi illæ *αι* & *ει* correptæ ex obſtinati Critici mente producantur, quod ingenti auſu fecit magnus Bentlejus & eum nunc ſequutus Cl. *Arnaud?* quum certum utique ſit & ex ſedula Poetarum lectione exploratum, ſapienter quidem diphthongos illas produci, non nunquam tamen etiam corripì, quod & de diphthongo *ει* notat ſummè Rev. & Cl. Wolfius in præclaris notis ad Theophili ad Avt. lyc. L. II p. 238: quis enim neſcit Poetarum utriusque linguæ licentiam, de qua Cl. Waſius peculiari libro eleganter tractavit? Te-

Cap. I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

- merarium nobis proinde videtur, Oden 39 Anacreonti ideo cum Fabro abjudicare, quod diphthongus *αι*, ante consonantem ter fuerit correpta. Sed pergamus in Anacreonte. Ad Od. 24 observat, *διώκειν* veteribus sumi pro pellere & fugare; itidemque ad Od. 42 de vocibus *νεοθλητής* & *νεοθλητής* quaedam notata digna affert. Od. denique 53 pro verbis *στεφανηφόρος μετ' ἤρῃ*, legere mavult *στεφανηφόρος μετ' ἔταιρῃ*, quod adjectum epitheton, quod coronigerum significat, melius quadret in hominem, quam ver: sed quid tum faciemus Ovidio ita canenti Met. II: *Verque novum stabat cinctum flore corona?* Omnis vero ista emendatio contra leges grammatices peccat, quod ab hoc graecantissimo Viro nollemus factum; *ἔταιρῃ* enim, sic nempe scribendum fuerat, non *ἔταιρῃ*, ut Cl. Autor scripsit, genitivum non facit *ἔταιρῃ*, sed, quod in triviis notum, *ἔταιρῃ*, hoc vero quantum distat a primitivo suo *ἔταιρ*? facessat ergo hinc. Pergit nunc Cl. Autor ad Sosibii fragmentum a Casaubono olim in Lect. Theocrit. primum publicatum & emendatum, quod quum nec post tanti viri curas adhuc plane sit emaculatum, passim feliciter emendat, metrique luxationes plus semel apposite reponit. Sat multa quoque ex Callimacho a maximis editoribus, Spanhemio, Gravio, Fabræ, Bentlejo aliisque vel prætervifa vel secus interpretata integris sex Capitibus in medium affert, & cum successu vel exponit, vel restituit. Sic, ut ex multis pauca delibemus, in Hymn. in Jov. v. 24 pro *καρίων* ex Pausania legendum ostendit *καρνίων*, ibidem v. 90 pro *ἐκόλυσας* ex Vett. Editt. optime substituit *ἐκόλυσας*. In Hymn. in Apoll. v. 100 pro *κατίοντι συνήντετο*, melius affert *κατίον τ' ὅταν ἦντετο*. Hymn. in Dian. v. 243 pro *πλήσσωσι* legendum censet *πλίσσωσι*, exsiliant, quam tamen emendationem jam a Gravio F. præoccupatam sciat. Hymn. in Del. v. 112 pro *τέκνα τέκεδαι* ingeniose legit *δέχεδαι*. Hymn. in Lavacr. Pall. v. 82 pro *ἄμματα ἢ ἔβαλεν* melius rescribit *ἔλαβεν*, phrasi magis Græca. Hymn. denique in Cerer. v. 46 pro *παρὰψύχρισσα*, legendum exillinat *παρὰψήσχρισσα*, satis quidem ingeniose, si modo satis necesse, nam prius idem significat ac postterius, nempe demutecens, recreans, *παρὰψύχεν* enim proprie est leni frigore æstum temperare, sive flabello

bello ventulum facere, ut ait Terentius, & consequenter recreare, demulcere; unde postea pro consolari & adhortari etiam sumitur. Post integro quoque Capite ostendit, quam turpiter lapsi fuerint & hallucinati latini Callimachi interpretes, quod indicasse sufficiat. Multus vero imprimis est in eo, ut Hephæstionem, haud ita pridem a Cl. Pauw luculeter editum & in his Actis laudatum, magis adhuc illustret, emendet & a Cl. Editoris depravationibus pro virili vindicet, quare ipsius emendationi integra Capita duodecim impendit, in quibus liquido ostendit, sibi a Cl. Pauw largam oppido messem adhuc fuisse relictam. Ipsi vero horum bellariorum cupidi inter hujus & illius conjecturas comparationem instituant necesse est, ni enim in consilium advocatus fuerit ipse Hephæstionis liber cum notis laudati modo Editoris, omnis excerpenti labor nobis & inanis & difficilis jure videtur, quod tamen a nostro instituto longe alienum. Dimisso tandem Hephæstione, ad Herodotum Noster transit, eumque post Gronovium, heu quantum facinus! variis locis illustrat & emendat. Sic desperatura locum ex L. I c. 47, *ἕκασον τῇ ἡμέρῃ χρῆσθαι* κ. λ. ita sanat *μὴ ἡμέρῃ*; quem tamen jam diu ante longe felicius sic constituerat græcantissimus olim noster Berglerus, in his Actis A. 1716 Mens. Sept. p. 421 legendo: *ἑκατοσῆ ἡμέρῃ*. Porro Lib. IV c. 71 verba *καὶ ἐν τῆσι ταφῆσι*, quæ nullum habent sensum, mutat in *ἐν τοῖσι ταφῆσι*, sensu perspicuo, forsan tamen & sic minore negotio loco medicina adhiberi posset, *ἐν τοῖσι ταφῆσι*, apud illos est sepultura. In Xenophonte quoque pariter quædam haud infeliciter corrigit, interpretisque lapsus reprehendit. Ita Lib. I Anabaf. c. 8 verba, *Μένων τὸ στρατεύμα τὸ ἐνώπιον κέραις ἔχει ἑλληνικῶς*, rectissime refingit in *στρατεύματ' αὐτῶν*. Quæ denique supersunt Capp. septem, omnia dicata sunt Æschylo: & mirandum sane est, post tot præclaras sagacissimi Stanleji curas, tantum adhuc superesse potuisse, quod cum in ipso Tragicæ textu, ipsiusque metris, tum in utroque ejusdem scholiastæ & versione Stanlejana emendandum & in melius mutandum esset. Paucissima hic speciminis loco ex innumeris fere aliis annotare fas sit. In Prometh. Vinc. v. 890, pro *μεγαλυνομένων* elegantius scribit *μεγ' ἀγαλλομένων*. In Sept. ad Theb. v. 608 pro verbis

Cap. XVI-
XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

XXXII.

- obscuris Ναύτησι θερμοῖς καὶ πανεργίᾳ τινί, mavalt παῖδες γοῖσιν τισί, nisi quis inallet πανεργίᾳ θενοῖς, ex Græcorum loquendi indole. In Pers. v. 136 pro πόδιφ Φιλάνορα legendum
- CXXXIV. arbitratur Φιλάνορα, nisi melius fuerit Φιλάνορα, præcessit enim
- XXXV. ἐκασῆ. In Agamem. v. 265 pro ἀν ἡ λύσις ingeniose substituit
- XXXVI. ἡ λυξίς, pro ἀλυξίς, fuga. In Choephor. v. 956 pro corrupto καὶ
- XXXVII. πιδοάξο' optime reponit καὶ περδιάξο'. In Eumenid. v. 313 pro καθαράς χεῖρας προσέμεντας scribendum censet καθ. χεῖρ. έχοντας, quod προσέμεν non sit servare vel habere, sed tribuere; verum quum simplex νέμεν inter alia significet possidere & habere; quidni ejus compositum προσέμεν idem significare possit, præsertim apud tantæ vetustatis tantique cothurri poetam? forsan & προσφέροντας substituisse haud ineptum fuerit. De-
- XXXVIII. mum in Supplic. v. 633 verba λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις metri & sensus gratia scite mutat in λέξω νῦν ἐπ' Ἀργ. Sed hæc ex multis γέυματ χάριν annotasse sufficiat, unde de ceteris iudicium facile formari posse persuasi sumus.

THE SACRED CLASSICS.

h. e.

AUTORES CLASSICI SACRI DEFENSI ET illustrati: seu Tractatus, quo puritatem, proprietatem & genuinam eloquentiam Scriptorum Novi Testamenti probare conatur A. BLACKWALL,

M. A.

Londini, apud C. Rivington & W. Cantrell, 1727, 8 maj.

Alph. 1 pl. 5.

NOvi Testamenti stylum vilipendi ab hostibus Religionis & Scripturæ S. contemtoribus, mirum videri non debet; cum & Patres Ecclesiæ eundem Barbarismi & Solæcismi arguant; ut qui autores habeat Apostolos, ιδιώτας καὶ ἰχθύων ἀφανέστες. Sed quis credat, Spiritum omnis sapientiæ & virtutis, qui gratia sua scribentibus Apostolis & Evangelistis non adstitit modo, sed & quicquid exarandum erat, dictavit, adeo de ipso scribendi ge-
nere

nerre non fuisse sollicitum, ut solæcismos & barbarismos subinde in scripta sacra irrepere, urbani verò & arguti nihil admisceri pateretur? Quis dubitet, quin Magister illè, ob linguæ facundiam Prophetis jam celebratus, plurima tam ingeniose, tam diserte dixerit, ut quidquid humana unquam protulit sapientia, si hisce compares, mera videatur infantia? Quis tandem persuadeat, Apostolos & Evangelistas partim humanis literis probe imbutos; omnes verò divino Præceptore & Spiritu S. fluvii instar in eos effuso, edoctos, loqui recte & scribere tam ignorasse, ut nihil suave, nihil argutum eorum spiret oratio. Profecto non adeo horruere sermonis ornamenta & lepores Viri sanctissimi, quin potius, quantum hæc amaverint, subinde prodant. *Pauli*, barbarus ille, si Hieronymum audias, & indoctus scriptor, suos non semel hortatus est, ut gratiam salesque dictioni adspargant: ita comparatus, se iudice, sermo debet esse, *ὡς δὲ χάρις τοῖς ἀκούουσιν*, *Ephes. IV, 22*: imo *πάντες ἐν χάριτι ἀλάλι ἡγευμένοι*, *Col. V, 6*, quo & collimare illud Christi videtur: *ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἀλάλι*, *Matth. IX, 50*. Videant igitur profani, quam fidem mereatur indignum illud *Victoris* testimonium, quò sibi adeo placent, nempe: *Messala Consule, Anastasio Imperatore jubente, sancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa & emendata fuisse.*

Doctissimus *Blackwallus* admiratione Scripturæ sacræ legisque divinæ plenus, haud sine omni ratione præfert *Salomonis* Eclogam, *Virgilio* & *Theocriti* Idyllis: *Proverbia* & *Ecclesiasten*, dictis *Theognidis* atque *Isocratis*: *Lamentationes Jeremie*, *Euripidi* & tragediis omnibus: *Jobi* historiam naturalem, *Aristoteli*, *Plinio* & *Æliano*: *Mosis* tandem & *Deboræ* cantica, *Pindarò* atque *Flacco*; quò & *Psalmi Davidis* referre debebat, quos sublimitate & verborum magnificentia longe antecire omnes *Odas Horatii* fatebitur, quisquis vel hujus *Iustum & tenacem propositi virum*, cum exordio *Psalmi XLVI* unquam comparaverit. Verum non Veteris, sed Novi Testamenti libros eorumque autores, quos *Classicos sacros* venuste appellat, defendere & illustrare *Blackwallus* nitidissima hæc dissertatione animum induxit, quam in duas propterea partes secat, quarum *priore* divinos

pag. 10.

Novi

Novi fœderis scriptores adversus infimulationem barbari sermonis, falsæ Græcitatæ & solæcismorum vindicat, *posteriore* vero demonstrat, omnes styli virtutes, sublimem sermonis elegantiam & genuinam eloquentiam abunde reperiri in sacrosancto Novi Testamenti Codice.

p. 17. Partis ergo primæ *Capite I*, tantum abesse, inquit Cl. Autor, ut neget, *Hebraismos* inveniri in Novo Testamento; ut potius inter decora & prærogativas sancti hujus libri eosdem numeret, quippe quos, ob singularem emphasin, omnium fere gentium linguæ receperint; Græca vero, quidquid neget Grammatici & Commentatores, iis plane abundet. Hac occasione examinat controversiam, inter *Pfobonium* & *Gatakerum* quondam agitam, quorum ille nullos omnino Hebraismos inesse Novo Testamento audacter nimis asserit; hic in contraria currens, quamplurimas N. T. phraseologias puras esse inconsiderate negat, quamlibet apud optimos autores Græcos reperiantur, hanc solam ob rationem, quod & in Codice Hebraico ejusmodi locutiones occurrant. Utrumque falli Autor probat, & media via incedens, illos tantum viros doctos & commentatores, tum veteres, tum recentiores, confutat, qui complura loca N. T. meros *Hebraismos*, *Arabismos* &c. esse temere pronunciant; etsi præcipuorum Græcæ scriptorum loquendi modis exacte parallela sint: alia vero, tanquam falsa & barbara, condemnant, quæ curatius examinata, normæ primitivæ puritatis in lingua Græca apprime respondent. Sic, exempli causa, *Gatakerus* repetitionem illam *Act. VII, 34*, ἰδὼν εἶδον Hebraismi arguit; cum tamen eodem modo Herodotus dixerit: ἑφασσαν λέγοντες, & ἑφη λέγων. *Filii Israel* pro *Israelitis*, *Filii hominum* pro *hominibus*, parum Græca eisdem *Gatakeri* videntur, licet *Homerus* *Filios Græcorum*, *Herodotus* autem *filios Lydiorum*, *Æthiopum* & *Ionum* pro *Græcis*, *Lydiis*, *Æthiopiis* & *Ionibus*, sine dubitatione posuerint. *Crotius*, *Piscator* & *Castalio* usum participii, pro nomine substantivo, Hebraismum esse ajunt, e. g. ὁ πειράζων, *tentator*, apud *Matthæum*; sed non observant: τὸς λέγοντας *Oratores* vocari a *Demosthene*, ab *Isocrate* autem *Reges*, τὸς τυραννεύοντας. Non æminui illud ὁ θρόνος βασιλεῖ *Matth. XXII, 2*, displicet: verum

rum haud minus graecum hoc est, quam βασιλῆι ἀνδράι apud Ho-
merum, ἀνδρα στρατηγὸν apud Thucydidem, ἀνδρες δικασταί apud
Demosthenem &c. Μικρῶ καὶ μεγάλῳ Act. XXVI, 22, Hebrais-
mus est, inquit Grotius: at vero πολίτας καὶ μικροὺς καὶ μεγά-
λους, quod in Thucyd. lib. IV legimus, hoc Graecum esse mon-
strat. Casaubonus, τήρησιν pro Carcere, vel custodia, impurius usur-
pare Lucam Act. IV, 3, autumat: at si Thucydides pure scripsit, hæc
censura iniqua est. Is enim libro VII, ἀσφαλεσώτην τήρησιν pro
firmissimo carcere dixit. Phrynicus, natione Graecus & Professor
Critices, phrasin κρέω θύραν, qua Matthæus, Lucas & Johannes u-
tuntur, pro barbara declarat, & dictatoria autoritate, κέπτω θύ-
ραν, loco ejus, poni jubet: sed hæc phrasis æque salva est, atque ipse
purissimus & elegantissimus Xenophon, qui in Convivio suo, Φι-
λόππῳ κρέσας τὴν θύραν, clare scripsit. Pari eruditione elu-
duntur a Blackwallo ea, quæ non modo Lucianus & Julius Pol-
lux; sed Hieronymus quoque, Oecumenius & alii in N. T. ini-
que taxant. Doctissimus interim Autor non negat, vocabula nova
& locutiones alibi non occurrentes a scriptoribus N. T. esse adhi-
bitas; sed hoc fieri debuisse, cum res doctrinasque plane novas
exponerent, Ciceronis & Horatii testimoniis confirmat; nec
ea propter sacræ N. T. linguam Hebraizantem vel Hellenisticam
dici oportere ostendit. Ultimo illam quoque objectionem diluit,
quæ a vocabulis barbaris & exoticis, a sanctis novi fœderis scri-
ptoribus adoptatis, desumitur. Quod si enim Xenophonti, Hero-
doto atque Thucydidi, Persicas, Ægyptiacas aliasque Orientali-
um voces usurpare licuit; cur Matthæo, Marco, Paulo ac Lucæ
vitio vertatur, quod Romanis aliquando usi sunt: an vero κύν-
δος, κάσας, βάρις, κάραν, ἀνυμάκης, παρασάγγης melius
puriusque sonant, quam κήνος, κερσάδα, σεδάριον, σπεκλάτωρ,
σιμικίνθια, κενθερίων? Capite II hujus partis prioris Cl. Black-
wallus sacros N. T. scriptores a temeraria & fatili solaciorum
culpatione vindicat. Non defuerunt enim, qui Græcitatē S. Ev-
angeliorum & Epistolarum æque inconditam & horridam nobis
repræsentarent, ac scholasticorum Latinitatem esse novimus.
Sed mirum videri non debet, si sacra volumina, hic impiorum
petulantia, illic superbia Criticorum vellicantur; cum nec Home-

p. 301

41

50

p. 65.

ro suus defuerit *Zoilus*, & *Thucydides*, & *Cicero*, & *Virgilius*, & *Terentius*, & *Horatius*, a veterum Scholiastarum & Grammaticorum *Pédantismo* idem passi, atque solœcismorum & falsæ Græcitatæ vel Latinitatis palam rei facti sint. Autor nosse toto hoc capite id agit, ut contra *Origenem*, *Hieronymum*, *Castalionem*, *Piscatorem*, *Milium* aliosque commentatores & criticos ostendat, non dari in N. T. *veros solœcismos*, h. e. spurias falsasque, & præter consuetudinem linguam Græcam recte loquentium introductas dictiones, omniaque loca sanctissimi libri, quæ hujus vitii arguuntur, *pure proprieque Græca* esse, per formulas loquendi parallelas, ex *Homero*, *Anacreonte*, *Herodoto*, *Thucydide*, *Xenophonte*, *Platone*, *Isocrate*, *Demosthene*, aliisque probatis autoribus, desumptas, comprobet. Enimvero Vir doctissimus minime negat, dari in N. T. *σελοικέσθαι*, sive solœcismos, ut in scholis loquimur, *apparenter tales*; qua in re dissentit a *B. Schmidio*, qui ad *Act. XV*, 22, ne in speciem quidem solœcismos in sacro Codice admittit. Omnes autem *solœcismos* istos *apparentes* ad quatuor causas, vel potius figuras dictionis, quas ne exquisitissimos quidem scriptores respicisse constat, Nosse refert, nempe 1) *Ellipsin* e. g. *Act. VII*, 40, ὁ γὰρ Μωσῆς εἶπεν, ἐς ἐξάγαγεν ἡμᾶς, ἐκ ἰδουμην, τὸ γέγονεν αὐτῶν, quod plane convenit cum elliptica locutione *Thucydidis lib. VI*: πολλὴ γὰρ ἔσται ἡ στρατιὰ, ἢ πάσης ἔσται πέλειας ὑποδείξασθαι. 2) *Pleonasmum*. Sic si *οικοδομέσαι οἰκία* apud *Herodotum*, & *λυπότο λύπας* apud *Platonem*, Græcum purum sunt, nemo julle carpet, *οἰκίαν οικοδομῆσαι*, & *χάραν ἐχάρασαν*, in Evangelistis. 3) *Hyperbaton*, sive vocum transpositionem, e. g. *Job. II*, 27: καὶ ὑμεῖς τὸ χεῖμα ὁ ἐλάβετε, ἀπ' αὐτῶν ἐν ὑμῶν μέγας, non magis perplexum est; quam illud *Herodoti*: Ἄλλο τι ἢ λέπεται τὸ ἐνθεῦτεν ἐμοὶ κινδύων ὁ μέγας. 4) *Metallaxin*, sive mutationem unius partis orationis in alteram; e. g. Pronominis in Nomen, ut *Job. IV*: Cum Dominus cognosceret, audivisse Phariseos, quod Jesus plures faceret & baptizaret discipulos, quam Johannes; vel Adjectivi in Substantivum, ut *Marc. XIII*, 19: ἔσονται ἐκεῖται ἡμέραι θλίψις; sed isto modo *Demosthenes* loquitur, *Nemo*, inquit, hic mentionem facit *Demosthenis*, *nemo me criminis accusat*; hoc autem

tem

tem *Thucydides* Lib. VI: ἐδοκεν μορφα εἶναι ταῦτα. Plura exempla adducere, brevitatis causa, supersedemus; cum alioquin omnia adduci mereantur. *Caput* autem III, in quo adhuc aliqua quædam loca N. T. quæ vitiosa videri possent, cum nobilissimorum scriptorum locutionibus comparata, optimæ notæ esse probantur, sicco pede præterimus; cum revera nihil aliud sit, quam spicilegium mæssis præcedentis.

Progredimur nunc ad *Partem* hujus libri *secundam*, qua omnes styli elegantias, omnes eloquentiæ virtutes, a sacris N. T. scriptoribus adhibitæ esse demonstratur; quamque tractationem in octo capita Autor dispescuit, quorum *primo*, loca quædam notabilia, præcepta moralia, similia & proverbia, quæ in scriptis N. T. legimus, nobilissimos autores profanos quoque usurpare docet. Sic verba *Platonis*: δάκνεσθαι τε καὶ ἐπιεν ἄλληλα, eadem sunt, quæ *S. Paulus* profatur, *Gal. V, 15*, Ἐἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε &c. Proverbium *Act. IX, 5*: Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτιζέω, & *Aeschylō*, & *Euripidi*, & *Terentio*, & *Pindaro* familiare est. *Capite II* excellentia styli N. T. ex suavi mixtura particularum & *expletivarum*, uti vocantur, tum ex varietate dialectorum, exquisito epithetorum usu, enunciationibus denique brevibus, elegantibus & emphaticis, quibus facer codex abundat, amplissime deducitur. *Capite III*, genuinam & nativam eloquentiam sacris N. T. scriptoribus inesse, multis & notabilibus exemplis Autor evincit. *Capite IV* *Judicia Patrum*, imprimis *Græcorum*, de stylo & eloquentia scriptorum N. T. in medium afferuntur. *Capite V*, omnes scriptiōnis perfectiones, & singula laudabilioris styli genera, in Novo Testamento reperiri, ostenditur, simul etiam loca inde producuntur, quæ excellentissima quæque Autorum Classicorum, Græcorum pariter, ac Romanorum, dicta longe excedunt, e. gr. *Rom. II, 3, 4, 5, 6*, *Philip. III, 18, 19*, & innumera alia. *Capite VI* pulcherrimi ac sublimes *Tropi* & *Figuræ*, in Novo Testamento copiose occurrentes, recensentur.

Hic sane locus erat commodissimus de arguta N. T. dictione agendi, quam materiam tamen *Cl. Blackwallus* non attigit. Quod si vero omnis dictio arguta, secundum *Emanuelis Thesau-*

p. 207.

223.

245.

270.

291.

344.

ri doctrinam, efficitur, vel solis literis, vel solis syllabis, vel ver-
bis, vel propositionibus, vel argumentis figuratis; hanc elegantiam
nullam ex Novo Testamento abesse fatendum est. Et
quod ad Literas quidem attinet, Gerh. Job. Vossius Instit. orat. lib.
IV Cap. III Sect. III: *A plane sonorum est, inquit, ideoque im-
pris frequentatur, cum de rebus horridis sermo est.* Argute ergo
hanc literam linguæ Angeli, Babylonis ruinam nunciantis, impo-
suit S. Iohannes, Apoc. XIX, 2: *Ἐπεσε, ἔπεσε βαβυλον ἡ μεγάλη,
καὶ ἐγένετο κατοικηριον δαιμόνων; καὶ φυλακὴ πάντων πνεύ-
ματων Ἀκαθάρατων καὶ φυλακὴ πάντων ὄρνιθων ἀκαθάρατων.*
I convenit rebus miserabilibus, teste eodem Vossio, loc. cit. Et
hujus quoque vocalis argutam & elegantem applicationem vide-
re est Apoc. cap. cit. vers. 16. Ad Syllabas argutas referendæ sunt
Paronomasia, Homæoptota, Homæoteleuta &c. quibus figuris ex-
undat Novum Testamentum, e. c. ἀπορέμενοι, ἀλλ' ἔκ ἐξαπο-
ρέμενοι 2 Cor. V, 8; ἄσυνετες ἄσυνθετες Rom. I, 31; κόψονται
ὄψονται Matth. XXIV, 3; ζῶν καὶ πνοήν, Ἀβ. XVII, 25. Huc &
pertinent lusus syllabarum, e. g. διδαχὴ βαλαάμ, ἐς ἐδίδασκε τὸν
βαλαάμ βαλεῖν σκάνδαλον, Apoc. II, 14. Argutæ in Verbis confi-
ciuntur, vel suavi vocabulorum lusu, e. g. ὁδηγοῖ ἐσι τὸ τυφλῶν
τυφλῶν, τυφλὸς δὲ τυφλὸν εἰάν ὁδηγῇ &c. Matth. V, 14; vel Me-
taphora unius vocis e. g. ἐγὼ πύρεμα 2 Cor. XI, 29; vel Epithetis
figuratis; ut κεκαυτηριασμένοι τὴν συνείδησιν 1 Tim. IV, 2; vel
Nominibus figuratis, ut πετρὸς ob constantiam, Ἐσαυργὸς ob
iracundiam; vel Definitionibus metaphoricis, quo modo argu-
tissime definiuntur impii in Epistola Jude, νεφέλαι ἀνδροί, ἀσέ-
γες πλανήται, & 2 Petr. II, 17, Πηγὰν ἀνδροί, νεφέλαι ὑπὸ λαί-
λαπος ἐλαυνόμενοι; vel Tesseris, sive Epiphonematis una voce
constantibus, e. g. Γενησθε Marc. XIII, 27. Ad Propositiones
argutas pertinent sententia, e. c. illa Christi: ποιήσατε ἑαυτοῖς
βαλάντια, μὴ παλαιῶμενα &c. Apophthegmata, ut Σκόπει μὴ
τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν: Adagia & Proverbia, qualia ex
Novo Testamento collegit Joh. Vorstius: Responsiones argutæ,
ut Christi, Luc. IX, 6, XIX, 19 seq. XX, 2, 3 seq. ibid. v. 25; &
Apostolorum, Ἀβ. IV, 19, V, 29, Propositiones paradoxæ, e. g.
Διμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἢ πτωχὴ πλεῖον πάντων ἐβέλ-
η

κὲ τῶν ἑλλόντων εἰς τὸ γαζοφυλάκιον *Marc. XII, 43*, item: ὁ ἐπίσω μὲ ἐρχόμενος, ἐμπροσθεν μὲ γέγονεν *Job. I, 15*, &c. Inter *Argumenta* arguta præ ceteris referendus est mirabilis ille Christi *Syllogismus*, quo resurrectionem mortuorum probat contra Sadducæos, *Luc. XX, 37, 38*; nec non *Enthymema* argutum, quo Phariseos, magni Prophetarum cultores videri gestientes, confudit, *Luc. XI, 47, 48*. Hæc talia, etsi maximi momenti non sunt; cum tamen in extraneis autoribus, tanquam præstantis ingenii fructus, admīremur; cur in scriptoribus sacris, quasi levia & fortuita, prætervideamus? Sed redeundum e diverticulo in viam est.

Capite VII hujus libri doctissimus Autor characterem styli singulorum N. T. scriptorum breviter exponit. Scilicet *Mattheus* omnem boni Historici notam, fidem & integritatem, perspicuitatem narrationis, cum elocutionis proprietate & gravitate, præ se fert, temporumque ordinem recte observat. *Marcus*, quod in historico præcipue laudatur, styli majestatem gravitatemque cum simplicitate & gratia, brevique pariter & clara enarratione, conjungit. *Lucæ* stylus eruditionem & educationem liberalem spirat, ipse etiam optimos Autores Classicos legisse videtur, quorum verba & phrasès non raro exprimit & imitatur. *Johannes*, gravis & simplex, brevis & perspicuus, planus itidem, sed infinite sublimis est. In *Paulo* quid maxime mireris, dubites. Nobilis enim orator & candidus, vasta religionis, quam proficitur, cognitione, styli copia & varietate, majestate & sublimitate cogitationum, ingenii denique præstantia & mirabili charitate, lectores suos in stuporem rapit. *Jacobus* verborum vigore & proprietate, simplicitate eleganti, figuris vividis, cogitationibus naturæ convenientibus, & solida eloquentia Epistolam suam exornat. *Petri* tandem stylus generosam vehementiam & fervorem spiritus, cum summa religionis Christianæ notitia & firmissima fiducia in veritate doctrinæ suæ ubivis prodit. *Capite IX* diversas exponit *Autor* proprietates, quibus antecellunt sacri N. T. scriptores omnes Autores Classicos gentilium, quales sunt: decor & modestia verborum, quoties criminum, vel necessitatum humanarum, mentio faciendâ est: grata varietas materiæ, styli

p. 372.

403.

& phrasium: sensus profundus, & mira sermonis significantia; excellentissima demum & gravissima morum præcepta, clarissimis rationibus & argumentis irrefutabilibus demonstrata.

Sed satis hæc de libro, utili sane & jucundo; qui non tantum in pulcherrima charta typis nitidissimis excudi omnino meruit; sed quem dignissimum etiam censemus, ut ab omnibus doctis legi possit, qui Latina civitate propediem donetur.

DICTIONARIUM HISTORICUM, CRITICUM, Chronologicum, Geographicum & Literale S. Scripturæ, cum Figuris Antiquitates Judaicas representantibus; Autore A. R. P. D. AUGUSTINO CALMET, Ord. S. Bened. Abbate S. Leopoldi Nanciensi; e Gallico in Latinum translatum & nonnihil expurgatum ab R. P. D. JO. DOMINICO MANSI, Lucensi, Congreg. Clericorum, Regul. Matris Dei Professore.

Tomi II.

Augustæ Vindel. & Græcii, sumptibus Philippi & Mart. Veith, & Johannis Fratris hæredum, 1729, fol.
Alph. II pl. 5, Tabb. æn. 20.

Postquam Celeb. Calmet Commentarios suos Literales in omnibus V. & N. T. libros non sine plausu Lectorum absolvit, (de quo opere, Parisiis inde ab A. 1707 XXV Voluminibus in 4 edito, diximus nonnihil, cum eam illius partem, qua Evangelium Johannis illustratur, recensere in Actis A. 1716 p. 202 sq. cetera enim Volumina ad nos non pervenerunt) rem non minus eruditæ utilem quam jucundam suscepit, edito Paris. 1722 in fol. maj. Lexico Biblico duobus Voluminibus, quod adeo protinus placuit omnibus, ut non modo Germani nostri maximam ejus partem in Dictionario Biblico vernaculo, uti hoc ipso Anno M. Jan. p. 10 sq. diximus, in usus suos convertere cœperint, & sit præterea inter nostros, quod nuper accepimus, qui opus integrum *ἡ τὰ πῶδα* in vernaculam eleganter translatum, figuris omnibus (continet autem, si Supplementum demas 105, si addas 201) affa-
bre

bre repetitis, edere laborat; sed ex Italis etiam Rev. P. *Mans* Dictionarium hoc in gratiam eruditorum, qui Gallica non amant, Latina civitate donaverit satis luculenter, primumque Lucæ ante triennium fere ediderit. Uti vero Interpres hic Latinus, pro linguæ genio, nunc paulo latius excurrere, nunc magis sermonem contrahere sibi integrum putavit, modo a mente Autoris non recederet, ita diligentius omnia scrutatus, & Autores ipsos, e quibus *Calmetus* sua congestit, evolvens, cum nonnulla plane falsa seu vitio typographi, sive Autoris lapsu, aut certe præposere descripta ex aliis libris deprehendisset, ea in notis diligenter emendavit, quas, ut hoc quoque notemus, non quidem textui ad modum Autoris inseruit, aut ad marginem, ut ille, apposuit, sed loco cujusque plagulae infimo subjecit. Nihil quoque omisit eorum, quæ Autor sub initium & finem Dictionarii addiderat, præmissam nempe Bibliothecam sacram, & quæ subjunguntur operi, Tabulam Chronologicam generalem historię Biblicę, reductionem monetarum, milliarium, item & stadiorum, ut & aliarum mensurarum longarum, quibus Hebręi & Judęi usi sunt, ad Gallicas, a Viro Cl. *Le Pelletier*, Rothomagensi, e majori opere, quod parat, communicatam, tum Calendarium Judaicum, & versionem literalem nominum Hebręorum, Chaldęorum, Syrorum & Græcorum in S. Scriptura occurrentium. Cum vero editioni Gallicę tot, ut diximus, tabulę æneę splendidissimę, non tam ex consilio Autoris, quam aliorum, qui id Typographo suaserant, accesserint, quæ pretium operis in immensum augebant; ut compendium sumptuum faceret Noster, omnes duxit omittendas, maxime cum pleręque vel alibi jam exstarent, vel ad libitum artificis, ut illa Samuelis cum Saule colloquentis, & similes, excogitatę sint. Quod tamen consilium novi Typographi illi Augustani, qui novam nobis nuper versionis hujus Latinę editionem, quæ præ manibus est, dederunt, ita temperandum putarunt, ut in ceteris quidem omnibus accurate sequerentur editionem Lucensem, e figuris vero Parisiensis illius Gallicę, præter quindecim, Hebręicas antiquitates illustrantes, nec alibi facile obvias, Tabulas Geographicas quatuor, Paradisi nempe terrestris, itineris & stationum Israelitarum in deserto, Terrę promissę, & regionum e locorum, in quibus Evangelium prædicant

runt Apostoli, ut & unam topographicam Hierosolymarum, quæ omnes ad mentem ipsius Autoris incisæ sunt, adoptarent, nec infeliciter repetitas, sumptu tamen emptorum modico, hic adderent.

Quod reliquum est, optamus, ut, postquam superiori anno Parisiis prodit Cl. Autoris ad hoc Dictionarium Supplementum, Rev. *Mansi* interpretis munus denuo in se suscipere haud detrectet. Constat vero illud (id enim hac occasione a nobis moneri Lectorum interesse censemus) Tomis pariter duobus, tertium & quartum operis constituentibus, qui priores illos mole fere æquant, figurarum vero nitidissimarum numero etiam superant. In his loca innumera Dictionarii suppleantur, novi quoque articuli non pauci adduntur, & multa præsertim, quæ ad militiam Hebræorum veterum spectant, passim inserta & figuris plurimis illustrata, debere se fatetur Autor celeberrimo Equiti *de Follard*, nupero Polybii interpreti & commentatori, qui & singularem de *Tactica Hebræorum* dissertationem præmisit. Accessere etiam sub finem mensuræ cavae Hebræorum ad Gallicarum modum redactæ & imprimis novæ Bibliothecæ sacræ Compendium admodum elegans & lectu jucundum, a Viro Rev. *Ildefonso Cathelinot*, Biblioth. Abbatia S. Michaelis Præfeto, ex opere maximo, quod molitur, excerptum, in quo panca illa, quæ Cl. Autor de S. Bibliorum editionibus, versionibus & commentariis, deque scriptoribus, qui de studio S. Scripturæ egerunt, Tomo I Dictionarii præmiserat, ita emendat atque auget, ut aliis, & præsertim Longo, non observata larga manu adspargat, simul & vitas subinde Autorum breviter evarrans; quem adeo, cum vel ex his vastam ejus notitiam, quasi ex ungue leonem, agnoscamus, publico nomine rogamus, ut aut grandius opus illud eruditis non invidet, aut certe Longianam Bibliothecam e scriniis suis supplere atque illustriorem magisque utilem reddere dignetur.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS &c.

hoc est,

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, QUI-
bus referuntur molimina, studia & labores Virorum inge-
nioso-

nosorum nostri temporis in variis orbis partibus. Volumen XXXIII, pro Annis 1722, 1723.

Londini, apud W. & J. Innys, 1724, 4.

Alph. 3 pl. 3 Tabb. æn. 18.

PRomissi nostri memores, quod in Actis Erud. 1727 p. 270 dedimus, in recensendis voluminibus Actorum philosophorum Anglicanorum pergimus. Volumen præsens, quod continet schedas A. 1722 & 1723 ad Societatem Regiam missas, incipit a Num. 370 & finit in Num. 380. Nos in præsentem enarrabimus, quæ ad A. 1722 referuntur: de ceteris dicemus proxime.

Numerus itaque 370, pro mensibus Januario, Febuario & Martio A. 1722 datus, primo loco exhibet *Halleji* correctionem erroris a R. P. *Feuillée* in determinanda longitudine loci in America australi, cui *Buenas Aires* est nomen, admissi, ob stellæ a Luna occultatæ confusionem cum stellâ λ in Virgine apud *Bayernum*. Resultat ex calculo *Hallejano* longitudinalis illius loci a Londinensi differentia occidentalis 58 graduum. *Desaguliers* describit antliam a *Josua Haskins* inventam, & a se ulterius perfectam, qua aqua ope hydrargyri elevatur. Quoniam hoc inventum jam descripsit *Leopoldus* Tom. I Theatri Machinarum hydraulicarum f. 138 & seqq. ejus descriptionem prætermittimus. *Petrus Deranté*, Chirurgus, communicat observationem singularem scapulæ & capitis ossis humeri mortificatorum ex fractura radii & ulnæ in sinistro brachio: *Joannes Thorpe* vero aliam non minus singularem hydatidum ingenti copia in abdomine reperorum, scilicet cum abdomen fortiter tumens & tensum incidere, materia gelatinosa coloris grisei & lutei, albumine ovorum spissior, cum magna copia globulorum alborum sphericorum, triangularium, vermicularium aliarumque figurarum, magnitudinem nucis avellanæ adæquantium, primo die ad mensuras sex evacuabatur; postero autem die incisione ampliore facta globuli ovum columbinum magnitudine superantes magno numero cum sex gelatinæ mensuris & magno frusto massæ cujusdam albæ, portionem omenti referentis, excernebantur. *Deidicæ* experimenta varia enarrat circa bilem hominum peste extincto.

tinctorum. V. gr. bilis coloris erat atrii & subviridis & colorem intense viridem contraxit a spiritu vitrioli, luteum vero ab oleo Tartari per deliquium. Bilis si instillaretur vulneribus canum, peste correpti intra tres vel quatuor dies extinguiebantur. Si drachma bilis duabus unciis aquæ fontanæ permisceretur & venæ jugulari canum injiceretur, intra quatuor horas exspirabant, inflammationibus gangranosis contractis, in corde sanguine atro crasso stagnante, hepate intumescente & vesicula bile viridi repleta. Accidit etiam, ut canes peste inficerentur, si bilis canum peste enecatorum ad experimenta adhiberetur. Minime autem lethifera fuere canibus experimenta, ubi ad ea adhiberetur bilis juvenis febre maligna ordinaria extincti. Describitur præterea status internus cadaverum peste extinctorum. In corde repertus est sanguis crassus & ater; pulmones fuere tumidi & maculis lividis conspersi, quales etiam in cerebro deprehensæ, dura ac pia matre inflammata; vasa sanguifera cerebri sanguine crasso & atro repleta. Subinde etiam gangræna in hepate notata vel tumor ingens in eo deprehensus. *Nettletonius*, in Comitatu Eboracensi inoculatione variolarum felicissime usus, omnem, quam adhibuit, methodum prolixè describit. Imprimis vero notatu dignum est, quod experimentum non successerit in puella, quæ variolis jam ante laboraverat, nec in puero, quando materia purulenta desumebatur ex pustulis jam macescentibus.

Num. 371 pro mensibus Aprili & Majo *Cornwallus* exhibet observationes accuratas acus magneticæ in Oceano Æthiopico A. 1721 & 1722 factas a gradu tertio latitudinis usque ad 32 & prope æquatorem. *Henricus Pemberton* ad examen revocat experimentum *Poleni* in Tractatu de castellis, quo mensuram virium vivarum *Leibnitianam* stabilire satagit. Contendit autem eo legem, qua sebum gelatum ponderi in ipsum cadenti resistit, potius explorari, quam vires determinari, quibus foveas in eodem efficiunt. Si idem accuratius expendamus, eodem potius communem sententiam confirmari atque manifestam reddi absurditatem *Leibnitianam*. *Paulus Dudleyus* communicat relationem de lapsu *Niagarae*, fluvii in Albania, quem d. 10 Oct. dimensus *Borassavius* juxta altitudinem perpendicularem reperit vi-

gin-

ginti sex orgyrum seu pedum 156, cum *Hennepinus* in descriptione hujus cataractæ eundem fecerit centum orgyrum. Lapsu hoc aquarum tantus producitur strepitus, ut ad aliquot milli-
arium distantiam vox loquentis ab adsstantibus non percipiatur, vapores instar nebulæ inde ascendentes ad nubium regionem pertingunt, ita ut ex intervallo septem vel quinque milliarium videantur, soleque lucente constans in iisdem iris apparet. *Lecuwenhakius* describit fibras musculares, quales in variis animalibus per microscopia deprehendit. In qualibet fibra distinctissime observavit ingentem numerum exilium vasculorum secundum illius longitudinem extensorum, & eadem reperit in carne bubula, in carne muris & in carne piscium. Annotat præterea, se non minus evidenter conspexisse vascula, quæ ex osso bubulo procedentia periossium componunt. Idem refert, crucem ferream, quæ per duo circiter secula in turri eodem situ constituta fuerat, virtutem magneticam contraxisse tantamque duritiem, ut limæ minas contemneret. *Robertus Cay* describit modum asseres incurvandi vi caloris, a *Cumberlando* inventum, in usum e. gr. navium construedarum. *Joannes Douglas*, Chirurgus, describit vulnera ventriculo inflicta & menstruo circiter spatio sanata, etsi cibus eidem modo ingestus inde excideret, cum primum infligerentur. Idem apostemia ventriculi describit præter omnem expectationem feliciter sanatum. *Joannes Brown*, Chymicus, experimentum instituit circa quantitatem resinæ in Cortice *eleutheriæ*, quod non convanit cum *Bulducciano* in Gallia dato. *Douglasus* denique novam describit methodum calculos incisione facta ex vesica extraheudi; quam cum non simplici vice haud infeliciter tentaverit, novam hanc cystotomiam suam veterem & leniorem, & tutiorem pronuntiat. Experimenta singularia, quæ fecit, enarrat & calculos, quos extraxit, delineat.

Num. 372 pro mensibus Junio, Julio & Augusto *Richardus Dobbs* describit perihelia in Hibernia observata; *Lecuwenhakius* vero particulas pinguedinis, qui non sine admiratione immensum numerum venularum & membranularum detexit, per pinguedinem diffusarum, & ingentem vidit multitudinem particularum pinguedinis a se invicem separatarum & membranis suis in-

volutarum. *Thomas Forsterus* in literis ad *Macbinum*, Astronomum Greshamensem, datis d. 12 Maji A. 1722, refert, quomodo vi terræ motus nova quædam insula enata fuerit in mari in vicinia *Tercera*; & *Radulphus Thoresby* in literis ad *Joannem Sloane* effectus nimbi violentos enarrat. *Couzierius* vulnere cani inflicto indidit sanguinem hominis peste enecati, qui intra biduum extinctus, parte vulnerata intumefcente & gangrænosa facta. Contra *Deidierius* canibus dedit bilem, quam cum sorberent, tristes reddebantur, urinam crassam & fetidam emittebant, & excrementa bile, quam hauserant, tincta ejiciebant, intra paucos vero dies sanitati pristina restituebantur. Comparat hic etiam solutio problematis de curvis inveniendis, quæ quadam ratione in situ inverso dispositæ se intersecare possunt in angulo dato, quæ legitur in his Actis Supplement. Tom. VIII p. 233 & seqq. & colophonem huic Numero imponit recensio libri sub titulo Harmoniæ mensurarum a *Coresto* editi, de quo dictum est in his Actis A. 1723 p. 157.

Num. 373 pro mensibus Septembris & Octobris *Leeuwenhærius* describit partes genitales ovis una cum fœtu, quo uterus erat obsessus. Orificium uteri erat adeo arcte clausum, ut stylus subtilis per ipsum adigi non posset. Id imprimis agit, ut refellat receptam hodie sententiam de conceptione per ovulum ex ovario per Tubam Fallopianam in ovarium delatum. Idem per microscopium contemplatus callum in manu & pede. *Abrahamus de Motvre* docet modum reducendi fractiones algebraicas radicalitate in unum ad simpliciores & summandi terminos quarundam series æquali intervallo a se distantium. Ipse autem sub finem schediasmatis monet, *Leibnitium* eadem sere usum fuisse methodo in reducendis fractionibus algebraicis ad simpliciores in Actis A. 1702 & 1703. Solvit quoque problema ad Ludorum doctrinam pertinens, quam peculiari libro exposuit, in Actis A. 1721 p. 131 commendatum. *Jacobus Jurinus* defendit dissertationem suam de motu aquarum fluentium contra animadversiones *Michelotti*: cujus defensionis jam mentionem fecimus in Actis A. 1721 p. 131. Idem refert exemplum, quo variolæ per contactum fuerunt communicatæ scæminæ, quæ hoc morbo jam laboraverat octavo ætatis anno.

anno. Non tamen iis infectam fuisse nisi partem contactam, neque etiam eandem febre laborasse, cum illæ erumperent. Tandem *Thomas Dereham* duas communicat observationes de cataracta oculi ex literis *Antonii Benevoli* ad *Cel. Valsavam* Florentiæ idiomate Italico editis. Nullam is invenit in oculo pelliculam, sed humorem crystallinum pelluciditate privatum & ex situ suo dimotum retinæ propiorem factum.

Num. 374 pro mensibus Novembri & Decembri *Hallejus* exhibet observationem eclipsos Solaris d. 27 Novembris A. 1722 Grenovici factam. Initium annotat h. 1, 29' 16"; finem vero h. 3, 43' 45". Eandem quoque observavit *Georgius Gerham* Londini, qui initium refert ad h. 1, 28' 38", finem ad h. 3, 43' 22"; quantita-

tem vero facit 5 dig. $\frac{716}{1000}$. *Leeuwenhækius* adamantem in frusta contractum contemplatus per microscopium, ea ex minutissimis particulis composita esse observavit. Frustula radiis solaribus obiecta flammularum quasi emittebant: immo ex uno frustulo tanta ascendebat copia ardescientium flammularum, ut plures esse numero quam quadringentas judicaret. Flammulæ colorem præferabant coruscum & pleræque viridantem. *Desaguliers* coram Societate Regia non sine successu repetiit experimentum, quod legitur in *Optica Newtoni* part. 1 prop. 1 exp. 2. *Nettletonius* & *Caleb Cotesworth* de variolis inoculatis varias asserunt observationes, quibus probatur variolas inoculatas esse minus nocivas & lethales, quam naturales. Ex plurimorum annorum observationibus deducitur, quartam decimam partem eorum, qui moriuntur, variolis extingui; eorum, qui hoc morbo laborant, partem quintam vel sextam mori, ubi vero variolæ fuerint inoculatæ, non nisi sexagesimam vel nonagesimam. *Abrahamus de Moivre* methodum novam proponit de sectione anguli. Sit x sinus versus cujuslibet arcus, t sinus versus alterius, r radius circuli, sitque arcus prior ad posteriorem ut 1 ad n ; assumtis binis æquationibus, quas cognatas appellat, $1 - 2z^n + z^{2n} = -2z^n t$ & $1 - 2z + z^2 = -2z x$, expunctoque z , oriri ait æquationem, qua relatio inter x & t determinatur. *Paulus Dudleyus* in litteris ex nova Anglia datis refert, esse ibidem quandam pomorum speciem, ex

quibus spuma sachari conficitur, si succus expressus sex horarum intervallo lento igne coquatur, donec tres quartæ evaporaverint. Nihil prorsus differt ab ea, quæ ex canna Indica præparatur.

EXCERPTA EX ELEMENTIS GEOMETRIÆ INFINITORUM FONTENELLIANIS
continuata.

Conf. Acta Erud. A. 1729 M. Mart. p. 19 sq.

Quinta Sectio singularem Incommensurabilium Theoriam pandit; si vero recte Autoris Illustris mentem percipimus, res tota huc redit. Inter 1 & 2 concipit infinitos ∞ arithmetice

proportionales medios, ut series fiat $1 + \frac{1}{\infty} + \frac{2}{\infty} + \frac{3}{\infty} + \dots$

$1 + \frac{\infty}{\infty} = 1 + 1 = 2$. In his mediis occurrunt tandem per ea quæ supra de serie A docuit, quantitates finitæ nullius expressionis capaces & hujus formæ $1 + \frac{\infty}{\infty}$ & quidem multitudine infinita. Porro

cum ∞ ex Autoris principiis sit numerus priuus respectu omnium finitorum, omnes medii sic introducti differunt a mediis secundum quævis numerum finitum inter eadem extrema introductis, quippe quorum expressio datur. Jam si numerus finitus inter 1 & 2 est possibilis, inter eos habebitur qui possunt exprimi, vel qui non possunt, hoc est, qui aliqua divisione finita vel infinita introducti fuerunt: Atqui radix 2 est possibilis & inter 1 & 2 cadit, nec expressionis est capax (quod probat, quia exinde sequeretur duplum quadrati esse quadratum): Igitur cadet inter eos, qui divisione aliqua infinita introducti fuerunt & hinc radicem

binarii ait futuram $1 + \frac{n}{\infty}$ ut inexprimibilis evadat. Jam ut n illud determinet, ponit $1 + \frac{n}{\infty} = 2$ seu $n^2 + 2n\infty = \infty^2$, unde sequitur n esse quantitatem infinitam ipsa ∞ minorem, sed talis

est ∞ ; ergo concludit $n = \infty$ & sic $\sqrt{2} = 1 + \frac{\infty}{\infty}$. His positis facilis est Theoriæ extensio ad radices reliquas, quæ inter 1 & alios

alios numeros quam 2 cadunt; ex qua sequitur methodus nova approximiandi, hic exposita, ut differentia valoris incommensurabilis sit data minor. Præter hæc incommensurabilia Geometris satis obvia tres novæ incommensurabilium species enumerantur.

Prima nempe $2^{\frac{\infty}{\infty}}$ vel $3^{\frac{\infty}{\infty}}$ &c. mediæ in seriebus geometri-

ce proportional. $1, 2^{\frac{1}{2}}, 2^{\frac{2}{4}}, 2^{\frac{3}{6}}$ &c. $2; 1, 3^{\frac{1}{3}}, 3^{\frac{2}{6}}$, &c. $3, \text{ \&c.}$

Alteræ, $\infty^{\frac{1}{2}}$, $\infty^{\frac{2}{3}}$ &c. Seriei G supra dictæ mediæ omnium

finitæ; Tertiæ ejusdem seriei terminorum $\infty^{\frac{\infty}{\infty}}$, quorum plures finitæ magnitudinis esse sub finem tertiæ Sect. annotaverat.

Quantitates igitur finitæ, quæ tamen nec rationaliter nec irrationaliter nempe specie recepta radicalium exprimi possunt, ut

summarum ipsarum $\frac{1}{A^2}$, $\frac{1}{A^3}$ &c. ad aliquam novarum specierum per-

sinebunt.

In sexta Sectione de quantitibus positivis & negativis realibus & imaginariis agit Illustris operis hujus Autor. Et principio quidem ideam absolute negativorum evolvens, distinguit inter esse specificum & esse numericum quantitatum. Esse specificum negativorum in certo modo oppositionis ponit, veluti distantia Solis sub horizonte opponuntur distantis ejus supra eundem; in illo consistere esse absolutum negativorum. Esse numericum hinc non affici, nec proinde numerorum qua talium esse negari vel poni. Ex hac idea explicat negationem exponentium in potestatibus & calculi leges pro varietate signorum. Imaginarias ab impossibili deducit, & numerum imaginariarum a numero modorum, quibus quantitas impossibilis est. Sic & ostendit, quod uno modo quantitate reali existente, altero vel reliquis impossibili radicem realium & imaginariarum numerus oriatur ex Algebrae legibus.

Sectione septima Theoria generalis serierum proponitur, quoad ordinem & magnitudinem Summarum. Prima observatio est, series a terminis finitis incipientes in novum ordinem non transire, si differentias terminorum habeant infinite parvas, sive

creſcentes fuerint ſive decreſcentes; vel etiam ſi finitum numerum differentiarum finitarum habuerint. Altera, omnes ſeries inter 1 & ∞^n interceptas, & numerum terminorum habentes ∞ , neceſſario ad aliquod trium generum ſequentium ABC pertinere, vi conditionum ſerierum ſuarum differentialium.

A	Series differentiarum decreſcentium.
α	Series Arithmeticae ſ. diſſ. æqualium.
B	Series differentiarum creſcentium in minore ratione quam termini ſeriei.
β	Series differentiarum creſcentium in eadem ratione quam termini ſeriei.
C	Series differentiarum creſcentium in maiore ratione, quam termini ſeriei.

Ubi α & β generum conſinia notant, ad quæ ſeries tranſeunt e genere in genus. Jam vero manifeſtum eſt ſerierum ad hæc genera relatarum ſummas creſcere per genera ordinatim. Eſt autem ſumma ipſius α ordinis ∞^{n+1} , β , ordinis ∞^n , unde ex principio oppoſitionis inferre celeberrimus Vir, initium immutati ordinis ad β eſſe, adeo ut ſeries omnes generum A & B habituræ ſint ſummas ordinis ∞^{n+1} , C vero ordinis ∞^n . Porro ob ſumma-

rum per ABC continuum decrementum, & $\alpha = \frac{\infty^{n+1}}{2}$ erit co-

efficiens ipſius ∞^{n+1} pro ſumma A major, pro B minor quam

$\frac{1}{2}$. Eodem modo ob $\beta = \frac{\infty^n}{\infty^{\frac{n}{2}} - 1}$ concluditur ſerierum C coeſſi-

cientes minores fore ipſo $\frac{1}{\infty^{\frac{n}{2}} - 1}$. Atque adeo de ſeriei oblatae

ſumma quoad ordinem & coeſſicientem iudicare licebit, ſi captis α & β inter eadem extrema cum ſerie oblata, & comparatis hujus & illarum diſſerentiis, oblata ſeries ad genus ſuum reducat.

Hujus exempla hic circa ſeries inter 1 & ∞ , 1 & ∞^2 , 1 & ∞^3 adducuntur, & quæ in tertia Sect. ex terminorum conditionibus circa ſeries $A^n A^n$ invenerat, imo & ſummaones ex formulis inde-

indefinitis summarum pro seriebus A^n derivatæ, cum hujus Theoriz generalis determinationibus conspirare ostenduntur. Proximus usus hujus Theoriz est, ostendere conditiones terminorum; quo spectant quæ de terminis inter 1 & ∞^n docet; nempe inter 1 & ∞ series omnes finitorum infinitum numerum habere, inter 1 & ∞^n finitum. Sectionem hanc finit consideratio mutationis, quæ in ipsa variatione seriei alicujus evenire potest. Nempe omnis series tendit ad limitem suæ variationis, & seriei terminus ad limitem suæ magnitudinis, crescendo vel decrecendo. Hi limites interdum coincidunt, interdum diversi sunt. Hoc ultimo casu, discernendus est limes variationis, ubi prodeunt maxima vel minima a limite seriei, ubi prodeunt ∞ vel 0 . Illum arbitrium, hunc naturalem appellat. Limes ergo arbitriarius variationi seriei mutationem affert, invertendo ipsam, ut termini ex crescentibus evadant decrecentes vel vice versa. Hæc planiora sunt cogitando series ordinarum in curvis & illarum symptomata. Porro advertens, quod serierum differentiis decrecentibus termini tendant ad æqualitatem, tertium limitem facit, æqualitatem, eumque proinde relativum terminorum seriei, ad quam tendit ipsorum ratio. Potest hic limes in arbitrium & naturalem incidere, quo casu distinguit iterum limitem simplicem & compositum. Hæc limites concernunt quantitatum qua talium. Quod si ad eorum generalem ideam accedat esse quoddam specificum, quod ipsam determinet, ut certæ speciei quantorum limites sint, discerni præterea possunt limites medii & communes. Sic limes medius dicitur in adscensu projectilis altissimum punctum, ad quod in parabola elevatur: limes communis punctum regressus curvæ in cujus uno crure fluidum projicitur sursum, in altero deorsum, ut in ipsum punctum regressus adscensus & descensus simul incidant, quibus ipsis exemplis autorem hic usum deprehendimus.

Atque huc perducta Theoria infiniti in se spectati, disquiratur jam, qua diversitate deprehendatur infinitum in magnitudinibus rectorum & curvarum, & quæ inde determinantur. Huc primo faciunt notiones variabilis in infinitum magnitudinis linearum & angulorum, indeque pendentis parallelismi & ortho-

gonias; nec non coordinatarum ex applicatis & abscissis serierum; quarum termini omni variatione numerica & specifica afficiuntur. Hæc autem materia est sectionis octavæ. Secundo huc pertinent ipsæ formationes curvarum & quæ in earum determinationes utcumque ingrediuntur, ut series angulorum contingentiæ, conditiones serierum differentialium & hinc pendens cavitas vel convexitas cum mutationibus in inflexionibus & regressibus factis. Quæ omnes notiones nona Sectione fusc exponuntur.

Principiis ultimarum duarum Sectionum superstruitur Theoria variationis Curvarum. Præcipua hujus momenta in limitibus continentur ad quos tendentes vel evadunt axi perpendiculares vel parallelæ. Intelligatur pro sequentibus curva ad axem cava, & ordinarum crescentium, & posito $dx = 1$ primæ harum dif-

ferentiæ constituent seriem decrecentem inter $\frac{1}{\infty}$ & 0 vel $\frac{1}{\infty^2}$,

inter $\frac{1}{\infty}$ & $\frac{1}{\infty^3}$ vel $\frac{1}{\infty^4}$ &c. Hisce omnibus obtinentibus Cur-

va tendit ad parallelismum cum axe. Si ejusmodi series est infinita, curva post finitum intervallum parallelismum attingit; sin infinites infinita, post infinitum. Illo casu, ordinata ad limitem parallelismi semper est finita, & abscissa minor, vel eidem æqualis si primum $\frac{1}{\infty}$ seu dy minus est, quam primum dx , major vel minor,

si fuerit majus: Hoc autem, serie inter $\frac{1}{\infty}$ & $\frac{1}{\infty^2}$ comprehensa,

infinita est ordinata ad limitem; inter $\frac{1}{\infty}$ & $\frac{1}{\infty^3}$ vel $\frac{1}{\infty^4}$ &c.

finita, utrinque abscissa minor. Hæc ex ostensis in Sect. 7 demonstrantur. Fit igitur Asymptotismus, ubi series differentialium primarum cadit inter $\frac{1}{\infty}$ & $\frac{1}{\infty^n}$ (ubi $n > 2$) & est infinites infinita.

Jam Curva attingat limitem post finitum intervallum, ut in primo casu, & redeat inde versus axem descendendo, differentiis ordi-

ordinatarum decreſcentibus verſis in creſcentes; oſtenditur eam poſt fluxum finitum attingere limitem naturalem in axe. Deinde a limite pergat per ſeriem ordinatarum creſcentium & in ipſum limitem parallelifini incedet punctum inflexionis. Simili ratione explicantur reſreſſus, & quod caput eſt, in mutabili directione curvarum probatur ex principiis poſitis, parallelifinum requirere ordinatas æquales duas, inflexionem & reſreſſum tres; poſt inflexionem & reſreſſum differentias ordinatarum mutare vices variationis & evadere ex creſcentibus decreſcentes & vice verſa; elementa curvæ ad ipſa inflexionum & reſreſſuum loca limites conſequi ſuæ obliquitatis. Quæ in reliqua hujus ſectionis parte de tendentia curvarum ad orthogoniam, i. e. ſitum ultimi elementi normalem reſpectu axis, dicuntur, a præcedentibus pendent. Nec opus eſt hic omnia poni. Quædam tantum de Curvatura addemus, cujus Theoriâ hæc Sectio abſolvitur. Sint elementa curvæ conſtantia, & erit curvatura, ut ſinus anguli contingentiæ. Facile apparet, qua re opus ſit, ut curvatura ſit nulla. Sed ſi infinita concipiatur, prodiret angulus contactus finitus, quod fieri nequit.

Hinc curvatura infinita hic ponitur in latere ordinis $\frac{1}{\infty}$ curvaturæ ſeriem terminante, ejuſque explicantur ſymptomata in caſibus inflexionum reſreſſuum &c. Sub ſinem Sectionis enumerantur primariæ mutationes, per quas tranſeunt variabilia curvarum, & exponuntur idæ curvarum Geometricarum ſeu rationalium, & mechanicarum, quas alii tranſcendentes vel geometricæ irrationales vocant.

Ex ante dictis in 11 Sect. derivantur regulæ inveniendi per calculum ea omnia, quæ ad ſeries variationum in curvis ſpectant, id eſt, quæ ad Aſymptotiſinum, parallelifinum & orthogoniam ad axem ad utrumque curvæ terminum, Tangentes ad terminos, maxima & minima, inflexiones & reſreſſus determinandos faciunt. Similem calculum circa curvaturam ex ſolis expreſſionibus $\frac{ds d^2y}{dx}$ ſinus curvaturæ (ubi ds eſt elementum arcus, reliqua, quod alias, ſignificant) inſtituit Sectione duodecima. Ejus exem-

plā sunt, determinatio curvaturæ constantis in circulo eodem, & diversæ, in reciproca radiorum, in diversis; in Ellipfi curvaturam ad verticem esse ad eam, in quam incidit axis minor, ut $a \times \sqrt{a^2 - b^2}$, intelligendo per a axem, per b parametrum & alia hujus generis. In quibus omnibus multa sane occurrunt curiosa, autoris principiis conformia, & alias non animadverta, sed quæ hic paucis tradi non possunt. Idem fere de tota Parte secunda dicendum, cujus prima Sectio exactam præcisionem calculi differentialis vindicat respectu heterogeneorum, quæ negliguntur: secunda Theoriā infinitorum radicalium ad spatia Hyperbolica applicat, tertia de occurribus agit curvarum, sive per contactus sive intersectiones sive ex utrisque componantur, & casum Tangentium, quæ pertinent ad puncta intersectionum a pluribus curvæ cruribus factarum ingeniose explicat, causas investigando differentiationum iteratarum, quibus hic opus est. Quarta in Iso-perimetricorum originibus occupatur & illustranda earum dependentia a curvaturis. Quinta demonstrat necessitatem formandi lineas, superficies, solida ex elementis homogeneis. Sexta de spatiis Hyperbolicis in genere & solidis inde oriundis & diversis ipsorum infinitate nec non variabili Asymptotifini quantitate fusius tractat. In septima de communicatione & non communicatione rationum finiti & infiniti agitur. Si ratio in infinitis determinabilis est, etiam determinabilis est in finitis, quæ illis infinitis exponi possunt; ut ratio summæ infinitorum terminorum ultimo in Arithmetica progressionē infinita æqualium, ad ipsam hæc infinitam Summam, determinabilis est, & ideo etiam ratio parallelogramini ad Triangulum inscriptum: hoc erat fundamentum Arithmetice infinitorum: Illūstris Autor hanc finiti & infiniti habitudinem communicationem rationum finiti & infiniti vocat. In genere igitur quoad areas curvarum patet, eas esse expressionis capaces, quarum ordinatæ seriem efficiunt, cujus summa infinita ad ultimo termino æquales æque infinitos, est in ratione; vel, quod est idem, quæ in ratione est ad $x y$, si & area & $x y$ per series infinitas exponantur. Unde cum infinitum areæ Hyperbolice ad homologum infinitum ipsius $x y$ sit, ut ∞ ad ∞ , patet, quod illa inveniri non possit. Hujusmodi circa curvas complures in hac Sectione ostenduntur.

Octa-

Octava & ultima Sectio hujus Partis & operis infinitum in viribus motricibus considerat. Expositis definitionibus, & Galilei Systemate inde deducto, instantaneæ virium acceleratricium, temporum, velocitatum, spatiorum mutationes ex infiniti ideis exponuntur. Singularis hic idea occurrit virium, quibus debentur motus uniformes. Concipiuntur enim applicari per tempus finitum indeterminabiliter parvum ex lege virium variabilium. Sub finem explicantur vires centrales & quæ inde determinantur, & exemplo Curvæ æqualium pressionum ulterius declaratur usus eorum, quæ in hoc opere tradita fuerunt. Ea vero in universum ejusmodi sunt, quæ a lectoribus cum voluptate legentur. Nam quicquid fere Geometria magnum habet, id proprium sibi in hoc Systemate vindicat locum. Hic ideæ novæ magno numero occurrunt, imprimis circa conditiones serierum, eo loco, ubi jam infinitæ evaserunt; sed quibus ideis debitum ex gradu diverso evidentiae pretium ipse Celeberrimus Autor statuit. Licet pleræque ejusmodi sint, ut cum veteribus in facili consensum venire possint; nullæ tamen facile adversantur conclusionibus, de quibus alias constat. Systema notionum quibus calculi infinitorum circa definiendas affectiones Curvarum re ipsa diriguntur, primus explicite pandit, & quæ hæcenus (excepto Asymptotismo) non admodum quæsitæ fuerunt, licet sint in potestate calculorum, Curvarum symptomata ad limites infinite distantes, ex ipsis infiniti diversitatibus distincte determinat, ostenditque cum iis quæ fiunt ad limites finite distantes coherere.

**JOHANNIS, CONFRATRIS ET MONACHI
Glostoniensis, Chronica sive Historia de rebus Glostoniensibus;**
e Codice MS. membranæ antiquo descripsit editque
THOMAS HEARNIUS.

Volumina II.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1726, 8 maj.

Alph. 2.

ADAMI DE DOMERHAM HISTORIA DE
rebus

rebus gestis Glastoniensibus : e Codice MS: per antiquo descriptis primusque in lucem protulit TH.

HEARNIUS.

Volumina II.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1727, 8 maj.

Alph. 2 pl. 8 Tabb. æn. 2.

Pergit Cl. *Hearnius*, singulis fere annis aliquid e MSptis erueret, quod ad historiam Anglicanam spectat, idque præfationibus ac appendicibus prolisis, sæpe longe aliena complexis, sive ornare sive onerare; quæ scripta subscriptionis lege, quam primus fere in Anglia introduxit, paucis exemplaribus, nec exiguo pretio imprimuntur, quo fit, ut iis semel distractis Libri in unum pretio veneant. Ita post edita A. 1724 Roberti Glocestriensis & A. 1725 Petri Langtofti Chronica, Supplem. Tomo IX Sect. IX p. 373 & 375 memorata, A. 1726 Johannem Glastoniensem & sequenti Adamum de Domerham produxit in lucem. Quod ad *Johannem Glaston.* illum, e duobus MSptis, Bruceano & Ashmoleano, nunc editum, multa hic Noster in præfatione de fide Autoris, quamvis a nonnullis pro fabuloso habiti, item de Antonio Woodo & Thoma Smith obiter prædicat, & Glastonium jus monetæ a Mathilde Imperatrice & Regina Angliæ accepisse, ex ejus diplomate probat, eaque occasione de re nummaria & officinis monetariis, ut & valore monetæ veterum Anglorum prolixè disserit. Ipsum Chronicon, quod primum Volumen exhibet, de rebus Ecclesiæ Glastoniensis, ab Apostolorum fere & Josephi ab Arimathia, qui in Angliam venisse & primus Glastoniæ ecclesiolam condidisse nonnullis creditur, tempore usque ad A. 1593 conscriptum est. Volumen II alia quædam continet, ut excerpta e Richardi Beere Terrario Cœnobii Glastoniensis, chartas quasdam & diplomata ad idem Cœnobium pertinentia, Indicem librorum ejusdem ecclesiæ de A. 1248, ut & reliquiarum quæ olim ibi exstiterunt. Accessit Appendix ipso Volumine major, in qua primo exhibentur Litteræ Arthuri Charlett ad Tennesonum Archiep. Cantuar. A. 1695 scriptæ, quibus ipsi nuntiat, Woodium exspirasse, sed paulo ante mortem

MSpto-

MSptorum suorum partem igne cremasse, partem Bibliothecæ Bodlejanæ, partem Thomæ Tannero, Cancellario hodie Norwicensi, legasse, ubi Hearnius in nota observat, Woodium natum d. 17 Dec. 1632 diem obiisse d. 28 Nov. 1695, teste ipso ejus epitaphio, atque adeo falso in præfatione secundæ editionis Athenarum Oxon. quam Noster spuriam vocat, diem 29 Nov. pro die illius emortuali venditari. Succedunt Thomæ Smithi Epistolæ duæ de S. Ignatii Epistolarum, quas ille edidit, Codice MS. Mediceo, quem, minusculis literis scriptum, adeoque quingentis annis haud antiquiorem, admodum corruptum esse probat, additis etiam Jo. Ledgardi variis lectionibus cum editione Vossiana collatis. Exhibentur porro Johannis Devi (*Dee*) celeberrimi illius Mathematici, Litteræ supplices ad Mariam Reginam, quibus illi modum colligendi Bibliothecam & optima quæque MSpta ab interitu vindicandi proponit, tum & alix ad Elisabetham, quibus totam vitæ suæ rationem exponit, lectu quidem dignissimæ, etsi minime dubitemus, iis usum fuisse Jo. Smithum, è cujus schedis utrumque monumentum prodit, in vita Devi, cum aliis eruditorum vitis edita. Subjunguntur etiam excerpta quædam ex inedito ejusdem Devi libro: *Famous and rich discoveries*. Succedunt quædam alia, inter quæ ultimum locum occupat Indulgentia monasterio Glastoniensi ab Innocentio Papa & Archiepiscopo Cantuar. A. 1247 concessa, ut monachi ob loci frigiditatem pileis Ordini suo convenientibus uti in templo possint.

Progredimur ad alterum scriptorem, *Adamum de Domerham*, ita dictum de vico natali ad cœnobium Glastoniense spectante, virum de eodem cœnobio optime meritum. Pertingit autem ad A. 1290, quo vixit, res suo tempore gestas imprimis accurate describens. Cum verò Wilhelmum Malinesburiensem de antiquitate Eccl. Glaston. continuare voluisse videatur, quippe ab A. 1126 incipiens, e re duxit Noster, eundem cum eodem Codice Cantabrigiensi, e quo ab amanuensibus suis perperam descriptum inter XV Scriptores dederat Th. Gale, denuo conferre, & non prætermittis, quæ passim a veteri manu accesserant, seorsum Volumine I hujus operis exhibere, cui complendo addita quoque a Nostro sunt doctissimi Viri, Edmundi Archeri, Archidiaconi Wel-

lensis,

leasis, excerpta e Registris Wellensibus, & quædam diplomata ad
Glastoniam pertinentia. In præfatione inter alia exhibet Catalo-
gum Abbatum quorundam Cœnobii de Muchelney in agro Som-
mersetensi, & præfationi subjicit appendicem satis prolixam, in
qua primum locum occupat Eduardi Bayly Epistola de inscrip-
tione A. 1723 in Ciceslria inventa, quam hic illic depravatam ita re-
stituit:

NEPTVNO. ET. MINERVÆ
TEMPLVM

pro. SALVTE. Domus DIVINÆ
ex AVCTORITATE imp. TI. CLAVD.

& coGIDVBNi. Regis MAGN. BRIT.
colleGIVM FABROR. Et QVI IN EO

a. f. (a facris) Sunt, D. S. D. (de suis dederunt) DONANTE
AREAM

pudENTE. PVVENTINI. FIL.

- p. 42. Cujus Inscriptionis lineam quintam paulo aliter legit Galeus in
Transact. Angl. A. 1723 M. Sept. & Oct. quam tamen lectionem
doctibus literarum in marmore non convenire, docet idem Bay-
ly. Sed fusius in illam commentatur Hearnius, statim initio do-
cens, ex hoc Neptuni templo imperium maris asseri non inepte
Anglis posse. *Templi* vocabulum in gratiam Anglorum, qui non-
44. dum satis linguæ Latinæ periti erant, adhibitum fuisse, putat, loco
Ader, seu ut vulgo scribebant, *Aider*. Qua occasione affert aliam
Inscriptionem eodem A. 1723 haud procul Tusculo in villa Tul-
lii repertam, quam hodie possidet Richardus Rawlinson, An-
glus:

D. M.

C. POMPONIVS

HYMNVS

POMPONIAI

DVLCISSIMAI

VIX. ANN. VIII.

45. *Divinam* domum pro *Augusta* dici, ideo credit, ut eo major Clau-
dii apud Anglos sit veneratio. *Cogidubnum* eundem esse cum Co-
giduno, Tacito in vita Agricola memorato, minime dubitat, cum
b seu

b seu p, ut in *columpna sompnus* &c. non pronuntietur. Eodem tempore primum Angliæ Principibus titulum *Regis Magna Britanniæ* indultum fuisse existimat, nec antiquius ejus indicium, quam in hoc ipso lapide, extare. *Collegio fabrorum* non dubitat ipsos etiam milites fuisse adscriptos, quos scilicet otiosi tempore pacis non licebat, & Præfectum fabrorum commode dici, qui architecturæ militari præpositus esset. Dum per *aream*, quam *Pudens* donavit, non modo illud spatium, quod templum occupabat, sed longe amplius circa illud intelligendum censet, monet tamen, antiquitus defunctorum corpora non intra pomeria, sed extra illa, in viis fere publicis sepulta fuisse, nec ante seculum octavum in Angliæ morem invaluisse mortuos in templis vel cœmeteriis illis vicinis humandi, quam licentiam demum A. 742 Papa Cutberto Archiep. Cantuar. petenti concesserit. Tacemus monumenta alia, ad Ecclesias Angliæ spectantia, quæ Præfationi subjiciuntur. Illud tamen etiam monendum, Cl. Hearnium in Catalogo librorum a se editorum, quem utriusque libro pro more attextuit, occasionem captare passim quædam addendi, quæ alibi locum non invenerant. Ita in eo, quem subjecit Johanni Glaston. dum Reliquias suas Bodlejanas memorat, a p. 612 ad 645 varias affert tum Thomæ Bodleji, tum & Elisabethæ Reginæ & Henrici Savillii Epistolas, quæ imprimis Bibliothecam Bodlejanam Oxoniensibus donatam concernunt. Dodwelli dissertationem de parva Woodwardiana a se editam memorans, indignatur, Gualterum Moyle, ejus, ut antea in Actis, ita mox iterum mentionem faciemus, antiquitatem illius in dubium vocasse, & graviter in eum invehitur, quippe qui de autoribus præstantissimis plerisque, tam veteribus quam recentibus, contumaciter arroganterque scripserit, ne quidem ipsis Patribus exceptis, judicans nempe, Sanderfonium Episcopum Anglum plus veræ Logicæ & judicii possidere, quam omnes simul Patres. In altero Catalogo, Adamo de Domerhami subjecto, de insigni raritate Itinerarii Lelandiani a se editi ipse testatur, ejus scilicet libri non nisi centum & viginti exemplaria, in quibus duodecim in charta magna, impressa sint.

P. 49.

51.

52 sq.

650.

720.

THE WHOLE WORKS OF WALTER MOYLE.

A a

h. c.

h. e.

**GUALTERI MOYLI OPERA OMNIA, AB
ipso publicata, quibus præfixa est Relatio quædam de
Auctoris vita & scriptis.**

Londini, apud J. Knapton, Ed. Curll & rel. 1727, 8.

Plag. 20.

Recenſuimus A. 1727 M. Jun. p. 253 ſq. Opera Moylii poſthuma, a *Thoma Sergeant* in lucem emiſſa; nec adhuc laudum; quibus & librum & Autorem tunc maſtavimus, nos pœnitet, quantumvis in eum debacchetur Cl. Hearnius loco modo adducto. Prodeunt nunc & illa, quæ ipſe *Moylius*, cum in vivis eſſet, publici juris fecit, fugitiva hæcenus & diſperſa, vel aliis voluminibus inſerta; quæ, ſi poſthuma iſta vel rerum pondere, vel elaborationis cura æquipararent, Editor, quicquid eſt, ſummam profecto cum doctis omnibus gratiam iniret. At enimvero inſiciari nemo poteſt, qualitate, uti quantitate, præſentia hæc opera, illis longe eſſe inferiora, quicquid in dedicatione ad Illuſtriſſimum Vice-Comitem *Townſhendium* de iis prædicet bibliopola *Eduardus Curll*, quicquid gloriatur in præſatione *Antoniſ Hammonduſ*.

Et quod *Hammondum* quidem attinet, monſtrat iſ ſuo exemplo, Philoſophorum regulam: *Qui vult & poteſt, ille etiam facit*, non eſſe omni exceptione majorem. Voluit enim vitam Auctoris noſtri enarrare, eumque in ſinem *Introductionem*, quam vocat, 52 paginarum libro huic præfixit; poterat omnium optime, quod voluit, præſtare, cum & Moylii æqualis eſſet, & intima ejus amicitia a prima juventute uſus fuerit: ſed vix aliquid de ſatis rebusque geſſis tanti Viri, tanti amici, nos edocet; niſi, quod A. 1672 in *Cornubia* natus, humaniorum literarum ſtudia, quorum ſacris in ſcholis minoribus imbutus fuerat, *Oxonia* perfecit; quod *Londinum* a Patre miſſus, ut Legibus operam navaret, *Nymphæa* quædam, ſive aquæ calidæ cauponas, e. c. *Manwayring's-Coffee-Houſe in Fleetſtrect*, *the Grecian-Coffee-Houſe near the Temple &c.* frequentavit: tandem vero *Deputatus* pro ſua provincia electus, intraverit *Parliamentum*. Tum de ſcriptis, quæ hoc volumine continentur, pauca quædam, ſed nullius ſere momenti,

in-

inspergit: reliquum autem corpus tam amplæ præfationis longis digressionibus tædiosisque, quibus epistolæ aliquot *Moylii* ad *Hammondum* datæ, *παρὰ τὸ μέλος*, inferciuntur, conficit. Denique largis pollicitationibus, plura se de scriptis Moylianis in *Retractione* eorum, huic libro in fine subjicienda, dicturum, Lectorem benevolum dimittit.

Sed videamus jam ipsos Tractatus, quos hoc Volumen complectitur. Exhibet autem pag. 1 versionem Anglicam libelli Xenophontis, *de augendis rebus reipublica Atheniensis*, subjunctis quibusdam observationibus Moylii: pag. 49 Discursum *de reipublica Lacedæmoniorum*, elegantem quidem illum, sed brevem & quodammodo perfunctorium, nec cum Discursu *de Imperio Romano*, qui inter opera Autoris nostri posthuma primus est, omnino comparandum: pag. 81 versiones quorundam operum Luciani, quæ sunt: *de sacrificiis*, *Herodotus* sive *Action*, *Dialogus Luciani cum Hesiodo* & *Panegyricus in Demosthenem*. Pag. 155 sistit Tractatum politicum, eruditum, & speciosis valde ratiociniis refertum, A. 1697 prima vice typis expressum, quo probare Autor annititur, *Exercitum perpetuum*, quem *Wilhelmus III* Angliæ Rex, sopito licet tunc bello Gallico; tam ardentem efflagitabat, *cum Republica libera consistere non posse, & in destructionem Monarchiæ Anglicæ vergere*. Tractatus hicce sub titulo *an Argument against a standing Army*, suo tempore notissimus, variis in Parlamento sermonibus, variis scriptis libellis, que per omnem Angliam ansam dedit: a nemine autem, quo sciamus, lepide magis refutatus est, quam a *Thoma Brown*, Poeta Anglo, fabula quadam ingeniosissime conficta, quam vocat: *Of the Wolf and the Porcupine, in answer to the Argument against a standing Army*. Quam Fabellam, cum brevis sit, latine, ad modum *Plædri*, a nobis redditam, ex *Volum. IV Operum Brownii*, in gratiam lectoris, huic transferamus:

Lupus & Erinaceus

*Sylvam lupus percursitans famelicus
Pinnatum forte offendit erinaceum.
Quam raperet! sed minacia obstant spicula:
Consilium ergo convertit ad fallaciam,*

A a 2

Heus!

*Heus! inquit, paxne est nobis, illo fœdere,
 Quò nos ab omni tutor credo injuria?
 Cur igitur fixas pelle hastas circumgeris,
 Quasi perpetuum, exhausto bello, militem?
 At, quatiens setas, retulit hæc Ericius:
 Fœdus compositum quod narras pulchre scio;
 Sed providendum est, ut tu vel tui similes,
 Armis sepositis, ledere inermem non audeant:
 Delusa ne pax in querelam recidat.*

Scimus interin (quod & *Hammondus* in præfatione non
 dissimulat) verum *Argumenti* hujus autorem esse *Trenchardum*
 quendam, qui *Moylium* nostrum in compilando hoc tractatu ad-
 jutorem tantum habuit. Sed progrediamur jam in opere cæpto,
 quod non procul a fine suo abest. Pagina scilicet 211 & sequentes
 tradunt nobis fasciculum *Epistolarum Moylii ad familiares*, ma-
 ximam partem nil nisi jocularia continentium; pagina demum
 249 versionem *Dialogi Philopatris*, at non *Moylii*, sed *Drakii*,
 opera in linguam Anglicam translata, quæ adeo corollidis loco
 operibus *Moylianis* superadjecta videtur.

Expectabit jam lector *Retractionem scriptorum Moylii*,
 ab *Hammando* in calce præfationis tam liberaliter promissam:
 sed vir moribus aulicis imbutus, in singulari *Postscripto*, inanibus
 quibusdam verbis, quasi numerorum *complementis*, ut *Ciceronis*
 phrasi utamur, se expedit. Nempe opus sub manibus sibi excre-
 visse eam in molem, ut libro huic commode jungi non potuerit:
 in compensationem tamen qualemcunque adjicit *Characterem*,
 sive brevem descriptionem personæ & morum *Fletcheri Saltoni-
 ensis* ex *Lockharti* relationibus desumptam, quam nemo hic quæ-
 reret. Hanc sequuntur *Errata*: & agmen claudit *Index*, pro ra-
 tione opusculi, haud contemnendus.

Nos hoc unum addimus, videri nobis superesse adhuc quæ-
 dam scripta doctissimi *Moylii*, duobus istis Voluminibus, quæ
 jam prostant, nondum inserta, idque vel iade conjectamus, quod
 ipse Autor, in epistola ad *Kingium*, quæ Operum *Posthumorum*
 Vol. I pag. 297 exstat, se emendationes quasdam in *Philopatri-
 da* lucubrasse, & inter alia voces istas barbaras, *ἐλεπασμὸς*
 &

& *ελεγχόμεναι*, cum scribarum mendæ sint, levi alteratione correctisse, Græcæque civitati postliminio restituisse, indicat; cujus tamen rei, præter hunc locum, in libris, quos habemus, nullum apparet vestigium.

**EVERARDI OTTONIS, JCTI ET ANTE-
cessoris, ad FL. JUSTINIANI P. P. Aug. Institutio-
num, sive Elementorum Libros IV, a CUJACIO emenda-
tos, Notæ Criticæ & Commentarius, in quo Juris Romani
principia, rationes, progressus & meliores Inter-
pretes indicantur.**

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. van Poolsum, 1729, 4.

Alph. 3 pl. 17.

Hunc quoque Viri Præclarissimi in melioris Jurisprudentiæ studiis ornandis, juvandis, promovendis summa contentio nobis elegantissimum Commentarium tulit, cujus gloriæ vel numerosissima hujus generis librorum moles necquicquam detrahat, quorum inter præstantissimos excellit atque eminet plurimum. Quæ enim in plerisque Institutionum Justinianearum Interpretibus jure desideres, in aliis artium & literarum subsidia, in aliis breviter, in aliis perspicuitatem & incipientibus accommodatam doctrinam: iis Noster singulis boni interpretis partes plenissime absolvente studuit: cujus diligentiam rationes in præfatione ad *Edictales, Papinianistas & Prolytas*, ipse luculenter exposuit. Quoniam vero inanis futurus erat omnis labor, quamdiu, vera lectione necdum deprehensa, cum variis, quæ vulgo occurrunt, lectionibus luctandum fuisset: eum quidem exhibuit Institutionum contextum, quem Jac. Cujacius, e vetustis exemplaribus, cum manu exaratis, tum & impressis, consulto insuper Theophilo paraphraste, & inspectis Pandectarum & Codicis legibus, tanquam fontibus, magna cura emendatissimum dederat, eamque servavit formam, qua Janus a Costa eundem representavit. Sed ne unius tamen Viri judicio nimium, contra ipsius votum voluntatemque, tribueretur, notas criticas subjecit Noster, quibus, quod in textu adhuc corruptum esset, emendaretur, glossemata ejice-

rentur, & quæ Tribonianus cum sociis adjecit aut detraxit scriptis veterum Jurisconsultorum, secernerentur. Usus est hanc in rem notis trium virorum, Contii, Charondæ & Hotomani, quorum ille quinque, iste septem, hic duos, in iisque unum, Accursio, ut videtur, priorem, libros manuscriptos diligentissime consuluerant, quorum proinde cum Cujacio consensus de veritate lectionis amplius dubitare non sinit, dissensus ab eodem indicari & expendi merebatur. Præterea vero & Theophilum Antecessorem, & Fabrii notas utriusque editionis contulit perpetuo; & quas præcipui alii Juris interpretes, locis sæpe alienis, attulerunt, emendationes vel conjecturas adjecit, ipse sententiam permultis locis professus. Post navatam hanc textui sollicitudinem curamque, hæc præcipue quatuor, quæ in titulo significantur, pertractanda sibi sumit, Juris Romani principia, rationes, progressus & meliôres Interpretes. In principiis Juris, cum verborum, tum legum, tum & æquitatis habuit rationem: & conjunxit, ubi res ferebat, juris Hebræi & Græci fontes. Ad mores autem regionum & quæ usu judiciorum nunc recepta sunt, evagari noluit, Academicum, non practicum & forensem Commentarium apparatus, ac præterea, se in elementis Jurisprudentiæ interpretandis versari, memor. Porro mentem legum & rationem, cur quæque lata sit, inquirendo, non rationibus topicis & generalibus, quæ vulgo profertur, acquievit, quin potius eas excitavit, quas & genius, & mores Romanorum, ritusque & jura antiqua, & utilitas rei publicæ, quam suggerit prudentia civilis, ostendebant; dein, quas vel ex Stoica illa Jurisconsultis familiari philosophia, vel ex ipsa æquitate naturali & regula honesti derivare convenit. Progressus Juris his addidit, ut, quid in singulis argumentis, prout res fert, Regibus primum, deinde Decemviris, placuerit, quid rursus a Principibus inductum, intermissum, vel abolitum fuerit, & quid Justinianus postremo, effecerit, breviter notaretur, ne conjunctis illis, per historiam neglectum, quæ longo inter se distant intervallo, antinomix sese objiciant incassum, multaque minus bene coherentia forte appareant. Quæ industria quanto fructuosior pulchriorque, & quanto difficilior est, peritorum judicio, tanto plus laudis habet, utique in tam concinna faciliqve brevitate: cujus

tandem studio & meliores indicavit materiæ cujusque Interpretes, qui professa opera eam prosequuntur, monstraturus avidioribus, si-
 tum ubi explere possint, tum vero ingentes, quæ in Thesauris Juris
 Civilis, in decus seculi nostri edito, latent, divitias in apricum pro-
 laturus. His intentus obsoleta & sterilia in indice, quotidiana copio-
 sius, universa pure & sermone familiari, eaque & accuratone, &
 perspicuitate tradidit, ut, licet semper ætas postera sit habitura,
 quod agat, palmam tamen occupaverit Noster, si qui posthac inte-
 gros in elementa Juris Civilis commentarios edere conabuntur.

PAULINI A S. JOSEPHO, LUCENSIS, CLE-
rici Regul. Scholar. Piarum & in Archigymnasio Romanæ
Sapientiæ publici Eloquentiæ Profess. Orationes habitæ
in eodem Archigymnasio.

Romæ, ex typographia Barnabo, 1727, 8 maj.

Alph. 1 pl. 2.

ORATIONES EÆDEM; RECENSUIT, PRÆ-
fatus est ac Programma de Causis corruptæ hoc ævo Eloquen-
tiæ Romanæ adjecit JO. ERHARDUS KAPPIUS,
Prof. Eloquentiæ in Academ. Lips. Extr. Ord.

Lipsiæ, sumptibus Sam. Benjam. Waltheri, 1728, 8.

Alphab. 1.

CUm solus fere Itatorum Celeb. Jacobus Facciolatus elegantizæ
 sermonis Latini famam sparserit per Europam; non nihil ta-
 men in eodem studiorum genere Cl. Autor inde ab anno hujus se-
 culi decimo tertio, quo Professione Eloquentiæ in Archigymnasio
 Romanæ Sapientiæ desungi cœpit, non sine successu tentavit. Et
 prostant quidem jam aliquot ejus Orationes sigillatim editæ, non
 minus materiæ dignitate, quam styli puritate commendabiles, quas
 postquam denuo bene lambivisset ac reconcinnavisset, uno tandem
 fasciculo conjunxit Autor, mox denuo nostris typis subjectas. Nos
 eas (sunt vero XI) breviter, quantum licet, commemorabimus. In
 Oratione I *de neglectu literarum humaniorum & earum corru-*
ptela, inter causas præcipuas memorat methodum doctorum
 morosam, quæ nimis diu moretur discentes, ignaviam porro doctorum &
 kri-

scriptorum lulentorum lectionem. Orat. II de patrocinio bonarum artium, ostendit, quantum illæ provehî possint, si adsint Mæcenates, nec Italæ illos deesse, & provocari a literatis facile posse, probat inter alia exemplo M. Ant. Mureti, qui a Gregorio XIII mille aureorum stipendio annuo donatus fuerit. Orat. III, ut & IX & XI, laudibus Leonis X consecratæ sunt, qui Archigymnasii Romani fundamenta jecit. Orat. IV de infelicitate illiteratorum, non diffitetur, spectatum in aula Romana virum à modum micatum fuisse, viros doctos de bonarum artium contemptu Romæ conqueri posse, cum nemo nesciat, quanto ibi in pretio ars studiumque aurigandi habeatur. Orat. V de forensi Latinitate expurganda, graviter hortatur juvenes, ut non modo veterum Jctorum, veterum & recentium, non Bartoli quidem & Balbi, seculo barbaro viventium, sed Budæi, Cujacii, Hotomanni, Brissonii & similium exempla sequantur. Orat. VI de usu & necessitate eloquentiæ in foro & bodiænis judiciis, eum dicendi arte præstantem vocat, qui bene, id est, luculenter ornateque orationem tum ad res, tum ad personas, tum etiam ad tempora satis accommodatam exhibeat. Orat. VII in optimis studiis lente festinandum, probans, docet, quantæ sint amplitudinum superiora studia, Theologia, Jurisprudentia, Medicina, tum reliquæ, productis etiam exemplis eorum, qui multos annos insumpserint suis operibus, e quibus unum producimus Jac. Sannazarium, qui suum de partu Virginis poema viginti annorum lima perpolivit. Orat. VIII de expedita discendi ratione, ardorem imprimis ac cupiditatem discendi juvenibus inculcat, Euclidis exemplum adducens, qui capitis periculum adire, quam Socratis doctrina carere maluerit. Memorat etiam polygraphos, Aristotelem 400, Galenum 640, Sev. Sulpicium 180, Theophrastum 300, Didymum Alexandrinum 4000, Origenem 6000 librorum autores; laudatque Catonem Uticensem, qui in ipsa curia, dum Senatûs cogeretur, Græcos libros lectitare consueverit. Orat. X de ingeniorum delectu ad studia literarum habendo, jubet, doctorum in eo maxime curam versari debere, ut ad præceptum Quintiliani pueri sibi erediti ingenium & naturam perscipiant; quod non omnes ad omnia sint apti, etsi non neget, industria comparari posse, quod natura neget. Hic Andream Vesalium producit, qui quantus aliquando Anatomicus futurus esset, jam puer eo significabat, quod feles omnes, canes & glires dissecavit, & jam tum exta sua ipse inspexit. Contra Periander, Medicus non infelix, cum subito Poeta fieri vellet, invita Minerva, omnibus se deridendum propinavit, quod malus Poeta quam bonus Medicus perhiberi mallet. Accessit Cl. Editoris Programma, quo sub finem A. 1727 Professionem Eloquentiæ extra ordinem apud nos auspiciatus est, de causis nempe corruptæ hoc ævo Eloquentiæ Romaniæ, quæ illi sunt 1) neglectus veterum scriptorum, 2) neglectus moris præci, legendi nempe & ediscendi, vertendi, recitandi, declamandi, eloquentiam corporis exercendi, 3) desidia juventutis, 4) negligentia parentum, & 5) inscitia præipientium. Tangit idem quædam in nova, quam præmisit, Præfatione, quæ in orationibus hisce vel veritati, vel Latiniæ linguæ puritati non satis consentanea ipsi visa suat.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXIX.

GERMANIÆ SACRÆ TOMUS I. METRO-
polis Laureacensis cum Episcopatu Pataviensi chronologice
proposita; Autore P. MARCO HANSIZIO, Soc. Je-
su. Cum Privilegio S. Cæs. Maj. & Facultate
Superiorum.

Augustæ Vindelicorum, sumptibus Georgii Schlüter &
Martini Happach, 1727, fol.

Alph. 9 pl. 19 Tabb. æn. 2, cum nonnullis Tabulis Geogr.
passim textui insertis.

JAm dudum Germania nostra Italiæ invidit Ughellum, Gal-
liisque Samaritanos, quorum sacri labores orbi literato
adeo placuerunt, ut eruditum nostrum jam dudum Germaniam
sacram cupide optarint, avideque expectarint. Horum nemo
majori flagravat cupiditate quam Jo. Bened. Gentilotus, Biblio-
thecæ Augustæ olim præfectus, Episcopus postea Tridentinus
destinatus, ac mox inde satis functus. Multis quippe & precibus
& consiliis R. P. *Marcum Hansizium* eo adduxit, ut tantæ molis
opus in se susciperet, sacrosque conscriberet Germaniæ fastos.
Difficilem operam multum juvavit locupletissima Vindobonensis
Bibliotheca, quæ Nostro, laudato Gentiloto favente, & rarissima
MSS. dedit, & rerum antiquarum eximia monumenta. Nec eo
mortuo, conatibus his defuit perillustis Jo. Bapt. de Garelli, Ar-
chiater, Consiliarius & Bibliothecarius Cæsareus. Quo factum est,
ut nunc prima operis Pars prodiret, qua Laureacensis atque Pata-
viensis sedis historia continetur. Aliam quidem propositi ratio-
nem conceperat olim *Hansizius*, Trevirensisque ecclesiæ fata,
Bb quod

quod ducem haberet Browerum, maximam partem conscripserat: quum, suasu Jo. Bapt. Sollerii, ut argumentum seligeret, de quo absolutum & plenum opus nondum extaret, consilium natum. Tali erat historia Laureacensis: nam, Bruschio & Hundio exceptis, qui tamen catalogos potius quam historiam condiderunt, operam in ea posuit nemo. Salisburgensis ecclesia longe quidem superat Laureacensem fama gloriaque, hæc vero illam antiquitate, quæ & ipsi Pataviensi dedit primordia. Quam feliciter Laureacensem ecclesiam descripserit Autor noster, paucis referre, e re nostra fore putamus. In limine operis fines & fata Norici, Vindelicæ, Pannoniæ, addita urbis Laureacensis delineatione, mappaque Geographica, exhibuit, quæ veterem historiam non modo, sed prisca etiam seculi Geographiam multum juvant. Laureacum esse M. Aurelii Antonini coloniam, vulgata fuit virorum doctorum opinio; at urbem jam tum Augusti ætate conditam, & ob fabricam Romanorum scutariam præsidisque Norici sedem insignem, ex antiquissimo monumento luculenter satis apparet. Sed, quæ de civitatis, non valent de ecclesiæ, Christo hic locorum collectæ, antiquitate. Vetustissimam esse, nemo est, qui dubitet. Nostro ipsis Apostolorum temporibus Laureacum doctrinam & præcepta christiana probasse videtur. Sed, quum prope nulla extant testimonia, & quæ extant, Symmachi ætatem haud transcendunt: quum porro concilia in Norico & Pannoniis fuerint rara, ac pleræque Episcoporum subscriptiones mutilæ; certi quid asserere nemo poterit. Sunt, qui a *Marco, Titis, & S. Luca* fundamenta hujus ecclesiæ posita jaclant, quam conjecturam nec omnem rejicere, nec defendere audeat *Hanszius*; monens præterea nec eundem honorem *Juventia* aut *Syræ* vindicari posse. Fabula est, quæ de *Lucio*, nescio quo Norici & Rhetiæ Apostolo, circumfertur, parique modo & ea repudiantur merito, quæ de patrimonio *S. Quirini* in vulgus sparsa sunt. Hinc dubia relinquentes, ad Antistites commemorandos accedimus. Quem vero primum, quem secundum tertiumve appellare fas sit, ignoravit Noster, quia primorum Episcoporum pene nulla ad posteros noticia pervenit. *Laurentium* a Petro ad urbem Laureacensium missum, invaluit opinio posterioribus seculis, quæ tamen tralatitia & vana est. Idem

de

de *Gerardo* & *Philipporum* patrimonio censendum. Certiora sunt, quæ de *S. Maximiliano* variis in monumentis leguntur, quem ab A. 257 ad A. 283 ecclesiæ Laureacensi præfuisse, & d. XV Decembris (quicquid *Hundius* & *Bruschius* de anno repugnent) martyrium expertum fuisse, constat. Reliquiæ, hinc & illinc missæ, hodie apud Patavienfes servantur, magnaquæ cerimoniam coluntur. *S. Quirinus* ut plurimum Episcopis Laureac. annumeratur, qui tamen fuit Antistes Sciscianus. Obiit autem martyrium A. 309. Sequitur *S. Florianus*, totius Norici patronus, indeque per ditiones Austriacas sanctissimo ritu celebrandus. Meliori jure hoc sibi decus plane proprium vindicare potest Laureac. ecclesia, siquidem eum præfectum non modo habuit, sed & *Dioeletiano* imperante, grave ejusdem supplicium vidit. In alluentem enim fluvium Anasum præcipitatus, exanime corpus Cracoviam delatum, ipse autem Poloniæ datus est Patronus, ignesque a teclis arcere vulgo creditus. Sub *Domno*, Episcopo Pannoniensi, crudelissimas experta est ciades Laureacensium civitas, ab A. 311 ad annum usque 314, quo respirare coepit religio. *Licinio* quippe A. 314 d. 8 Octobr. victo, tota urbs latissimum diem celebravit, variisque marmoribus, in *Constantini M.* honorem positis, memoriam tantæ hilaritatis commendavit posteris. Prospera fuisse post hæc Laureaci fata, dubium quidem non est, Episcoporum autem nomina fere perierunt. *Eutharius*, Pannoniæ Episcopus, A. 347 Sardicensi concilio interfuit: num & ecclesiam Laureacensem rexit, latet omnino. *S. Martinus* hunc excepit, Pannoniæ civis & Apostolus, cujus vitam maluit *Hanszius* ex *Sulpitio Severo* describere, quam ex *Gregorio Turonensi*, duobus fere sæculis juniore. Natus erat A. 335 castraque sequebatur invitus & a parente coactus; sui postea juris factus, A. 354 Christo nomen dedit, inque patriam reversus, matrem aliosque cives a superstitione avita liberavit. Arianorum odia expertus est frequenter, tandem Turonensium Episcopus circa A. 374 creatus, obiit placide A. 400. Interim variis fatis succubuit ecclesia Laureacensis ab A. 357 ad 363, & sub *Constantio*, Arianz fidei strenuo defensore, eandem hæresin Laureaci vixisse, verisimile est. Occiso postea *Juliano*, & factes tenente *Joviano*, per adventum principis in Noricum vera

Cap. IV.
V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

- religio videtur restituta. Sequebantur turbæ & irruptiones Hunnorum, Gothorum, Visigothorum, a quibus varia mala passum est Laureacum; deinde ab Attila, nescio quo anno, incendio deleta civitas, paruit tyranno, donec eo occiso & Hunnis ejectis, in pristinam libertatem vindicaretur. Inde de controversia agitur, inter duas ecclesias æmulas, Laureacum & Sirinium, de juris metropolitani antiquitate, quam prolixè satis *Hanszius* discussit, Laureacensibus palmam tribuens. Porro & S. *Valentini* vitam refert, ejusque hodiernum apud Patavienses cultum. S. *Severini*, Noricorum Apostolus, majorem nominis famam reportavit, cujus vitam, ab Eugippio, Severini discipulo, compositam, Bibliotheca Vindobonensis servat. Quumque hoc in monumento locorum quorundam dubiorum injiciatur mentio, e. gr. Comagenæ, Austuri, Favianæ, de quibus apud autores non convenit, docta multa congeffit *Hanszius*; e quibus notamus, eum, Favianæ nomine Vindobonam olim venisse, contra Lambecium probare. Sub regimine S. *Constantii*, Archiepiscopi assidui & florentissimi, Laureacensis ecclesia a Francis, Herolis & Saxonibus misere vexabatur. Obiit ille circa A. 489. Cui successit *Theodorus*, Archiepiscopus, quem licet plerique martyrem perhibeant, errant tamen, siquidem & illa Bojorum irruptio, urbiumque & ecclesiarum per Bojos factum excidium sabellis annumeratur. Quo mortuo A. 527, Longobardi A. 527, Avars & Slavini A. 534, Gothi A. 551 ac denique Hunni A. 568 Laureacum variis modis presserunt, & si Pagio credendum, destruxerunt. Hæc fuit causa, quam propter sedes Laureacensis, ad tempus Antistite vacua, apud Patavium oppidum constitueretur, ne ecclesia eorundem locorum funditus deleteretur. Turbidis adeo temporibus *Erchenfridus* creatus est Episcopus A. 598, sociumque muneris accepit *Philonem*, quem Romanum dicunt; quod duorum Episcoporum regimen ad mortem usque Philonis, adeoque ab A. 615 per annos 45 duravit. Fuere vero præter *Philonem* & alii Episcopi, quos Patavienses appellavit, tres, *Erchenfridus*, *Ottakerus* & *Bruno*. Unde difficillima mota est quæstio, quamnam sedem illi revera habuerint? *Hanszius* diligenter *Hundii* & *Bruschii* sententias discussit, ita, ut eas nunc refutet, nunc aliis considerandas concedat. Avars &

& Slavos Noricum vastasse ab A. 616 ad A. 649, factis variis irruptionibus, constat inter omnes: altum vero hic silentium est de rebus gestis Episcoporum, nec certi quid definiiri poterit. Philone mortuo, successisse *Brunonem*, ac utriusque Episcopatus Patavienſis & Laureacenſis præſuiſſe annos 38, affirmant Hundius, Bruſchius, Schritovinus: ſed unquam Brunonem Archiepiſcopum fuiſſe ſalutatum, negat *Hanſzius*. Rebus Francorum a Majoribus domus turbatis, Pleſtrudis, Pipini Heriſtalli conjux, a Brunone ſolicitata, Patavii Baſilicam exſtruxit, multos errores & ſuperſtiones compreſſit, plures ab idolorum cultu avocavit; donec Bruno A. 698 obiret nonagenarius, quum 60 annos Episcopatum adminiſtraſſet. Sequebatur *Theodorus II*, ſub quo eccleſia Bojorum a Gregorio in novos Episcopatus & Archiepiſcopatus diviſa eſt, quibus rebus ipſe A. 727 immortalus eſt; ſucceſſorem nactus *Vivilonem*, cujus ſub auſpiciis ſedes Laureacenſis Patavium translata legitur. Quare & P. *Hanſzius* ad hiſtoriam Episcopatus Patavienſis progreditur, urbemque deſcripta, ſeriem omnium Antiquitatum exhibet. Quam quo minus per ſingula referamus, prohibet inſtituti noſtri ratio. Hiſtoria, quam recensuimus, Laureacenſis lectores ſatis ſuperque docebit, labores *Hanſzii* doctos non modo, ſed aſſiduos quoque eſſe atque elegantes. Res Laureacenſium, ſed aſſiduos quoque eſſe atque elegantes. Res Laureacenſium, temporum injuria pene deletas, ab oblivione vindicat, chronologiam frequenter emendat, Bruſchii Hundiique rationes ſæpius ſub examen vocat & candide ſatis notat. Veritatem ſectatur, quantum ſacra, quibus addiſtus eſt, permittunt; nec diſſimulat, ſe aliquanto timidiorem fuiſſe in recensendis Episcoporum geſtis, quorum naves aperire tergiverſatur. Stilus equidem comtus ſatis eſt, ea ſi excipias, quæ hinc inde irreperunt, vitia tam hypothetarum, quam properantiſcalami. Monumentorum manu exaratorum ſeriem, quibus hoc in opere uſus eſt, præmiſit: antiquam Geographiam multis in locis emendat & illuſtrat bonique hiſtorici munere rite deſungitur.

Cap. XIX.

XX.

XXI.

SYNOPSIS TOMI SEXTI DE ACTIS SAN-
ctorum Julii, nuperrime Antverpiæ editi; collecti, digesti

*Et illustrati a JOAN. BAPT. SOLLERIO, JO-
ANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO,
PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu
Presbyteris.*

EN modo grandis de Actis Sanctorum operis Tomum pri-
mum supra trigessimum, complectentem, præter anony-
mos, Sanctorum propriis suis nominibus expressos centum &
duodeviginti, diebus non plus quatuor, quot eo volumine conti-
nentur, nempe a xxv ad xxviii; quos recepto more in classes
suas quatuor dissecimus, ut primam occupent Sancti *ex Statu
ecclesiastico*, alteram *ex Statu monastico*, tertiam *ex Statu secula-
ri*, postrema vero referantur Sanctæ quæ sunt *ex sexu femineo*, ser-
vato ubique solito regionum ordine. Ad vetus potius quam ad no-
vum foedus spectat beatissimæ Virginis Dei genetricis sanctissima
mater *Anna*, de qua proinde hic extra classem præcipua ad ipsam
spectantia capita obiter notanda censuimus. Quæ de Actis ejus,
patria & parentibus tradita accepimus, non satis exacta & sincera
esse facile conceditur: acrior concertatio pro ejus monogamia &
filia unigenita, quam sententiam vindicandam suscepimus. De-
monstratur antiquus ejus in Oriente cultus, qui paulo serius ad
nos pervenerit, prodigiosa templi ædificatione in Hispania auctus,
inde fortasse ad alias regiones propagatus, innumeris, certe stupen-
disque miraculis quaquaversum diffusus. Horum quæ postremo
seculo in Britannia Armorica contigerunt, tam authenticis nitun-
tur probatisque testimoniis, ut vel incredulum quemque & pervi-
cacem convincere necesse sit. De superstitionibus ejus reliquiis an-
ceps inter varias ecclesias disceptatio: paradoxon vero de corpo-
rali ejusdem resurrectione.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primus in hac classe absque controversia *Jacobus*, a synony-
mis *Majoris* cognomento distinctus primus inter Apostolos mar-
tyr, primus Hispanicæ ecclesiæ fundator, gentisque istius gloria;
Compostellam ex martyrii loco, hic abunde explicato, delatus, ubi
peregrinationibus ex toto orbe Christiano, certe ex omni Europa,
miraculisque & ibi & alibi ingenti numero patratis longe celeberrimus,

rimus, pluribus disquisitionibus ansam præbuit, quæ hic ex ordine eruderantur, ea vero præcipua, qua Hispanis, toties a se adversus Mauros propugnatis, probabilius asseritur. De *Erasto*, Pauli discipulo, alia Græci tradunt, alia Latini: quæ de eo gentium Doctor scribit, & virum honoratum & urbis Corinthi, non ecclesiæ Hierosolymitanæ, œconomum fuisse demonstrant; tum vero Philippensem potius quam Pancadis, ex pseudo-Dorotheo, Episcopum.

De *Victoris* PP. I & M. die natali, ætate, gestis ac scriptis impleta multa: in extirpandis istius temporis hæresibus acer ostenditur, nec minus constans æquusque in asserenda adversus Polycratem aliosque Asiaticos Episcopos Romanæ Paschatis celebratione. Neque *Victori* cedit illustris Papa *Innocentius*, item *Icujus* eximie virtutes & doctrina a calumniis hic vindicatæ sunt: distincta tempora, ejusque etiam præclarissima gesta ac scripta: laudata constantia & fortitudo in Romanis calamitatibus, in tuenda *Chrysostomi* causa, in refræmandis hæreticis, demum in autoritate Apostolica strenue confirmanda. His accedit, non tam celebritate cultus quam rebus præclare gestis *Laurentius* Mediolanensis Episc. ab *Ennodio* ita laudatus, ut inde toleratæ a barbaris æruinæ, restaurata civitas, gesta in causa *Symmachi* PP. ornata templa aliaque potissimum eruenda fuerint. De *Ecclesio* Præfule Ravennate pauca expendi potuere, quod Acta non supersint, nec cultus vetustissimus sit. *Vigilienses* in Apulia MM. *Maurus* Episc. *Pantalæxon* & *Sergius* notiores sunt inventionibus, translationibus secutisque exinde miraculis, quam rebus gestis, quæ ex eorum officio examinantur.

Gallicanos Antislites binos suggerunt *Trecæ* *Ursus* & *Camelianum*, illum solo nomine & cultu notum, hunc cum aliquo *Himerio* perperam confusum: binos item Antislidorum, de quorum priore *Ætherio* ignota historia; at celebris est in Martyrologiis cultus. Contra vero de alterius, *Geranii*, cultu dubitatum est; vita edita hic illustratur. Non multo celebrior est *Phronimus* inter Metenses Episcopos numerandas. Neque de *Desiderio* Bisontino præter breve elogium & exaltationis relationem quidquam superest. *Galactoris* Episcopi Lascurrensis & martyris memoria de.

decessoris *Juliani* nomen suscitavit. *Auspicius* Tullensis, a synonymo Trevirensi distinctus, ex istius ecclesie tabulis educitur, ad Theodosii tempora male a Baronio retractus. Illustres laudatores insignibus suis meritis nactus est *Magnericus* Trevirensis, multorum Sanctorum seculo dignissimus, locorumque sacerorum conditor, quæ inter S. Martini cœnobium vicissitudines passum est. Gesta ejus varia, quæque ad obitum, sepulturam & alia spectant, explanantur ac digeruntur. *Joannis Agni* singularis memoria, quod miraculo sicci baculi florentis ad cathedram Trajectensem evehctus sit. *Jorius* aliquis Episc. an Macarii Antiocheni frater, certo Bethuniæ in Belgio colitur. Virum magnum *Samsonem* produxit Britannia, suscepit Arimorica, utrobique magnis prodigiis celebratissimum; verum nec Anglicanæ ullius ecclesie, nec Gallicæ Episcopum, nec 120 annorum senem: de quo id singulare notaveris, quod, quemadmodum vivum variæ ecclesie Antislitem sibi vindicant, sic hodieum de sacri ejus corporis possessione decertent. *Hermolans* presbyter cum S. Pantaleone celebratur, *Pastor* Romæ, *Peregrinus* Lugduni in Galia.

EX STATU MONASTICO.

In hac classe primas teneat *Pastor* Abbas, doctis suis apophthegmatis quam vitæ serie, inter veteres Patres nominatior; de quo id dictu mirandum, quod nec matri videndum se præbere voluerit, nec judici, apud quem sororis filius de capite periclitabatur. Adde huic *Simeonem Stylitam* tertium, qui utrum a Fulminato distinguendus sit, an idem cum Simeone in Martyrologiis notato, disquiritur. Ex Oriente in Italiam seculo X progressus est mirabilis alter *Simeon* monachus, ab Arsenio Hierosolymitano Patriarcha commendatus, in monasterio de Padolirona singulari cultu celebris, cujus perpetuæ peregrinationes, prodigia, prophetiæ virtutesque aliæ fideliter describuntur. Diu laborandum fuit, priusquam ea quæ de duobus Eremitis Ordinis S. Augustini *Evangelista* & *Peregrino*, apud Veronenses honoratis, postulata sunt, impetrari potuerint, atque una explorari, quo pacto Evangelista ab Albertino sive Alberto, item Veronensi distingueretur. De vita recentius scripta fertur judicium. De *Ebrulsi* Abbatis S. Fusciani, Bellovacum translati, ætate adversus Coitium disputatur: dantur autem

ratem vita ejus & miracula. Haud paulo nobiliores reddidit S. Gregorius Tyrō in vitis Patrum *Ursum & Leobatum*, licet in antiquioribus Fastis parum notos, de quorum patria & instituto adversus Tamayi nugas solidius agitur, deque sacris eorum reliquiis. *Bersöldus* Abbas Garstensis in superiore Austria, locum suum hic meritis, eximia potius sanctitate quam longe quæsitæ genealogia resplendet: Vita ejus & miracula accuratè descripta & elucidata sunt. *Theodemirus*, non abbas sed monachus, a S. Eulogio satis laudatus est, dum gloriosum ejus Cordubæ, sub persecutiōne Arabica, martyrium nos docuit.

EX STATU SECULARI.

Aciem instruunt *septem Dormientes*, quorum tres classes reperire miraberis. Sufficiebat Ephesina, tam variis nominibus expressa, quam apud Latinos æque ac Græcos, aliasque Christianas gentes recepta est, nec ipsi Alcorano ignota. Quæ hic discutienda occurrerint, facile intelligis. Alia suppeditavit stupendus *M. Pantalæon*, tanta in veneratione, cum in Oriente tum in Occidente semper habitus, tot dicatis ipsi templis honoratus, tot miraculosis divæ reliquiis, in omnem prope orbis partem translatis, ut si ad eundem omnes Sanctum referantur, insolito prodigio multiplicatas esse oporteat. Aliam controversiarum materiam præbet *Christophorus*, virtutibus, martyrio, miraculis, cultum quam statura grandior: hæc explicatur, convellunturque hæreticorum contra Sancti existentiam blasphemiarum. Non adeo exuberant quæ de *Eustathio* M. Ancyrano in Galatia, de *Acatio* Mileti in Caria, & de *Ignatio Scironita* apud Græcos potissimum commemorantur, Ingens rerum silva *Nazarii & Celsi*, patria, ætas, conversio, baptismus, peregrinationes, martyrium, inventiones, translationes, miranda omnia; & quæ ad idem Sanctorum par non videntur posse referri, ut laborandum fuerit, ad homines, loca & tempora apte distinguenda. *Felix* aliquis Nolanus cum Nicomediensibus feminis MM. perperam conjunctus est. *Hyacinthi* M. in Porto Romano, *Florentii* & alterius *Felicitis* in Vestinis illustrata memoria. *Nevolonus* Faventis, *Raymundus Palmarius* Placentis mirabili conversione, tum sanctitate atque in proximos caritate excelluerunt. *Benignus & Charus* prope Verosam, *Ghiscenis* in

territorio Britanno latendo gloriam consecuti sunt: *Cucufas* roni
Christophori socius, ut ineptum vulgus somniat, sed Barcinonen-
sis martyr & rebus gestis & veteri cultu inclutus est, de cujus sacris
exuviis cum Hispanis Galli pridem certavere. Pietatem spirant
Acta Georgii, Aurelii aliorumque MM. Cordubensium. *Gothal-
mür* Mellicæ in Austria; *Hugo* puer, Judaici furoris victima, Lin-
colnæ in Anglia; *Botvidus* in Suecia M. veris suis encomiis or-
nati sunt.

EX SEXU FEMINEO.

Illustrissimæ virgines *Thea* & *Valentina*, socium in marty-
rio *Paulum* nactæ, ab Eusebio celebrantur, hic variis præterea elo-
giis honoratæ. *Irene* item virgo egregiis virtutibus prædita, pro-
phetiæ dono multisque dotibus insignita, C. Poli in Chrysobalantio
hegumena confenuit, honorificis aliis characteribus depicta, qui
in Actis, hic Græco-Latine exhibitis, mirifice describuntur. Flo-
ruere ibidem *Anthusa* & *Oraxela*: *Hierusalem* vero ut martyr
in Fastis Græcis memoratur. *Glodesindis* virginis natalis in Abba-
tia a se Metis fundata antiquissimus est, jam inde in primaria ec-
clesia a seculo IX celebratus, erecto ei postmodum rovo & am-
pliori templo. *Christianam* V. Tenebræmondæ in Belgio solennit
festivitate recoli, constat; quæ vero de origine gestisque circum-
feruntur, admirationem excitant potius quam fidem: nec de *Ju-
liana* & *Sempronia* VV. MM. præter cultum quidquam invenies,
nisi ad Tamayum recurreris.

Atque hi præcipui Sancti sunt, de quibus in hoc Tomo agitur;
reliqua docebunt soliti indices: ornatur autem Præliminari Tra-
ctata de Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozara-
bica, Toletana, Mixta, historico-chronologice deducto, Autore
Joanne Pinio.

HISTOIRE DE LA REFORMATION DE

la Suisse &c.

i. e.

**HISTORIA REFORMATIONIS HELVETI-
cæ, in qua conspiciuntur memorabilia Ecclesiæ XIII Pago-
rum**

rum & Statuum fœderatorum reliquorum, quibus Corpus Helveticum componitur, inde ab A. 1516 ad A. 1556; Autore ABRAHAMO RUGHAT.

TOMUS I, II, III & IV.

Genevæ, apud Marc. Mich. Bosquet & Soc. Tom. I & II, 1727,

Tom. III & IV 1728, 12 maj.

Alph. 4 pl. 2.

AUctorem hunc jam ante hos 20 annos edidisse compendium historię Ecclesiasticę regionis Vaudi (*Pays de Vaud*) ipsemet in præfamine Tom. I p. 17 testis est; & circa idem tempus eundem vulgasse Grammaticam Hebręam novain, aliunde novimus. Nunc illum V. D. Ministrum & Professore humaniorum literarum in Academia Lausannensi agere, ipse hujus, quem recensemus, libri titulus præfert. Se jam 20 annos in historia patrię suę universali condenda desudasse, & in hunc finem multa undique exquisivisse ac collegisse monumenta, idem ipse in præfamine perhibet, ubi & tradit, se consilium hoc suum paululum immutasse, atque secrevisse præsentem historię particulam ab apparatu suo reliquo, ut eam luci exponeret, siquidem integrum opus ad umbilicum perducere sibi haut licuerit.

Hoc igitur, quod sibi seorsim sumsit, argumentum 5 vel 6 hujusmodi Tomis se absoluturum Autori spes fuit: licet editi hucusque 4 Tomi nobis majorem eorum numerum polliceri videntur. Videbimus jam de his, ac de reliquis suo tempore.

Tomus I post præfationem, in qua Autor subsidiorum sibi adhibitorum, eorumque tum editorum tum ineditorum, rationem potissimum reddit, præterea in limine exhibet Dissertationem peculiarem de necessitate Reformationis, quam ex statu rerum sacrarum apud Helvetos etiam tum temporis admodum corrupto proluxe Autor demonstrat. Hinc Lib. I ipsam historię suę seclam exorsus, exponit initia emendationis sacrorum ab A. 1516 ad A. 1522; in quibus primas omnino apud Helvetos tribuit Ulrico Zuinglio, jungitque parastatas Leon. Judam, Wolffg. Fabric. Capitonem, Jo. Oscolampadium, aliosque. Indulgentiarum a mundi-

nationem A. 1518 a Bernardino Samsonio in Helvetiam in vehi coepit graphice depingit, ubi tamen, jam prius his bellum a Lutero Wittebergæ indictum, agnoscit Autor §. V p. 39. Lib. II res in hac causa gestæ ab A. 1523 ad 1525 describuntur, traditurque, in hujus periodi termino negotium reformationis apud Tigurinos absolutum atque perfectum, quod Zwinglio atque causæ sociis variis publice exantlatis disputationibus consistit; quas inter & illa, de qua Zwinglius ipse tradidit, se de sensu verborum institutionis S. Coenæ: *hoc est corpus meum*, a monitore, qui ater an albus fuerit, haut reminiscatur, edoctum esse, p. 303. Paulo ante hæc etiam Anabaptismi apud Helvetos detexerat origines, p. 279 sqq. Lib. III, qui ultimus hujus Tomi est, negotii progressum ab A. 1525 ad 1527, deducit, quo tempore exortum inter Saxonicos & Helvetos in Articulo de S. Coena dissensum e Sculteto atque Hottingero recenset Noster p. 345 sqq. Ad calcem denique hujus Tomi documenta (*pieces justificatives*) aliquot subjiciuntur, quibus dictis quibusdam suis Autor fidem facere voluit: quæ tamen cum haut adeo magni momenti nobis videantur, præterire licebit.

Tomus II, qui dedicatione ad Ordines Pagi Bernensis instructus est, Lib. IV incipit, exponiturque toto hoc libro disputatio 1528 ineunte anno Bernæ instituta ac per integros XIX dies continuata, ubi p. 27 sqq. proferuntur Theses X a Zwinglio & assentibus propositæ, quas impugnandas sibi sumserunt, qui a partibus Pontificiorum adhuc stabant. Lib. V ea proferuntur, quæ præter illum conflictum Bernensem, A. 1528. alibi etiam locorum apud Helvetos contigerunt. Lib. VI gesta A. 1529 exponit, quæ inter vel præcipuum momentum trahunt acta colloquii Marpurgensis, aliunde notissimi, de quo quicquid Autor tradit, fere unice ad Sculteti fidem redit, p. 459 sqq. Inter documenta, huic Tomo adjecta, eminet, quod ultimo loco n. VI occurrit, & pacificationem religiosam inter Pagos Helvetiæ d. XXVI Jun. 1529 prima vice conclusam, ex authentico exemplo ab Autore descriptam & gallice versam exhibet.

Tomus III duos tantum libros complectitur. Libro VII sub initio divisio Helvetiæ in Allemannicam & Romandicam (*Allemande*

mân de G. Romande) insinuat: illam quidem quæ Germaniæ vicina, hæc vero, quæ ad Galliæ Italiæque fines sita sit, quam in negotio reformationis urgendo illi longe postponit Autor, ac deinde ad memorabilia A. 1530 progreditur, paucisque tangit historiam comitiarum Auguſtanorum, magis sollicitus de rebus suis domesticis, quæ variæ ambigæque jam hoc tempore fuerunt, magis turbatæ anno sequente 1531, de quibus Lib. VIII præcipitur, pluribusque describitur bellum illud civile, in quo ipse Zwinglius succubuit, ac Oecolampadius non multo post satis concessit, quorum renovatas hic ab Autore apologias legimus. Huic Tomo adjecta documenta tantum duo sunt, quæ nihil peculiare habent.

Tomus IV duobus itidem Libris constans; Lib. IX ea repetit, quæ ex gestis A. 1531 in parte Helvetiæ Romandicæ adhuc restabant. Lib. X autem primum traduntur acta Synodi Bernensis A. 1532 celebratæ, quibus subjiciuntur, quæ hoc & sequentibus annis usque 1534 contigerunt digna memoratu Autori visa. Ad calcem hujus Tomi documentorum loco comparent integra Acta, vel potius decreta Synodi illius Bernensis, cujus modo historia data erat.

Hucusque Autoris labor progressus est, cujus majorem partem, siquidem ad metam propositam, annumque 1556 illum perducturus est, restare adhuc intelligimus. Quin gratissimam labore hoc suo popularibus potissimum suis Autor præstet operam, ut lingua nunc etiam Gallica legere possint conversionem rerum Ecclesiasticarum adeo memorabilem, nulli equidem dubitamus; alloqui & multa jam a scriptoribus, qui idem argumentum antea tractarunt, in hanc rem esse allata diffiteri nolumus, quod nec ipse diffitebitur Autor, qui illorum rivis arva sua rigavit. In certamine causæ sacramentariæ parum novi ab Autore allatum est, quod lectoribus exteris salivam movere posset, quin potius e fontibus Seckendorffianis ac Lœscherianis, Autori vel parum vel plane non degustatis, nos præfidiis multo firmiteribus gaudere persuasum habemus.

ARNOLDI ROTGERSII, J. C. ET ANTECESSORIS
Apod. Etice Demonstrationes ad illustrandum Jus Ro-

*manum. Volumen Primum. Cujus Liber Primus exhibet
Commentarium ad successionem legitimam, secundum dispo-
sitionem Novellæ 118, secundus tres diatribas
continet.*

Lugduni Batav. apud Theodorum Haak, 1727. 4.

Alph. 5 pl. 10.

A Nimadversionum ad jus Quiritium illustrandum tria se fe-
cisse Voluina, ait Vir Clarissimus, eaque orsum a castiga-
tione interpretatione trium Novellarum, ac veri sensus indaga-
tione. Alteram enim passim male acceptam, alteram nondum,
ut oportuerat, expeditam, hanc vero presentem *118c. 1, 2, 3*, ne
intellectam quidem fuisse. Post præliminaria igitur Capitulis I, II,
III, recte observat *Cap. IV. §. 2*, Valentianum Forsterum circa tem-
pus promulgatae hujus Constitutionis arripuisse annum sextum
Indictionis XVI, Christi 528, pro anno sexto Indictionis XVI, qui
est annus Christi 543, Imperii Justiniani 17, vel Christi 544, Impe-
rii 18, qui verus demum est index Legis hujus conditæ. Diverfos
nunc modos succedendi in hereditate ab intestato recenset Noster.
Cap. V. Aut enim unus succedit, aut plures. Si unus, necesse est,
ut reliquos, quibus præfertur, excludat vel ratione ordinis, vel jure
proximitatis graduum, §. 5. Si plures simul, tunc succedunt vel
in capita, vel in stirpes, vel in lineas, vel in alias certas ac legiti-
mas partes, in nonnullis casibus a Lege speciatim designatas. §. 7
& 10. Jam ad textum Novellæ. In hac successio cognationum ab
intestato tribus cognoscitur ordinibus, descendantium, ascen-
dentium, collateralium: ibique tribus absolvitur Novellæ capituli-
bus. De prima parte ordinis primi agit Noster *Cap. VI.* Atque de
Descendentibus ait §. 5, eos, etiam si in gradu remotiori defuncto
conjuncti fuerint, præferri ipsi ejus patri, (quamvis hic eum gra-
du primo contingat;) jure scilicet ordinis descendantium. Quo-
ties enim prælatio sit ratione ordinis, graduum proximitas, et si
tacite subaudiatur, non attenditur. Neque id fieri auxilio juris re-
præsentationis. Loqui enim Imperatorem de uno descendente,
*in his verbis, si quis descendantium intestato morientis supersue-
rit, cujuscunque gradus.* In unius autem succedentis persona
non

non posse consistere jus representationis Jure Romano, sed semper ad illam requiri successionem in stirpes, ut ejus deinde occasione locum habeat. Respectu enim unius successoris, successio in stirpes, minimum duas, ne mente quidem concipi potest: sicut nec in capita, nec in lineas. Et notatur hic §. 6. Versio Latina Clarissimi JC. Jo. Frid. Hömbergii, *si descendentes habeat is, qui in testatus moritur, cujuscunque gradus.* Textum enim Græcum non esse conceptum numero pluralivo, §. 7. & jus representationis speciem esse vel maxime legum mercè civilium: in quibus non fit fingenda ratio aliqua naturalis, aut æquitatis, sed ideo jus est, quia hoc jussit summus imperans. Patriam etiam potestatem, & jus acquirendi, quod illa involvit, non attendi. Hic ab initio factis prudenter locutum Justinianum, §. 15 ait Noster. Deinceps vero addere: *jubemus filios parentibus defuncti præponi, quorum filius familiaris fuerit, ὡς ὕπερθεοὶ ἐν τῷ τελευταίῳ.* Sane in plurimum patria potestate unus idemque simul non fuit constitutus. Sed quia diversi possint esse nominis, ac gradus parentes, & alicujus ex illis potestati subjectus esse potuerit defunctus, vel patris vel avi paterni, pluralem numerum omnes illos simul complecti. Injicitur §. 16 alius scrupulus, quod usumfructum parentibus servet Imperator h. l. tantum secundum suas leges debitum, non igitur in bonis maternis, ex Constantini M. Lege 1 C. de bonis matern. & mat. gen. competentem. Respondet Noster §. 22, Constantinum loqui nominatim de emancipatione, non autem de usufructu morte filii amittendo. Per suas ergo leges intelligi & hanc Constantini, quam, ut alia omnia, suam fecit. Perperam omisisse hoc Tribonianum, §. 23, ceu plurima alia, eaque necessaria amputaverit. Eundem usumfructum refervari in L. 3 C. de bonis quæ liberis, & L. 10 C. Theod. de bonis maternis. Neque omisit id Jac. Gothofredus ad L. 1 C. Theod. de bonis quæ liberis, n. 2: eorum enim usumfructum nihilominus ad patrem pertinere definit. Similiter τὸ κατὰ νόδον, Basilic. Libr. 45. Tit. 4 cap. 7 lit. ε. τὸ ὑπερθεοὶ καὶ ἐν τῶν τοῖς θεμασι τῷ πάππῳ φυλαττομένῳ. Recte etiam observat Noster §. 33 seqq. in L. 3 C. de bonis matern. non invenisse Wissenbachium exceptionem a regula. Loquitur enim illa non de ascen-

dentibus, sed de uxore mortua, & illius viro. Vir autem non est ascendens uxoris suæ. Et pater quidem est ascendens filio suo, qui matri suæ succedit, sed non est ascendens intuitu in uxoris, de cuius bonis quaeritur. §. 34. Concludit §. 43: *Hæc nescio utrum quisquam tam diligenter, tamque perspicue.* Altera pars ordinis exponitur Cap. VII §. 4, & τὸ μὲν γόρυε, ita tamen, ut si quis descendentiū moriatur, illius filii filiarumque vel nepotes in parentis sui locum succedant; quam successionem in stirpes vocavit antiquitas. Hæc pars hujus Novellæ ab omnibus, inquit Noster §. 4, male fuit hætenus accepta, ut nemo unus verum illius sensum viderit. Existimant enim, ultima verba unice referri ad hos nepotes, ac nullo modo ad filios; cum quibus succedunt nepotes, ex aliis filiis ante mortuū nati. Nam filios dici succedere in capita: quia seorsim singuli succedunt, & neminem referunt. Nepotes autem succedere in stirpes; quia referuntur ad ortum suum, sicut fami ad suum truncum vel stirpem: & succedere non defuncto, sed patri suo, jure repræsentationis; quod cum successione in stirpes illis unum idemque est. Dicunt igitur, nepotes, etiam unicum, succedere in stirpes, filium vero, etiam unicum, in capita: quia filii semper in capita; nepotes semper in stirpes succedant. Alio autem, inquit Noster, loquitur Justinianus: *Filiorum defuncti ipsi etiam parentibus illorum præferri jubemur: ita tamen ut si quem ex iis filiis mori contingat relictiis descendentiis, hi in parentis sui proprii locum, eis τὸν τὸ ἴδιον γόρυε τὸ γόρυε, succedant, §. 31.* Ulpianus Tit. 26 §. 2, Gajus Lib. 2 T. 8 §. 2, Collatio LL. Mos. & Rom. T. 16 §. 2, §. 6 & 16 J. de heredit. qua ab int. Hinc axiomata ponit Juris Quiritium duo, quæ non fallant: nunquam obtinere jus repræsentationis, nisi ubi locum habet successio in stirpes, & per hanc nunquam excludi alterum. §. 29. Ad minimum enim necessarias ad istam esse duas stirpes. Stirps autem æque ad filios primi, ac ad nepotes secundi gradus, adeoque simul refertur. §. 32, 33, 35. L. 2 C. de suis & legit. hered. Antiquitas ergo hanc demum successionem vocavit in stirpes, si descendentes superflites concurrant cum præmortui filiiis. Sequuntur hinc porro hæc tria axiomata. I. Fieri non potest, ut succedente uno solo, dividatur heredi-

tas in capita. II Fieri non potest successio in stirpes, nisi concurrant stirpes plures una. III Fieri non potest successio in lineas, nisi concurrant lineæ plures una. §. 49, 50. Finge igitur, filium defuncti excludere patrem ejusdem, eique præponi, dicendum est, excludere illum & præponi jure Ordinis. Pater enim est ascendens, filius descendens. Finge, nepotem e filio præmortuo præponi patri defuncti, iterum id fiet, quia nepos est in ordine descendenti: non autem jure repræsentationis, neque per successionem in stirpes. §. 70. Potest tamen evenire, ut unus idemque in successione in stirpes, duas constituat stirpes, si cum illius stirpe concurrat stirps alia vel plures, puta in successione pronepotum ac deinceps ceterorum descendendum. Format hic casum Noster pulchre ex *L. 3 ff. de rit. nupt. §. 78.* Et contra, nunquam aliquis jure repræsentationis nanciscitur universam hereditatem, sed quoties plures eundem repræsentant parentem, tunc vocatur quisque in partem repræsentatam, Jure Romano. §. 82. *L. 1 ff. de suis & legit. hered.* Origo juris repræsentationis in descendibus est ipsum jus naturæ; habent enim participium in bonis parentum adhuc viventium. In ascendibus & collateralibus, si id datum iis sit, ortum habet ex jure mere civili. §. 83. Ita datum est fratribus filiis per Novellam hanc. *c. 3 vers. Si autem. §. 84.* Dixerat Autor *Cl. L. 5 §. 19,* succedi posse etiam in alias ac legitimas partes in nonnullis casibus a lege speciatim designatas. Tangit illas *Capite nunc VIII,* & miratur, Interpretes Juris Romani hunc modum ab intestato succedendi, quum casus illos, in quibus sibi locum vindicat, penitus ignorare non possent, præterminasse. Duobus autem Noster tantum argumentis & exemplis uti voluit ad probandam hanc speciem successivæ. Alterum locum, ex pluribus antiqui juris documentis delectum, sumit ex Justiniani *L. 7 C. ad SC. Tertull.* ideo maxime, quod ibi hæc hereditatis divisio nominatim discernatur a successione in capita, & simul doceatur idem, quod Autor asserit. Recte hanc legem retulit Autor ad jus antiquum; nam & textus ipse ad veterum legum tenorem provocat. Scripta est autem altero statim anno Imperii Justiniani, diu ante Novellam nostram; qua priores leges suas, de hac causa successivæ ab intestato latas, iterum cessare jussit. Extat tamen adhuc §. 3 l. d. Tit.

Alterum exhibet *Novella 89 c. 12 §. 4*, ubi successio in capita similiter excluditur. Ordo secundus, *Ascendentium*, exponitur *Capite IX*. Excludunt hi cognatos collaterales: & ascendens proximior excludit ascendentem remotiorem. Non habent autem ascendentes jus representandi descendentes suos, neque in ascendentibus obtinet successio in stirpes; quia parentes non sunt stirps a liberis propagata, sicut ipsi sunt stirps suarum prolium. Succedunt itaque, si paterni & materni concurrant, in lineas. Hic vero nimis compendiosus fuisse Nostro videtur Legislator. Si enim plures adsint ascendentes, lineæ paternæ tantum, tertii tamen aut ulterioris gradus, v. g. avi paterni pater solus, & aviæ paternæ pater & mater simul, querit, an & hic hereditas sit partienda in duas dimidias, an vero succedant in capita? posterius placuit Nostro, §. 14, nisi quod hic proximus dicebatur excludere remotiorem §. 7, tam in linea sua, quam in diversa. Pergit is *Capite X* persequi reliquos Ordinis secundi. Dictum fuerat de ascendentibus solis inter se concurrentibus. Si ergo cum ascendentibus proximioribus concurrant fratres utrinque conjuncti, vel sorores succedent cum ascendentibus proximioribus, exclusis fratribus & sororibus unilateraliter tantum conjunctis, & ascendentibus remotioribus. Atque hæc juxta legem mere civilem. Jus naturæ enim nec ascendentibus nec fratribus addicit bona defuncti. §. 5. De jure representationis notandum hic, quod filii, quorum pater defuncto fuit utrinque conjunctus, eo jure succedant in patris locum, atque ideo concurrant cum reliquis ascendentibus. Non idem disponitur in hac *Novella XIX*, de præmortuorum fratrum aut sororum filiis, licet utrinque conjunctis. Corrigitur tamen hoc in *Novella CXXVII*. Formantur hic iterum aliquot casus §. 24, 25 *seqq.* Sed insignis imprimis controversia excutitur §. 32 *seqq.* quæ per tot ætatum & seculorum seriem agitata, nunc tamen sub judice adhuc sit: An tres fratres germani ex hac *Novella 118* veniant ad successionem defuncti fratris cum illius avo paterno & materno, vel etiam ejusmodi aviis, eo modo, sicut veniunt cum defuncti ascendentibus primi gradus, patre & matre, ceu diximus? An vero tres illi fratres germani excludant eos ascendentes secundi & remotioris gradus penitus? Negat hic Noster posterius & asserit prius,

prius, eos simul succedere, §. 33, in capita scilicet, §. 54, 59, 60. Aliquaui tamen iniquitatem ac inconvenientiam imputat Imperatori, si frater germanus veniret cum octo abavis, & sic partem tantum nonam haberet, §. 64, excusari autem, quod rarissimus sit ille casus: §. 66, 67, 68. Superest Tertius Ordo, *Collateralium*. Ubi iterum *Capite XI* peccasse aliquid per brevitatem suam perhibetur Imperator, & obscuritatis putatur reus; quamvis deinde multis verborum ambagibus iterum luxurians. Longe magis impingere hic existimantur Interpretes. Dispescit Noster §. 5 tertium hunc Ordinem rursus in tres ordines. Si enim neque descendentes neque ascendentes adsint, vocantur I fratres germani & sorores, filijque. II Si hi defint, vocantur fratres unilaterales, eorumque filii. Ac III demum proximus quisque collateralium reliquorum, qui excludit remotiorem. Capite hoc *XI* membra textus distinguatur, quia prolixiora sunt, in versiculos. De fratribus & sororibus bilateraliter conjunctis defuncto, ait *versiculus primus*, eos succedere cum ascendentibus, ceu dictum. In secundo ordine, his non extantibus, sequuntur fratres & sorores, unilaterales tantum, *versic. 2*. In *versic. 3* loquitur Imperator de ordine primo & secundo: Quodsi defunctus fratres habeat, & alterius prædefuncti fratris aut sororis filios, hos cum diis paternis & maternis ad hereditatem vocari, & repræsentare patrem suum. In *versic. 4* loquitur de primo ordine tantum: *Unde consequens est*, filios primi ordinis, quorum pater defuncto fuit utrinque conjunctus, excludere fratres superstites secundi ordinis, quorum pater non erat defuncto utrinque conjunctus: sicut pater filiorum istorum primi ordinis fuisset prælatus eisdem, si adhuc vixisset. *Versic. 5* tantum invertitur casus: *Et e contrario* filii secundi ordinis, quorum pater non fuit utrinque conjunctus, iterum excluduntur per superstitem adhuc, etiam unicum fratrem defuncti bilateralem. Accurate hic procedit Noster, dum ait: germani fratris filii excludunt fratrem defuncti unilateralem, *jure ordinis*: Et contra, filii fratris unilateralis excluduntur a superlitem fratre bilaterali, iterum *jure ordinis*, non jure repræsentationis. Alias sequeretur, per ipsum jus repræsentationis eos excludi; quod repugnat. §. 14, 15. Habent tamen filii unilaterales

les adhuc jus repræsentandi patrem suum unilateralem, & excludendi adeo omnes collaterales tertii ordinis. Sequuntur §. 17, 29, 36, tres restrictiones. Nam *versic. 6* restringitur illud jus, quod *versic. 3* datur ordini primo & secundo, ad filios & filias, i. e. liberos primi gradus. *Versic. 7* restringitur hoc ad casum, si existant adhuc in ordine hoc primo & secundo fratres defuncti, qui vocantur ipsorum proprii divini, *μετὰ τῶν ἰδίων θείων*; non autem id extenditur *versic. 8* ad casum, si adhuc extent *ascendentes* defuncti, qui plane excludunt unilaterales, & admittunt tantum germanos, exclusis tamen iterum horum filiis, etiam utrinque conjunctis. Passim hic recitat Noster etiam textum Novellæ nostræ Græcum rectissime; etiam ubi ab eo Latinus parum abire videtur. At vero nimium quantum recedit hic ipse textus Græcus *versic. 9* a primorum verborum norma, quam in præfatione ita posuit Justinianus, c. 4, §. 18 p. 166: Πᾶσα ἡ διαδοχὴ τῶν πρῶτων τῶν τῶν, *omnis hæc successio tribus Ordinibus intelligitur*. Nam hi sunt illi *tres primi ordines*, qui varios agnoscunt βαθμῶς, gradus. Sic enim in hoc, ἐπὶ ταύτης τῆς τάξεως, in hoc ordine non spectamus βαθμῶν. Iterum: reliquum est, ut Ἔ τῆν τρίτην τάξιν, *tertium ordinem definiamus*. In *versic. 9* autem cum scribendum esset, μετὰ τῶν ἐν πρώτης καὶ δευτέρας τάξεως, cum iis, qui in primo & secundo ordine sunt, in Græcum irrepsit μετὰ τῶν ἐν πρώτης καὶ δευτέρας βαθμῶν, cum iis, qui in primo & secundo gradu sunt. Ita Scrimgerus, Haloander, Contius & Basilica etiam. Hic ergo primus detexit Noster, non vidisse hos omnes, *tertium*, qui Collateralium est, ordinem ab Imperatore subdividi in tres iterum ordines, atque hos similiter appellari τάξιν, *versic. 2 & 6* ter adeo. Multoque minus viderunt, *versic. 9* respicere ad ordinem illorum primum & secundum, sed sermonem esse putarunt de tribus gradibus, primo, secundo, tertio, & hos omnes βαθμῶς appellari: cum tamen sensus postulet, & filii fratrum, quamvis absint tertio gradu a defuncto, soli referuntur ad primum & secundum collateralium ordinem, qui alias erant tertii demum illius ordinis subdivisi, §. 3, 40, 41, 46, 50, 51, 55. Et sic tertius demum ordo primorum trium, qui in Præfatione d. l. ponuntur, claudit agmen suum. Si enim defunctus neque fra-

tres,

très, vel germanos, (primi ordinis) vel unilaterales, (secundi ordinis) neque etiam fratrum, (utriusque iterum ordinis) filios, quos ad primum & secundum horum ordinem referri diximus, reliquerit, omnes deinceps collaterales ad hereditatem vocamus, secundum gradus. Verbo monendum, ad C. XII §. 13, *heredes* exponi a Simplicio ad Epicteti caput non § sed 37. Et Novellam 127 c. 1 rectius suo loco relinqui, ac interim retineri in hac Nov. 118, quæ *versic. 8* de ascendentibus dicuntur, mox tamen ibi emendantur. Illustrantur autem plurima C. XII & XIII adhuc fusius, atque ex superioribus repetuntur.

Liber secundus Diatriba prima egregie exponit §. 2 *I. de usufructu*, ac *Capite I* ostendit, quod vestimenta, sive scenica sive quotidiana, natura sua non sint res fungibiles; quia post usum sui superesse ea certum sit, ac nihil obset hactenus, quo minus ibi obsetineat verus usufructus; si de hoc in jurisprudentia Romana ex SCTo nihil fuisset cautum. Nec dubitari posse, quin ante introductum per illud SCTum in rebus fungibilibus quasi usufructum, in vestimentis omnibus obtinuerit verus usufructus. §. 12 C. 3 §. 18. Nam Cicero in Topicis C. 3 non dixit, uxorem, cui omnium bonorum usufructum vir legaverat, usufructum in vino & oleo ideo habituram non esse, *quasi tunc aliqua obsetaret lex*, quæ harum rerum usufructum vetaret, sed ad solam vini & olei naturam provocat, quodque illis uti nemo possit, quin simul consumeret. §. 7. Pro velle equidem, facto chirographo, promitti & solvilitas usuras, L. 25 C. de usuris; tunc enim substitui debitum quantitatis pecuniariæ. Cap. II §. 8, 12, vel intelligi datam vellem æstimatam, sicut aurum vel argentum æstimatum. §. 17. *Capite III* §. 5, 12 & 21 monet, placuisse Imperatoribus, qui SCTum secuti sunt diu ante Justinianum, ut vestimenta legata in hac sola materia quasi usufructus conferentur jure rerum fungibilium. Culpam ergo non posse derivari in Justinianum, quod in eo erraverit, tanquam in re facti, an ipso usu consumantur; quæ non pendeat a majestate Principis. §. 9. Stringi autem videtur Cl. Noodt *Lib. 1 de usufr. c. 21*. In ipsis SC. verbis an cautum fuerit de vestibus, prorsus non constare. §. 5, contra Cl. Böckelmannum: Veteres autem Jctos illustrasse verba SCTi & sic tandem productum fuisse, atque

in vestimentis etiam admissum, quasi ususfructum. §. 18. Nec dici in §. 2 I. de Usufr. quod vestimenta ipso usu proprie consumantur, sed enumerari inter res, quarum quasi ususfructus sit. §. 19. Nam & architectos digestorum in sola materia quasi ususfructus referre vestes saltem quotidianas, inter res fungibiles. §. 21. Ad similes alias res extensus non est hic quasi ususfructus; quia ita placuit Legislatori, in re juris inere civilis. §. 35. Imprimis attendi meretur §. 6 & 22 seq. analysis L. 15 §. 4, 5 ff. de usufr. Diversitatem cautionis tangit Noster §. 46 merito; quia textus nunc antiquam de arbitratu boni viri, quæ non nisi lites pareret, nunc SCto inventam recentiore respiciunt.

Diatriba II sistit nobis Papiniani textum, L. 6 §. 3 ff. de confirm. tut. vel curat. juxta Florentinum exemplar, & absque ulla emendatione: *Si filio puberi pater tutorem, aut impuberi curatorem dederit, citra inquisitionem Prætor eos confirmare debet.* Optime animadvertit Noster, per hanc lectionem indicari a Papiniano veram causam, ob quam Prætoris confirmatio sit necessaria; quæ nec puberi tutor, nec impuberi curator a patre in ista specie recte datus est. Nam qui secundum patris quidem voluntatem, nec tamen jure datus est, errore comperto consultius a Prætore petitur: & Curator testamento inutiliter datus, confirmationem Prætoris implorare debuit, L. 39 §. 2 & 9 ff. de administr. & peric. tut. quæ est ejusdem Papiniani, & ex eodem libro quinto Responsorum. Fitque id citra Inquisitionem; quia fides eorum & diligentia a patre ipso approbata est. Cessat igitur transpositio Cl. Noodt. h.

In Diatriba III discutitur L. 8 C. de impuber. & aliis substitut. ejusque constitutionis mens ita eruitur: uxor militis & quondam mariti, Patrona, post mortem illius, quærebat in precibus de successione filii communis, nunc mortui, quem pater testamento facto heredem instituerat, sed simul secundum heredem, substitutum scilicet, scripserat. Rescribunt Imp. testamenti tabulas ipsas fuisse exhibendas, ex quibus constaret, an in primum casum tantum, *si filius heres mihi non esset futurus*, an etiam in secundum filio substituerit. Si primo tantum casu, & filius patri heres extitit, eo defuncto ad matrem pertinere successione ejus omni modo. Si vero & in secundum casum expressa substitutio facta, puta,

si intra 14 ætatis suæ annum decesserit, & filius intra pubertatem decessit, nunc eos habet heredes, quos pater ei constituit, si illi adierint hereditatem. Si substitutio compendio simul & non usque ad certam ætatem facta, puta, aut si post pubertatem i. e. quandoque decesserit, tunc ejus successionem quidem obtinebit mater in ea bona, quæ filius habuit vel postea acquisivit; quæ vero patris ejus, cum is moreretur, fuerint, ab ea velut ex causa fidei commissi peti posse; habuit enim eum pater in potestate mortis tempore. Maximi hic momenti difficultas nata, quod pupillaris & militaris etiam substitutio videatur facta simul in casum secundum. C. 2 §. 10, 11. Sed milites utramque iisdem verbis frequenter quidem complectuntur, quæ tamen non in unum eundemque casum, sed in diversos plane terminantur. L. 5, L. 12, L. 41 §. 4 ff. de testam. mil. L. 10 §. 5, 6, L. 15 ff. de vulg. & pupill. De Jure Gentium voluntario, deque Socialitate nihil est, quod addamus. Volumen itaque alterum, (calami tamen paulo pacatoris,) pluresque Diatribas expectabimus, & inter has primo loco Cl. Viri, Edzardi Rotgerfi Disput. inauguralem de signis seu notis quibusdam Pandectarum Florentinarum.

ATTI LEGALI PER LA FONDAZIONE DELL'
Istituto delle Scienze ed Arti liberali.

i. e.

ACTA LEGALIA, QUÆ FUNDATIONEM
concernunt Instituti Scientiarum & artium liberalium;
in memoriam Ordinum Ecclesiasticorum & Secularium,
in civitate Bononiensi.

Bononiæ, ex Typographiâ Bononiensi S. Thomæ Aquinatis,
1728, fol.

Alphab. 1 pl. 16.

CUM summus patriæ ac scientiarum amor, tum vero maxima & profus inaudita liberalitas Illustrissimi Comitis ac Domini *Aloysii Ferdinandi Marsilii*, etiam res sunt jam dum ubique satis notæ atque celebratæ, multo tamen luculentius apparent ex præfenti Actorum collectione, quibus complura Instrumenta cessio-

num

num & donationum, ab ipso liberalissime factarum, continentur. Et primum quidem locum, post præfationem Excellentissimi Comitum ad universos ordines civitatis Bononiensis, obtinet Instrumentum donationis, in gratiam novæ Scientiarum Institutionis (cujus Historiam a Cl. de Limiers concinnatam recensuimus in Actis A. 1724 M. Jan. p. 24 sq.) jam A. 1712 factæ. Cujus Instrumenti aliquam partem iisdem quibus conscriptum est verbis (Latina enim sunt, etsi stylo Notariorum concepta) huc transcribendam censeamus. Ita vero se habet: *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Amen. Anno ab ejusdem Nativitate 1712, Indictione V & C. Egregiæ dudum indolis Adolescens, & modo præclarissimus Vir, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Comes Aloysius Ferdinandus bo: me: Comitum Caroli Francisci de Marsiliis Nobilis, & Patricius Bononiæ Primarius, Militum pro S. Sede Apostolica & S. D. Nostro, Clemente XI Dux Supremus, mente revolvens, se jam diu, & ab ineunte adolescentia, tota animadversione & serâ cogitatione prospexisse ad parandum capitalia necessaria, pro erigendo in ejus patria, studiorum matre, novo Instituto literario, adaptato, & consimili modernis Litteratorum Academicis, cum tanto Scientiarum progressu & augmento excitatis & exercitiis, in Germania maxime, in Gallia, & in Anglia, Lipsiæ scilicet, Parisiis, & Londini, ut quasi instaurata feliciori studiorum & scientiarum methodo, ad majorem Dei Omnipotentis gloriam, & diuinitatis ejus Patriæ decorem, titulus antiquus studiorum Matris magis claresceret, & sedula operis navigatione in scientiis acquirendis, hujusce civitatis Nobilis Juventutis ab otii torpedine & a vitiosis comitiis averteretur; & denique ad usum & commodum tum civium tum forensium scientiæ & pietatis studiorum; quapropter prædicto ejus indulgens voto, tum inter bellorum strepitum, in quibus supremis Principibus ejus militarem operam præstitit, tum in magnis & gravioribus negotiis peragendis, septentrionales & orientales plagas pro Augustissimo Cæsare peragrando, summo studio & magno sumtu (ut dixit, & omnibus compertum est) multa & diversa Capitalia, tum librorum desiderabilium, tam typis impressorum quam manu scriptorum; tum Instrumentorum ad Mathematicas & Astronomicas*
scier.

scientiarum maxime adaptatorum; tum ad militarem Architecturam, & ad Physica experimenta rerum naturalium adaptabilia; tum denique ad cognitionem Antiquitatum, & rerum antiquarum eruditionem, coarctavit. Et modo cupiens tam honestam & laudabilem, tamque elaboratam ejus per plura lustra intentionem, executioni demandare, & Patriam a se in anteaclis bellorum gravissimis motibus tutatam armis, ditatam scientiis tempore pacis reddere; requisivit Illustrissimum & Excelsum Senatuum hujus Civitatis, ut porrigeret dexteram tam commendabili Instituto Litterario, acceptando liberam omnium predictorum Capitalium ingentis valoris Donationem & Administrationem, & parando locum aptabilem pro Residentia, & Exercitio hujusmodi litterarii Instituti, efformandisque necessariis ad usum destinatis officinis, cum pactis tamen, conditionibus, & conventionibus in infra scriptis Capitulis contentis; Clementissime super omnibus annuente Sanct. D. N. Clemente XI, Pontifice maximo regnante, mediantibus signanter Montis subsidii secundi hujus Civitatis redditibus in parte aduclis, & assignatis pro acquisitione perpetua sedis, & loci Residentialis dicti Instituti litterarii, & pro subventionem honorariorum quotannis solvendorum Magistris, & Ministris, &c. In capitulis huic instrumento subjunctis varia constituuntur: exempli causa, ut in omnibus scriptis & actis novi Instituti litterarii, (iis tamen exceptis quæ ad observationes Astronomicas pertinent) epocha usurpetur ab Incarnatione, sive a festo S. Annunciationis, quippe quo die ex captivitate Turcica liberatus olim est Illustr. Comes: ut Protectores Instituti habeantur S. Thomas de Aquino, S. Carolus Borromeus, & B. Catharina: ut in ædibus Instituti sacellum & specula Astronomica extruantur: ut Academiæ, quæ dicitur Inquietorum, quæque in domo Ill. Comitis maxime floruit, locus in ædibus Instituti assignetur, usque tam librorum quam instrumentorum concedatur: ut porro etiam sedes & habitatio detur Academiæ Clementinæ Pictorum, Architectorum, & Sculptorum: ut Præsidi & Professoribus Scientiarum & Artium leges ab Ill. Senatu præscribantur: ut supra portam ædium Instituti Insignia erigantur Clementis XI Pontif. Max. Cardinalis Casoui Legati, Cardinalis

Paulucci, Secretarii status, ipsiusque Status publici, cum ejusmodi Inscriptione: *Bononiense Scientiarum & Artium Institutum, ad publicum totius orbis usum*; nullo autem in loco mentio fiat nominis illustrissimi Donatoris &c. Atque hactenus de prima ejus donatione: nunc etiam de sequentibus breviter dicendum est. An. 1719 privilegium obtinuit a *Clemente XI P. M.* imprimendorum nunciorum publicorum, sive ephemeridum hebdomadalium, in nova typographia, pro commodo & utilitate Instituti Scientiarum ab ipso instructa. Quas ephemerides cum antea impressissent Carolus Alexius & Clemens Maria, fratres de Saxis, typographi Bononienses, conventum est inter illos & Illustr. Comitem, ut quoad viverent hi typographi, iis quidem solis permissum esset, imprimere ephemerides commemoratas, sed ea conditione, ut quotannis certam pecuniæ summam solverent; quam pecuniam deinde tali usui destinavit Illustr. Comes, ut quotannis sedecim nummi euderentur, effigiem *Clementis XI P. M.* ex una parte exhibentes, ex altera vero ædes novi Instituti, cum hac Inscriptione: *Bonarum Artium cultui & incremento*; atque ut isti numi, juxta certas leges, tanquam præmia distribuere inter Professores & Discipulos in Academia Clementina Pictorum, Architectorum & Sculptorum. A. 1724 donavit novam suam typographiam, quam *Bononiensem S. Thomæ Aquinatis* nuncupavit, & in qua hæc ipsa Actorum Collectio accurate & eleganter impressa est, Patribus S. Dominici, quippe cum in ædibus Instituti Scientiarum commodus pro ea locus non posse reperiri videretur; neque tamen Professoribus Instituti, ut etiam ipsa vel maxime hæc typographia usui esset, prospicere neglexit. A. 1727 cum iisdem Patribus S. Dominici de solenni pompa & processione quotannis ab iis celebranda convenit. Eodem anno cum hominibus Archiconfraternitatis S. Mariz de Nivè, qui etiam ipsum ut confratrem in numerum suum receperunt, de simili pactus est processione, ab iis quotannis, die S. Annunciationis, ad sacellum Instituti ducenda, & de colligendis ibi elemosynis, pro Christianis, atque imprimis Bononiensibus, ex servitute Turcica redimendis. Quo loco de propria quoque servitute, quam A. 1683 apud Turcas servire coactus est, nec non de subsequuta sua liberatione, exponit. Sequitur Instrumentum secundæ

cundæ donationis, Illustr. & excelso Senatui Bononiensi ab ipso factæ, in commodum Institutii Scientiarum. Cum enim intelligeret, multos adhuc rariores ac pretiosiores libros desiderari, neque inter res ad historiam naturalem pertinentes eas reperiri, quibus historia Indiarum satis luculenter illustrari posset, utrique rei prospiciendum ratus, non dubitavit ipse, quanquam jam tum sexagenario major, longam ac difficilem navigationem Londinum atque Amstelodamum suscipere, ibique summo studio cum res ad ferriem sive complementum historiz naturalis spectantes conquiere, Bononiamque transmittere, tum vero depositis propriis quibusdam operibus manu exaratis, quæ Amstelodami inprimerentur, a celeberrimis illius urbis Bibliopolis ac Typographis magnum numerum librorum præstantissimorum, pro Instituto Bononiensi, solenniter pacisci. Facta est hæc donatio eodem quo præcedentes anno, nempe 1727, cum conditionibus quibusdam sub finem Instrumenti annexis. Additæ etiã sunt constitutiones ipsius Institutii Scientiarum, quæ XV capitibus absolvuntur. Primum est de cultu sacro: alterum de electione Præsidis, Secretarii & Professorum: tertium de Præside: quartum de Secretario: quintum de Professoribus: sextum de diebus & horis exercitiorum: septimum de vacationibus: octavum de stipendiis: nonum de negligentibus: decimum de custodibus: undecimum de Academia Inquietorum: duodecimum de ærario & expensis: decimum tertium de capitalibus & suppellectili: decimum quartum de custode officinarum & ædium Institutii: ultimum denique de duratione hactenus constitutionum. Exempli loco exhibebimus articulum tertium capituli quinti, qui est hujusmodi: „Caveant sedulo Professores, ne in suis exercitiis ullo utantur studio vel discursu scientifico, qui aut ad formam lectionis accedat, aut etiam vera lectio, propria cathedrarum Publici Studii, vocari possit; quippe cum exercitia imprimis versari debeant in præxi observationum, operationum, experimentorum, & rerum similium. Si quis contra fecerit, ei id pro magna culpa imputator.“ Postrema cæssio seu Donatio facta est ab Illustr. Comite anno proximè elapso, 1728, & quidem Patribus S. Dominici, in augmentum typographiæ Bononiensis, in qua adhuc desiderabantur

characteres linguarum quarundam exoticarum, ut Arabicæ, Persicæ, Turcicæ. Quorum characterum cum complures matrices, numero 1742, in donum pretiosum obtinuisset ab Eminentissimo Cardinale Alexandro Albani (nam Cosmus, Magnus Dux Etruriæ, easdem olim *Clementi XI P. M.* donaverat,) concessit illas ac solenniter tradidit Patribus commemoratis, in usum typographiæ jam antea iis concessæ ac demandatæ. Admiramur sane tam incomparabilis civis, maximique optimarum artium & scientiarum Patroni, animum vere generosum & liberalem; atque ut alii tam illustri exemplo excitentur, optamus potius quam speramus.

A TREATISE ON A CONSUMPTION OF
the Lungs.

i. e.

TRACTATUS DE PHTHISI PULMONALI,
Auctore EDUARDO BARRY, M. D.

Londini, apud Wilhelmum & Johannem Innys, 1727, 8.

Plag. 172.

Effectus, qui in machina humana qua sanitatem, qua morbos, producuntur, explicari non posse, nisi cognita ipsius structura & in subsidium vocatis mechanicis, hydrostaticis & hydraulicis principiis, bene cognoscens Clariss. *Barry*, eundem tramite sectus est Atrophiam seu Phthisin Pulmonalem explicaturus. In tres enim Partes præsentem Tractatum dividit, in quarum I de Nutritione, in II de Structura & Usu Pulmonum, & in III de causis, progressu & cura Phthiseos agit. In *Parte I* de Nutritione ita sentit: Continua partium solidarum a motu continuo facta abrasio & fluidarum jactura non solum sui restorationem efflagitant; verum etiam harum qualitas depravata uberiores exigit nutritionem. Fluida enim subtilibus & maxime dilutis particulis orbatæ, & repetitis circulationibus agitæ, tantum abest, ut nutrire amplius possint, ut potius corpus destruant, naturam veneni mineralis induentes, cujus malignitas in gravitate & acrimonia particularum consistit. Ex alimentis igitur novus chylus a ventriculo, solidas partes attenuatione & expressione particularum fluidarum

per

per calorem & motum tam proprium quam viscerum adjacentium dissolvente, est præparandus, & in pulmonibus pro nutritione præstanda aptus reddendus. Vis enim compressiva vasorum pulmonalium ab aeris pondere aucta, majorem attenuationem humorum contentorum præstat, quam qualis ab aliis in toto corpore vasis est expectanda. Per aeris pressuram figura vasorum ita alteratur, ut humor chylosus, nondum præparatus, per vias capillares ad vasa pulmonalia se recipere cogatur. Diameter enim arteriæ sanguineæ in pulmonibus, antequam in venam abeat, adeo exilis est, ut vix usicum globulum sanguinis absque compressione in figuram ovalem transmittat; vi autem aeris inspirati canaliculis hic a circulari in ellipticam figuram transmutatur, unde humores circulantes multo angustiores vias superare tenentur; siquidem diameter vasis cujusdam tantum in proportione decrescit, quantum a circulari figura recedit. Arteriæ hæc sanguineæ in pulmonibus æque ac in reliquis corporis visceribus in arterias desinunt, quæ serum vehunt, & hæc iterum in minores, quæ lympham ducent. Et quoniam per eandem pressuram aeris inspirati exiles hi canales circulares infinite parvi redduntur, & ad figuram planam magis reducuntur, necessario sequitur, humores per eos circulantes ita præparari & dividi, ut minima & capillaria vascula intrare queant. Nutritio itaque ita succedit: omnes atque singuli canales in corpore humano per attritionem, perpetuum motus effectum, continuo abraduntur & per pressionem humorum circumstantium distrahuntur, hinc vacua acquirunt interstitia. Quoniam enim omnes lineæ fluidi cujusdam, quod in vase conico a basi ad extremitatem movetur, parallelæ sunt axi canalium, omnia puncta fluidi necessario moventur cum resistentia quadam ad motum, conanturque latera canalium extendere. Ast omnia vasa, utpote virtute elastica prædita, eadem vi fluido resistunt, hocque repellunt, & pressura humorum affluentium regurgitationem impedit, hinc feriunt hi latera canalium eaque distendunt. Ampliantur igitur canales; quoniam vero eorum resistentia in proportione ad distensionem augetur, tantam acquirunt per contractionem fibrarum vim, quanta ad propellenda fluida & circulationem promovendam sufficit; hacque ratione novæ suppeditantur

runtur partibus solidis attritis & fluidis deperditis. E contrario non bene nutritur corpus, vel quando humores ad nutriendum non sufficienter præparantur, vel quando vasa non sunt disposita, ut fluida commode recipiant, vel quando circulationis vis aut jussio major aut languidior existit. In *Parte II* exposita pulmonum structura, usum eorum adeo egregium esse demonstrat Clar. Autor, ut functiones œconomiz animalis maxime necessariz immediate ab influentia hujus organi, seu a pressura aeris dependeant, imo calor, color & pleræque proprietates materiales sanguinis primario iisdem debeantur; negat tamen, aerem sanguini admisceri. In *Parte III* Phthisin pulmonalem definit, quod sit imminutio partium solidarum, & corruptio fluidarum a collectione materiz purulentæ dependens, ejusque causam constituit vel obstructionem vasorum vel solutionem continuitatis. Obstructio in genere juxta Autorem oritur, quando globuli humorum majores sunt, quam vasorum capacitas, dum vel fluida sunt viscida, vel solida angusta, vel etiam utrorumque vitia concurrunt. Fluida redduntur viscida, vel a nimia frigiditate seu circulatione languida, vel a calore & motu nimio, vel a mixtura humoris viscida, aut coagulantis. Aeris enim frigidi gravitas imminuta non sufficienter premit vasa pulmonum, hinc humores non attenuantur, calidus vero subtiles partes dissipat relictis crassioribus, quod etiam faciunt exercitationes nimiz, spirituosorum abusus, sudores profusi; & chylus crudus admixtus horum promovet visciditatem, quo & concretiones calculosæ spectant. Solida quod attinet, vasa sunt angusta vel a motu irregulari aut aucto spirituum animalium, vel ab acrimonia interna humorum; fibras ad contractionem sui stimulant, vel a causa externa comprimente, & irritante, e. g. a fumis arsenicalibus & mercurialibus, aut a conformatione præternaturali thoracis. Harum obstructionum sedes est vel in vasis pulmonalibus, vel bronchialibus in glandulas asperæ arteriæ dependentibus. Si bronchiales obstruuntur, jungitur expectoratio copiosa cum raucedine; sed minorem periculo; in pulmonalibus vero nulla expectoratio est expectanda, nisi facta suppuratione & hæmoptysi; tussis interim sicca, respiratio difficilis, sine raucedine, oppressio constans & dolor obtusus sub inspirandum urget;

atque

atque hæc obstructions quandoque se invicem excipiunt, ita ut arteriarum bronchialium insequantur pulmonalium obstructions, & vice versa. Indicationes & methodi medendi variant pro causarum diversitate, quæ antequam removeantur, cavendum est, ne obstructio ad suppurationem veniat; hæc autem fit, quando vi circulationis vel materiæ obstruentis quantitate usque adeo vasa per gradus distenduntur, ut demum rumpantur; tunc enim vasa mediante calore visceris una cum humoribus obstruentibus dissolvuntur, & ubi particule dissolutæ invicem fuerint mixtæ, subtiliore parte exhalante viscidior materiam purulentam format. Distensionis vero augmentum præcavetur, quando quantitas & velocitas fluidorum imminuitur, & motus humorum mediante revulsione aliorum determinatur. Per sanguinis igitur missionem & lenia purgantia suppuratio non modo inhibetur, sed & imminuta vi humorum distendente, vasorum contractio obstructorum augetur, sicque obstructio aliquatenus cessat. Quando obstructio a visciditate per motum tardiorum humorum producta dependet, Indicationes sunt, ut 1) humores impacti resolvantur, 2) motus acceleretur, ac 3) visciditas fluidorum attenuetur. In hoc casu evacuationes caute sunt administrandæ, utpote quæ laxitatem vasorum & viscerum augent, atque circulationem languidiorem reddunt; nec calidioribus, volatilibus & activis balsamicis est insistentum: quia aucto nimis humorum circulantium motu fluida magis impinguntur & condensantur, vasa magis distenduntur, & suppuratio loco resolutionis producit. Præstant potius medicamenta virtute aperiente, saponacea, leniter stimulantè & resolvente prædita, & quæ aucta circulatione sanguinis perspirationem restituunt, reliquasque secretiones ad debitam proportionem reducunt; qualia sunt flores sulphuris, millepedes præparati, pilule ex gummatibus cum saponе Veneto, terebinthina & balsamo Peruvianò paratæ, item decoctum ligni guajaci, saffras, sol. charæ pitheos, hyssopi, scordii & veronicæ. Obstructione remota & omni inflammationis metu discussio cortex Peruvianus & aquæ martiales sunt exhibendæ, utpote quæ non solum vasorum tonum augent, & visciditati residuam attenuant, verum etiam recidivæ obsistunt. Quanquam enim in principio vasa angusta obstructio-

nibus

nibus anſam dederint, ſucceſſu tamén temporis a materia obſtru-
 ente dilatantur, remotisque obſtructionibus dilatata manent, ſic-
 que cuiſcunq;e alii cauſæ obſtruenti prompte auſcultant, niſi in
 tono ſuo roborenter. Multum huic confert motus corporis, im-
 primis æquitatio. Tuſſis ab obſtructionibus frigidis pituitofis or-
 ta in ſenibus, quorum tonus pulmonum deſtructus & reliquæ ſe-
 cretionés ob circulationis tarditatém, vaſorumq;e rigiditatém
 univerſalém imminutæ ſunt, raro curatur; ſolatio tamén ipſis
 ſunt emollientia & aromatica, tam diætetica quam pharmaceutica
 remedia; imprimis vinum cum melle mixtum vel præparatum.
 Humor porro obſtruens ſi fuerit naturæ terreſtris, frigidæ & vi-
 ſcidæ, & qui in ſcirrhum vel lapidoſam concretionem abire ſolet,
 mercurio dulci pilulis gummoſis addito & decocto ligni guajaci
 corrigitur. Si humor viſcidus a nimio calore & motu ortum du-
 xerit, poſt venæſectioném & purgantia leniora ac anodyna, dilu-
 entia, reſolventia & leniter detergentia utramq;e abſolvunt pagi-
 nam. Quando obſtructio vaſorum pulmonalium ab humoribus
 crudis oritur, digeſtio ventriculi eſt reſtauranda, & humores im-
 paſti ſunt reſolvendi. Emetica vero non probantur, ob metum
 inflammationis vel hæmoptoes. Generis nervoſi & hypochon-
 driacis ſymptomatibus aſa fetida præ reliquis medicamentis oc-
 currit, utpotè quæ vaſa obſtructa non ſolum ſtimulat, fluidorum
 viſciditatém corrigit, & inſenſibilem tranſpirationem promovet,
 verum etiam ſpasmus ſiſtit. Sin ſalinæ ſanguinis particule vaſcu-
 la contrahunt, & ſtimulant, pro diverſitate acrimoniæ alia atque
 alia, e. g. in muriatica aqua calcis vivæ, in volatilitate nimia aquæ
 Briſtoliënſes, diæteta lactea & diuretica blandiora conducunt. In-
 ter expectorantia hyſſopus, ſcordium, majorana, pulegium, vero-
 nica, ſulphur præparatum laudantur, quando humores viſcidi &
 fibræ minus activæ ſunt; ſi humores acres & vaſa contracta fue-
 rint, pulmonaria & tuſſilago iis præfertur. Inter topica in humo-
 ribus acerbis ſuffragia ex olibano, maſtiche, benzoe; in viſcidis
 vapores aquæ, cui herbæ ſtimulantes fuerunt infuſæ; in exhala-
 tionibus ſulphureis vel arſenicalibus aut effluviis aquæ fortis vel
 ſpiritus vitrioli admiſſis vapor urinæ putridæ ſale tartari impræ-
 gnatæ ſunt admittenda. Linctus oleoſi & anodyna juvant, non
 cauſam

causam removendo, sed tussis molestias demulcendo: oleosis tamen præferuntur linctus ex terra Japonica, saccharo & mucilagibus parati. Quoniam autem phthisis sæpe ab hæmoptysi oritur, hujus theoria & praxis solerter traditur ab Autore. Hujus causæ sunt, quæ vasis pulmonum talem temperitudinem, & humoribus talem impetum & acrimoniam conciliant, ut continuas illico solvatur. Talis constitutio vel connata aut hæreditaria est, vel acquiritur ab usu calidæ, aromaticæ, salinæ dietæ, vel talibus rebus, quæ vasa relaxant, & sanguinem oleosis & balsamicis particulis privant. Indicationes sunt, 1) ut vasa rupta consolidentur, & 2) acrimonia humorum & caliditas attemperetur. Hinc venæ sectio toties repetita, donec vasa discontinuata collapsa & contracta fuerint, prior, posteriori refrigerantia anodyna satisfaciunt; in specie decoctum corticis Peruviani in aquis pectoralibus factum; hæcque medicamenta facile penetrare & leniora esse debent, ne novas obstructions parent, aut calorem magis accendant; hinc balsamus sulphuris anisatus, de Gilead, &c. huc non quadrant. Ratione dietæ omnis motus, imo & loquela interdicitur, lactis vero usus commendatur; post reconvalescentiam equitatio suadeatur, singulis æquinoctiis venæ sectio repetatur, & lenis purgatio per mannam instituat. Quodsi vero pulmones vel post hæmoptoen, vel obstructions, vel vulnus, vel peripneumoniam aut pleuritidem abscessum contraxerint, maturandus hic & rumpendus venit, ut manifestum fiat ulcus. Rumpitur ille ad asperam arteriam, admissio fotu & vapore decocti emollientis, item motu per unctionem aut equitationem, & expectorantibus; nec nocebit emeticum ex oxymelite squillitico & oleo amygdalarum dulcium. Aperto abscessu præcavendum est, ne ulcus incrementum capiat, aut materia purulenta ad sanguinem ruat; ulcus vero mundificetur & consolidetur per decocta vulneraria, in quibus gummata sunt soluta, ut & per expectorantia, detergentia & consolidantia paregorica. Præsens hoc in affectu atrophiam nutritionem indicat uberiores, non ex animalibus expectandam, utpote quæ ratione salis volatilis calorem & putrefactionem augent, nisi temperentur acidis, & refrigerantibus vegetabilibus. Conducit etiam dieta lactea & exercitium in libero aere, ut & equitatio. Si

ad summum gradum pervenerit exulceratio, ita ut a medicamentis nullum amplius sperandum sit levamen, paracentesis instituat in loco, quem dolor & oppressio pectoris monstraverit. Sic enim extractio puris promovebitur, & injectionibus balsamicis ulcus mundificari & consolidari poterit; siquidem pulmones in ejusmodi casu ut plurimum pleuræ adherent. Hæcque operatio tantum locum invenit in phthisi hæmoptoen insequente, & ubi lobus affectus pulmonis non multum corruptus existit: secus si in pluribus locis ille sit exulceratus.

**LAPIS, SIVE PETRA FIDEI, ORTHODOXIS sanctæ Ecclesiæ filiis ad confirmationem & spiritua-
lam ædificationem, offendentibus autem ad lapidem offen-
sionis & scandali ad resurrectionem & emen-
dationem.**

Moscuz Mense Octobris 1728, fol.

JUSSU *Petri Alexiewitz*, Imperatoris totius Russiæ, & consensu
atque sub benedictione sanctissimæ Synodi, hunc librum Rus-
sico idiomate conscriptum in lucem prodiiisse, inscriptio docet.
Licet enim jam ex longo tempore hic liber prelo fuerit paratus;
tantum tamen absuit, ut Russorum Imperator *Petrus I.*, cum plu-
rimis calumniis, conviciis, mendaciis in Protestantem refertum
eum esse deprehenderet, publici eum juris fieri permitteret, ut po-
tius, eo suppresso, *Stratemannii Theatrum historicum & Pufendorffii
Introductionem in historiam*, cum libro singulari *de Hie-
rarchia Pontificis Romani*, sine notis & animadversionibus, quas
Ruthenorum quidam conabantur addere, lingua Ruthenica in fol-
edi juberet. Postquam vero magnus ille *Petrus* excessit vita, non
desuerunt sibi Ruthenorum Theologi, quo minus opus hocce post-
humum in lucem producerent. Autor ejus est sacratissimus *Ste-
phanus Javorisky*, Metropolita Relanensis & Muromiensis, qui
honestissimis parentibus, nationis Rutheniæ, sub potestate regni
Polonici viventis, generis nobilitatem debet. In Polonia ab ine-
unte ætate doctrinis impertitus, omnes literarum studio æquales
anteceffit, & in celebrioribus Poloniæ scholis, ubi ejus studia suis
juva-

jvabat opibus metropolita Kiöviensis Barlaam, præclarã sibi
 acquisivit eruditionem. Redux deinde factus, & Moscuam ali-
 quando missus, tantam *Petri M.* oratione, qua parentavit celeberrimo
 belli duci Scheinio, sibi conciliavit gratiam, ut mortuo sanctissimo
 Patriarcha Adriano, cura Patriarchalis sedis auctus, toti
 ecclesiæ Ruthenicæ a potentissimo Imperatore præficeretur. Quo
 munere ab A. 1702 ad 1722 functus, annos 64 natus, die 27 Septem-
 bris, excessit vita. Occasio operis hujus adornandi fuit, quod Mo-
 scuz Thomas quidam, magistrum Demetrium Eudokimos se-
 quutus, non tantum preces pro defunctis, cultum crucis, sancto-
 rum, imaginum, aliaque vehementer impugnavit, verum etiam
 festo S. Alexii in concionem advolans, imaginem Mariæ juxta at-
 que Alexii violavit, dejecit, fregit, concidit securi; jussu Impera-
 toris idcirco capitis damnatus. Agit igitur Autor 1) de sanctis
 imaginibus, 2) de cruce, 3) de sanctis in cœlo, 4) de sacra eucha-
 ristia, 5) de invocatione sanctorum, 6) de spiritibus sive animabus
 beatis, 7) de beneficiis, quæ viris præstari debent mortuis, scilicet
 per preces, elemosynas, jejunia, & præcipue sacrificium incru-
 entum, 8) de traditionibus, 9) de sanctissima liturgia, sive de sa-
 crificio incruento, 10) de sanctis jejniis, 11) de bonis operibus.
 Adjecit appendicem de pœna hæreticorum, ubi cum *lapidi suo*,
 sive *petra suæ*, robur conciliare voluit 1) ex Scriptura sacra Veteris
 Testamenti, *f. 1066*, 2) ex Scriptura sacra Novi Testamenti, *f. 1067*,
 3) ex testimoniis Patrum sanctorum, *fol. 1068*, 4) ex legibus Re-
 gum orthodoxorum, *f. 1069*, 5) ex demonstrativa ratione, *ibid.*
 tum offensionem ad lapidem 1) ex Scriptura sacra Veteris Testa-
 menti, 2) ex Scriptura sacra Novi Testamenti, 3) ex sua ratiocina-
 tione, ostendere conatur. Infanum Autor adversus Lutheranos
 non minus quam Calvinianos prodit odium; quod ex diuturna
 consuetudine & usu, qui ipsi cum Pontificiis a prima ætate inter-
 cessit, sine dubio concepit. Patet hoc velex Præfatione ejus ad le-
 ctorem, ubi inter alia *novus*, inquit, *in ecclesiam Goliath insurre-
 xit Martinus Lutherus, contumeliis laceffens exercitum Dei vi-
 ri, & varia convicia atque probra adversus sponsam Christi
 quasi rugitu suo eructans. Scio adversarium hunc arcum suum
 in Papam & Romanam ecclesiam intendisse, sed tela ejus vene-*

*parata & nos attingunt. Verum enim vero prout lapis Davidis
 veteri Goliatho, sic huic novo lapis offensionis exitii causa fuit.
 Nam sacra Scriptura, quæ nobis lapis est adificationis & confir-
 mationis, illi fuit lapis offensionis, scândali, exitii &c. Et ite-
 rum: Cogitatione, adversarii, quod ignoremus vitam archirabi-
 ni vestri, a quo omnes recentiores hæreses proveniunt, Martini
 Lütberi. Totus orbis vaserrima ejus facta novit, & vestram mi-
 ratur cæcitatem, quod talem deceptorem sequamini, latamque
 ingressi sitis viam, vita commodorum amore capti. Propter has
 diabolicas fraudes vos orthodoxæ ecclesiæ filios rogo, ut amicitia-
 m cum talibus ineundam, aut sermones ferendos, evitetis. Sed
 nec a calumniis sibi potest temperare, quando scribere non erube-
 scit: veniunt ad nos induti pellibus ovinis, sed intus sunt lupi
 rapaces &c. Pellis est ovina, quæ se tegunt, si de fide prædicant,
 fide sola christianum salvari &c. Sed lupi sunt rapaces, dum
 hac pietatis specie omnibus peccatis portas aperiunt. Quid enim
 ex hac impia doctrina sequitur? Hoc sequitur: trucida, fu-
 rare, adulterare, falsum dic testimonium, fac, quæ lubet, ipsi sa-
 tana equalis fias malitia; nihilo minus mitte metum, tantum
 credes: fides in Christum sola salvat. Ita hi lupi rapaces do-
 cent &c. Innumera certe nostratum scripta hæc mendacia pro-
 sternunt. Verum non insolens est Autori, audacter calumniari,
 strenue mentiri, inhumane conviciari, & ineptissimis fabulis in-
 erti populo imponere. Tot enim narratiunculas de spectris, dz-
 moniacis, miraculis, per imagines, crucem, reliquias &c. factis,
 confingit, ut non minorem prudentibus risum, quam impruden-
 tibus admirationem moveat. Mirum itaque, Humilem Theophy-
 lactum, Archiepiscopum Tweriensem & Caschinensem, utilissi-
 mum non modo, & summa rerum divinarum sapientia composi-
 tum, sed & valde necessarium, huicæ librum, quem tamen Epi-
 scopus Novogrodienfis, vir doctus, prudens ac moderatus, indi-
 gnæ approbatione jure existimavit, in censura sua judicare.
 Cum autem Autor pessima in Evangelicos convicia evomit: tum
 Pontificiis quavis occasione frigidam suffundit; alto tegens silen-
 tio, quæ Romanæ Ecclesiæ cum Ruthenis intercedunt, controver-
 sias, de Papa Romano, purgatorio &c. Idque adeo mirandum
 non*

non est, quod pleraque ex Bellarmino, Becano, aliisque Romanis & Polonis controversiarum scriptoribus consarcinavit. Ex quo intelligi potest, non tam studio orientalis ecclesie dogmata illustrandi, adstruendi & propagandi, quam potius odio Lutheranorum & Reformatorum, quorum tamen sententiam vel ignorare, vel pervertere videtur, Autorem inductum hunc composuisse librum. Videant ergo Rutheni, ne sibi hic liber vehementer noceat; utpote qui Romanensibus viam munit, in sacra illorum, quod diu tentarunt, irruendi. Nullum etiam est dubium, quin emunctioris naris Rutheni, quorum levatus est animus præconceptis opinionibus, hæc omnia perspiciant: cum fieri nequeat, quia plurimi sunt meliora docti, quibus occasio non defuit, susceptis itineribus, sermonibusque cum peregrinis institutis, rem accuratius dignoscendi. Abiis vero, qui non tam veritate, quam partium studio ducuntur, hunc librum cupide arripi, quis miretur? Interim ut Auctoris infringantur vana figmenta, malitiosæ calumniæ, impia mendacia, brevi ejus solida prodibit refutatio, quam datum Celeb. Ecclesie nostræ Theologum, D. Jo. Franc. Buddeum, certis indicis accepimus.

Des Lucius Annæus Seneca Spott-Gedicht.

h. e.

L. ANNÆI SENEÆ CLAUDII CÆSARIS
Apocolocyntosis, in linguam Germanicam traducta & illustrata a FRIDÉRICO CHRISTOPHORO
 NEUBUR.

Lipfæ, typis Bernh. Christoph. Breitkopsii, 1729, 8.

Plag. 10.

Quæ non ultima Germaniæ nostræ gloria & felicitas est, per multi inter nos optimarum literarum amatores linguam patriam nihilo minori cura, quam Latinam, quam Græcam, hodie excolunt, eamque genuino nitori restituere laborant. Inter ceteros versionis hujus Auctor Clar. nunc Prætor Regius apud Göttingenses in Electoratu Hanoverano, noslerque in colligendis his Actis Collega perindustrius, hoc maxime sibi proposuisse videtur, quod & in dedicatione, qua libellum suum Societati Teutonicæ,

Ff 3

quæ

quæ Lipsiæ floret, inscripsit, non dissimulat; ut exemplo aliquis monstraret, vernaculam nostram ad exprimenda veterum dicta ac cogitata, quamlibet argutissima, aptam natam esse. Hinc brevitate cum tersa linguæ puritate dextre conjungens, liberam verèque Germanicam; sed verecundam, versionem, adeoque nec anxiam & puerilem ad verbum translationem, nec luxuriantem auctoris sui paraphrasin, exhibere voluit, idque non in prosa tantum, sed & in ligata oratione perfecit. Pro exemplo huc sistemus sequentes anapæstos ex Neniis Claudii:

*Defete virum
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas,
Unâ tantum
Parte audita,
Sæpe & neutra.*

Quos sic reddit Neuburgius:

*Beklaget den weisen
Witzigen Greisen
Den wir verehrt,
Der so gelehrt,
Dass er im Grunde
Die Sachen verstande,
Wenn er nur einen,
Oft auch gar keinen
Von den Parteyen gehört.*

Versioni subinde Notas Historicæ & Philologicæ, lingua patria haud ineleganter conscriptas, Autor subicit; quæ licet in gratiam illiteratorum præcipue adjectæ videantur, pleræque tamen ita comparatæ sunt, ut neque doctis displicere queant. Præsertim vero tot nova vestigia Autor in Apocolocyntosi detexit, quæ Claudium sub Trimalcionis persona a Petronio exagitari confirmant, ut ex illis quæ celeberrimus *Burmamnus* in Præfatione ad suam Petronii editionem quasi in transitu indigitavit, quæ nos in recensione *Historiæ secretæ Neronis Lavernii*, Anno superiori p. 169 adduximus, & quæ *Neuburgius* ex Apocolocyntosi adinvenit, iusta dissertatio hac de re facile confici possit. Sed

Sed neque de autographo Senecæ minus bene Noster quam de versione ejus metuit. Exprimat enim textum integrum, subnectat Notas Criticas Latino idiomate, supplet lacunas, corrigit inendas, tum ex optimis libris, tum ex inagnorum Criticorum castigationibus, tum ex suo sæpe etiam ingenio, idque non infeliciter, e. c. pag. 31: *Acquiescunt honori Poetae* reponit, pro *acquiescunt oneri Poetae*. Ibid. *Tu sic transcribes horam tam bonam*, pro *tu sic transibis*: &c. pag. 81: *Contulisset* pro *non tulisset*; p. 95: *Vendere minutalia solebat*, pro *vendere civitatulas solebat*; p. 149: *Si uni Dii lituram fecissent*, pro *si uni Dii laturam fecissent*. Linquimus cetera: id autem seculum nostrum ignorare nolumus, non omnes Criticos esse feroces & contradictionis impatientes. Dissentit sæpe *Neuburius*, ac libere satis dissentit, a Ck Autore *Indicis expurgatorii in Seneca* ἀποκαλούντων, quæ nos his Actis Tom. VI Supplementorum p. 296 integrum inferuimus: at idem *Indicis* Autor vix hanc *Neuburii* interpretationem perlostraverat, cum sequens epigramma gratulabundus ipsi scriberet:

*Exiguo licuit Tibi demonstrare libello,
 Quam sis interpres quamque Poeta bonus:
 Quam patriam doctus linguam linguamque Latinam,
 Quam præstans Criticus denique & Historicus.
 Scire Tuum nunc est aliquid, cum publicus omnes
 Te scire hoc doctor edocet iste liber.*

C. A. H.

MELANGES DE LITTÉRATURE.

hoc est,

MISCELLANEA LITERARIA, EXCERPTA
 ex CAPELLANI Epistolis MSS.

Plag. 11½, 12 maj.

CASA nescio quo factum est, ut liber hic A. 1727 Lutetiæ editus nec annum, nec locum editionis, nec typographum in fronte gerat nominatum. Imo nec editor nomen suum professus est, exhibens hic ex tribus epistolarum a celebri illo *Jo. Capellano* scriptarum voluminibus excerpta, quæ pertinent ad historiam literari-

am. Ex his ut nos non nihil excerpamus, *Cap. I* Ariosto, poetae Italo, antefertur Tassus; *Cap. III* refertur, Colletetum, A. 1659 d. 3 Aug. in summa paupertate extinctum, tres habuisse uxores, quarum quæque antea ancilla sibi fuerit; *Cap. VII* magna laus tribuitur Jo. Bapt. Cotelerio; *Cap. IX* Reinesius omnium Germanorum eruditissimus habetur; *Cap. XVI* Vossii, pater & filius, inter se comparantur, & in subiecta annotatione acerba de filio censura Boccleri & Jesuitarum Trevoltensium pro falsis & injustis habentur. *Cap. XVII* Phil. Priorius, editor operum Tertulliani, & *Cap. XXI* Carolus Datus, Florentinus, laudatur. *Cap. XXIV* refertur, aliis sub *Hippoliti a Lapide* nomine latere visum esse Conringium, aliis Chemnitium, aliis Rusdorsium, aliis Salvium, aliis Oxensirnam (qui duo fuerunt in Conventu Monasteriensi Plenipotentiarii Regni Sveciæ) aliis Dranseum, *Cap. XLIV* poemata Constantini Hugonii prorsus contemnuntur. *Cap. XLV* (quod postremum locum tenet,) recensentur multa eaque haud levia vitia Ægidii Menagii. Subjecit autem doctissimus Editor his Excerptis annotationes ex historia petitas literaria. Hinc sequuntur decem Capellani epistolæ integræ: quarum *prima* longa exhibetur & accurata censura de Cardinalis Bentivoglii *Historia bellorum Flandricorum*. Laudatur ea magnifice, sed nec nævi ejus præmittuntur silentio. In *secunda* contendit Capellanus, historicum omnino debere sua interficere de rebus expositis judicia, hisque carentem historiam insigni laborare vitio. In *quarta quintaque* de Hispanica poesi disserens, simul celebriores Hispaniæ Poetas laudat, itemque eos Hispanos, qui solutæ eloquentiæ præcipuam laudem habent in patria. *Sexta* in epistola, famosum illud Bodini *Colloquium* commemorans, ait, se jam ex Bodini *Methodo legendæ historiæ* deprehendisse, Bodinum religione Judæum esse. Eodem de *Colloquio* in sequenti Latina Conringii epistola hoc fertur judicium: *Infra laudem certe est eam, qua nonnulli athæi hoc scriptum prosequuntur. Ego (ita pergit Conringius,) religionem Christianam, quatenus illa sacris literis continetur, non minus firma arbitror demonstratione ostendi posse, quam est illa mathematicorum. Sententiam meam aperitius proposui p. 393, 394, 395 operis mei Epistolici. Quin & singulari libello pugna-*

p. 101.

171.

re

*re ejusmodi demonstrationibus pro veritate religionis Christiana adversus segreget, adeoque & Judeos, pridem paratus sui, jamque fecissem, nisi negotia impedivissent. Epist. octava rursus docet Capellanus, Bodinum simulatorem Christianæ religionis, re vera Judæum fuisse, matremque habuisse foras Christianam, iustus & in cute Judæam, majoribus ortam Judæis Hispanis. P. 181 sqq. exhibentur judicia Capellani de octoginta novem scriptoribus Gallis, qui fama florere A. 1652, conscripta jussu Colberti. Etiam his Editor subjunxit annotationum suarum non nihil, in quibus & dissentit aliquando a Capellano. Hic, ut pro specimine aliquid de'ibemus, magna laus tribuitur Francisco Hedelino, Varrillasio, Auberio, Huetio, Hamelio, Gaulmino, Tan.Fabro, Cotelerio, Valesio utrique, Maignano, Rapino, Vayerio, Delachambrio, Conarto, Ablancurtio, Carpentario, Mezeræo, Silhonio, Pelissonio, Cornelio, Perefio: Sorberius vero *Cap. XI* vix pro mediocriter docto habetur, & *Cap. II* Menagii eruditio perparvi æstimatur, isque, quicquid scripserit, aliunde hausisse dicitur. Illud observatione nostra non indignum, quod *Cap. LVIII* offendimus judicium de ipso Capellano, qui vir bonus & candidissimus vocatur, eximie etiam eruditus, judicii tamen plus habens, quam ingenii, & perbonus futurus historicus, si non sese dedidisset poetæ epicæ. Repetimus hac occasione haud immerito Editoris de eodem sententiam, in Præfatione apertam. Concedit scilicet, *Puellam ejus Aureliquesem* haud injuria contemni: at virum de cetero eum fuisse imprimis doctum, grammaticum excellentem, historicum egregium, politicum perfectum, criticum denique sagacissimum.*

SINGULARIA WEINRICHIANA.

hoc est,

M. JOANNIS MICHAELIS WEINRICHI,
aule Ducalis Meinungensis Diaconi, vita & ode sacræ,
editæ a JOANNE CASPARO WEZELIO,
Rambildensis ecclesiæ Diacono.

Gg

Nori-

Noribergæ, apud heredes Jo. Dan. Taubert, 1723, 8.

Alph. 1 pl. 1.

Non primus hic est Weirichius, quem novit orbis literatus, sed Lipsiensis nostra Academia habuit Georgium, Thomam, Martinum & Melchlorem Weirichios, prima scholæ Iſenacenſis cathedra Valentinum & Jeremiam Weirichios, viros doctrinæ laude florentiſſimos. Hac e ſtirpe prognatus eſt noſter Weirichius A. 1683 d. 12 Octobris, ingenioque in Jenenſi & Erfurtenſi Academiis ſtrenue exulto, A. 1712 præfectus Lyceo Meinungenſi, hinc A. 1722 adſcitus inter Concionatores aulicos, A. 1727 d. 18 Martii præmatura morte rebus humanis ereptus. Non libet pluribus ejus fata perſequi, a Reverendo Autore non indiligenter expoſita. Illud noſtrum eſſe putamus, ut e libris libelliſque ab eo doctiſſime compoſitis commemoremus potiores. Edidit ſcilicet ſeptem Diſſertationes *de nummiſ Hennebergeniſibus*, novem *de regno & republica Carthagenſium*, *Hiſtoriam urbis Erfurti*, *Hiſtoriam eccleſiaſticam Hennebergicam*, *Ciceroniſ de officiis libros III* cum notis ſuis philologicis, *Methodum docendi literas humaniores*, *Grammaticam Hebraicam*, *Pentadem hiſtoricam & theologicam*, *Parentationes Germanicas*, plura, ſi vita ſuppeditaſſet, editurus, e. g. librum *de Coadjutoribus*, & *Hiſtoriam eccleſiaſticam Erfurtenſem*. De odis ejus ſacris Germanicis (quo ſermone etiam vita contexta eſt) nihil addimus. Illud tamen hac occasione non duciopus prætermittendum, Rev. noſtrum Wezelium nuper edidiſſe quartum Tomum *Hymnographiæ ſuæ*, hoc eſt, operis Germanici, quo luculenter deſcribit vias Germanorum illorum, qui ſacras odas compoſuerunt ſermone patrio. *Primus* Tomus prodietat A. 1719, *ſecundus* A. 1721, *tertius* A. 1724.

BIBLIOTHECA GENEALOGICA.

Das iſt:

Ein Verzeichniß aller alten und neuen Genealogiſchen Bücher ꝛc.

h. e.

DESIGNATIO LIBRORUM OMNIUM GENEALOGICARUM.

nealogicorum tam veterum quam recentiorum, omniam orbis gentium, accurato ordine digesta a JOHANNE HUBNERO, Jun. Juris Candidato.

Hamburgi, apud Christianum Wilhelmum Brandt, 1729, 8.

Alph. 1 pl. 16.

Surgit in patrias laudes Cl. *Hübnerus* junior, a prima juventute studiis historicis egregie innutritus. Is postquam haud ita pridem *Lexicon Genealogicum portatile* edidit, mox iterum typis subjiciendum, nunc, erudito Orbi sistit *Bibliothecam Genealogicam*, in qua, præmissis libris, qui ad Genealogias Deorum, ut & in universum ad Genealogias, & speciatim quatuor Monarchiarum, spectant, omnium Europæ Regum, Principum & Comitum Scriptores Genealogicos ita expendit, ut Autorum vitas breviter exponat, librorumque scopum, editiones diversas, & si quæ alia notatu digna de iis memorari possunt, stylo plano & luculento describat, atque adeo in studio Genealogico feliciter progressero viam quodammodo monstrat. Ut aliqua e libro non magno specimina adducamus, de *Rud. Diepholdi Genealogia orbis universi* observat, in Bibliotheca urbis Hamburgensis exstare exemplar libri, cui sua manu Celeb. Petrus Lambecius adscripserit varias tabulas Genealogicas. *Alphonsum Lopez de Haro* in libro Hispanico *Nobiliario Geneal.* optima quæque Stephano de *Garibay* surripuisse, in ceteris vero tam sublestæ fidei esse memorat, ut altero statim post librum editum anno nempe 1623 publico decreto fuerit prohibitum, ne quisquam in tribunalibus Hispanicis ad librum hunc provocare auderet. Cum *Francisci de Roseres Stemmata Lotharingæ ac Barri Ducum* attingit, quo libro Autor Guisais aditum ad Regnum Gallicum, si Henricum III mori contingeret improlem, parere tentabat, carceresque Autori ideo inflictos, ejusque revocationem ac deprecationem solennem præsentem Rege factam, e *Thuano* referi, simul animadvertit, hæc in unica *Thuani* editione, quæ A. 1620 partim *Aurelius* partim *Genevæ* quinque Tomis in fol. prodit, in ceteris vero libri editionibus nequaquam, exstare. Quando vero de *Christophori Butkenii Trepais Brabantie* agit, libro antehac rarissimo, nonnulla visa no-

p. 17.

60.

192.

247 sq.

bis sunt admodum dubia, quæ hic moneri haud ægre laturum speramus. Primum enim ait, librum hunc eodem A. 1641 Latine duobus Tomis & Gallicè unico prodiisse, inductus, ni fallimur, a Longo, qui in Bibl. Hist. Franc. pariter Latine editionis meminit; etsi eam duobus Tomis constare, non referat. At valde veremur, ne nunquam prodierit Latina illa editio, cujus quippe nuperi editores Hagienfes nullam fecere mentionem, qui & discrete scribunt, Autorem non nisi primum Tomum Gallicè editum absolvisse, alterum vero, A. 1650 mortuum, ineditum reliquisse, quem illi demum nacti, A. 1724 cum Primo, cujus exemplar manu autoris infinitis fere locis correctum obtinuerunt; in lucem produxerunt, qui & A. 1726 (quod hic obiter notamus) Supplementum libri duobus pariter Tomis dederunt, quo & status ecclesiasticus Brabantiz (quem ipse Butkenius Tomo II leviter saltem attigerat, adeo ut, quæ huc spectarent, plane omittenda, atque hic latius deducenda duxerint) & familia nobiliores, earumque imprimis res heraldica & genealogica, admixtis plurimis tabulis æneis, egregie illustratur. Deinde Noster se legisse testatur in Epistolis Petri Scriverii, quarum quindecim in Ant. Mithæi Analectis veteris ævi Tomo III a p. 1 ad p. 558 continentur, verba hæc Gallica: *ce Butkens est décrit comme un imposteur, qui a forgé de faux actes, pour appuyer ses mensonges.* Sed nec Scriverius unquam Gallicè scripsit, nec in Analectis illis Tomo III quindecim illas Epistolas reperias: exstant autem in iisdem Analectis Tomo I a p. 542 ad p. 576, & legitur illud de Butkenio iudicium p. 558, Epistola scilicet octava, his vere verbis: *Exortus est nuper stolidæ audaciæ & intolerabilis palpi C. Butkenius. Hic fanaticus Ducum, Principum, Nobilium, etiam privatorum acta, rationes, stemmata, & origines in numerato habere, atque ea quæ nunquam facta, scire videtur; nunc Comites, nunc Barones crepat, confectis diplomatibus, vera falsa que juxta habet.* Enimvero quam falso Scriverius imposturæ postulaverit Virum ceteris omnibus probatum, novi Editores in Præfatione docuerunt. Atque hæc occasione libri Butkeniani, cujus novam editionem non plane intactam, pro ratione instituti nostri, prætermittere debuimus. Inter Austriacas Genealogias pro-

producit Noster Jo. Seifridi *Arborem Antiam*, in qua Austriaci a p.390 sq.
 Flavio Anicio Leone, a quo & Petri Leones (*Pierleoni*) Romani
 descendunt, deducuntur, observans, ipsum Imp. Ferdinandum II
 lecto libro sæpius in hæc verba erupisse: *Metuo, ne, cum docti*
nimum rimentur nostrorum Majorum originem, aliquando
perveniant ad opilonos. Etli vero & Scioppius Seifridum hunc
 vehementer pro more suo allatraverit in *Stemmata suo Austriaco*,
 hujus tamen partes tuendas ipse quoque Lambecius suscepisse
 memoratur, qui Scioppianum illum sætum nullius pretii, in quo
 ne mica quidem falsi contineatur, pronuntiaverit. *Francisci*
Adami Comitis de Brandis libellum vernaculum *Frichbringend*
Oesterreichische Lorbeer-Zweig, prodiisse etiam Latine, eodem
 interprete, sub titulo: *Fama Austriaca*, cui tamen editioni pau- 411.
 ca quædam plagulæ accesserint, probe animadvertit Nob. Autor,
 Jo. Ludovici *Schænleben* *Dissertationem polemîcâ de prima ori-*
gine domus Habsburgo-Austriaca 1681 in fol. editam, quo anno 414.
 vix evulgato libro d. 15 Oct. Autor Laybaci in patria decessit, opus
 vocat immensi laboris. *Collectaneorum Genealogico-Historic. Au-*
stria Infer. Viennæ 1705 in fol. editorum, quæ in Actis A. 1706
 M. Apr. p. 186 recensuimus, jam tum suspicati, librum Autorem
 habere Virum quendam Illustrissimum, quem tamen nominare
 tum non ausi sumus, verum Autorem esse Ill. Comitem Jo. Wil-
 helmum de Wurmbrand, Consilii Aulici Imperialis Præsidentem ho-
 die longe gravissimum, & maximum literatorum Mæcenatem,
 qui in colligenda Bibliothecâ instructissima nullis sumptibus par-
 cit, aperte profitetur. *Wigulei Hundii Genealogias Bavaria,*
 hæctenus admodum raro proflantes, a docto quodam Monacho
 monasterii Mellicensis in Austria summo studio nunc continuari
 & novis typis parari, nuntiat. Autorem quoque detegit *Epheme-*
ridum histor. Ducum Württemberg. Ulmæ 1706 in 8 vernacula, sed 430.
ερωτικώς editarum; Virum nempe doctissimum, *Job. Ulr. Pre-*
gizerum, Prof. Histor. Tubing. A. 1712 mortuum. Denique no-
 tamus, librum vernaculum *Levini von Ambeer Sachsen-Lauen-*
bürgischer Stammsfall &c. Hamburgi 1690, 4 editum, quem mul-
 ti antea Consult. D. Christiano Gothofredo Franckensteinio no-
 stro adscripserunt, certis argumentis a Nostro Immanueli Webe-
 ro,

ro, Prof. Hist. postea Juris in Academia Giessensi, A. 1722 defuncto, vindicari, qui nomen suum anagrammate quodam designaverit.

**SYLLOGE ALIQUOT SCRIPTORUM DE
bene ordinata & ordinanda Bibliotheca, studio & opera
JO. DAV. KOELERI, P. P. & Bibliothecarii
Altorfni.**

Francofurti, apud Jo. Stein, 1728, 4.

Alph. 2 pl. 4.

UT paucis nos expediamus, agmen inter libros rariore ab Ampl. *Kalero*, scriptis longe majoris momenti, quæ ipse eluebravit, hæcenus clarissimo, hic collectos ducit *P. Jb. Garnerii & Soc. Jesu Systema Bibliotheca Collegii Parisiensis Societatis Jesu* (cujus, dum viveret, præfectum, ipso p. 8 teste, agebat) Parisiis 1678 editum. De quo si quid monendum esset, mireris merito, Virum tam eruditum exillimare, quasi ante Plinium & Strabonem nemo Geographiam excoluerit, p. 49. Nonne ipsa *Historia Naturali Plinii* antiquior est *Pomponii Mela Cosmographia*, utpote quam ille libro statim primo inter fontes, ex quibus sua hausit, laudat? Mirum quoque videbitur nonnullis, quod p. 49, 61 & 72, Europææ opponat *historiam peregrinam*, sub qua mox p. 52 Africanam solum & Americanam comprehendit: quod p. 49, 52, 61, 74 & 75, novo plane sensu accipiat *novum orbem*, pro Asia videlicet, Africa & America: quod p. 83 & 84 hominem velut oppositum animalibus consideret, quasi is non æque ac reliqua, sit animal: quod p. 84 spirituum bonorum cognitionem Theologiæ, malorum Historiæ naturali adjudicet, quo fundamento, haud constat; videntur enim hi eodem jure, quo illi, Theologis relinquendi. Sed hæc addidisse nævis, quorum Cl. Editor in Præfatione mentionem fecit, sufficiat. Ad alterum hujus Sylloges scriptum paucarum quidem plagellarum, sed oppidrarum, pergimus: *Projet d'une nouvelle Methode pour dresser le Catalogue d'une Bibliothéque, selon les matieres avec le Plan, par Frederic Rossgaard. Seconde* (prima editio ex mente Cl. Koeleri.

anno

anno proxime antecedenti prodit,) *Edition, augmentée de quelques Articles très-nécessaires, & mise en meilleur ordre. A Paris 1698.* Omnem industriam Autor in eo posuit, ut catalogi cujusvis Bibliothecæ rite componendi novam methodum ostendat. Id vero ita executus est, ut generaliori, qui observandus sit, ordine maxime posthabito, specialiore, exemplo editionum Thucydidis, exponat. Tota autem res eo redit. Divide singula Catalogi folia quatrifariam, constitue alio loco libros, qui vocantur, in folio, alio quartæ, alio octavæ & ultimo duodecimæ formæ, in singulis ordinibus ad amissim sibi ex adverso loca libros ejusdem rei, & si ejusdem census plures autores, vel unius auctoris plures editiones versionesque æquali forma extent, temporum rationem sedulo habe; sic uno intuitu id, quod cupis, commode poteris perspicere. Junxit huic Noster *Justi Fontanini* (Archiepiscopi nunc Ancyrani Reverendissimi olim hujus librariz suppellectilis possessori a Bibliotheca) *Dispositionem Catalogi Bibliothecæ Josephi Renati Imperialis S. R. E. Diaconi Cardinalis S. Georgii, secundum Scientiarum, Facultatum, Artium & Rerum classes. Romæ ex Officina Fr. Gonzaga 1709* (potius 1711.) in fol. Respicit hoc Schediasma partem posteriorem Catalogi ejusdem Bibliothecæ, cujus prior quippe nomina Auctorum alphabetico ordine recenset. Cum vero de utraque in Actis his A. 1714 p. 218 seqq. dictum sit, non est, quod hic addamus. Quarto loco exstat *Dan. Guil. Molleri, P. P. & Bibliothec. Altorf. Commentatio de Technophysiotameis, Germanice von Kunst-und Naturalien-Rammern. Altorf 1704.* Juvabit singula capita hujus opellæ lectu jucundissimæ indicare. Postquam in Præfatione instituti ratio fuit exposita, agitur I de Technophysiotamei onomatologia & pragmatologia, II de causa efficiente, III de materia, IV de forma, quinque classibus, quarum quælibet plures habet inscriptiones, absoluta, V de loco, VI de fine, VII de præstantioribus nonnullis Orbis Technophysiotameis, VIII de ratione modoque res curiosas colligendi, IX de consagracione Technophys. & X de eorundem Præfectis. Coronidis tandem loco quadrigæ huic subjungit Cl. Editor *Bibliothecam MSScrum maxime Anecdotorum, eorumque ex recensione Jo. Jac. Moseri, Noribergæ 1722 editam.*

Recen-

Recensentur hic 1) *Everhardi Wassenbergii Diocesis Ratisbonensis illustrata. VII Volum. fol. post A. 1654 conscripta.* 2) *Valentini Prevenhuberi Annales Styrenses* (ab origine urbis Styrae anno P. C. N. 735 usque ad 1619) *MS. spissum volumen literis minutis scriptum, fol. quod ad Bibliothecam Viennensem Windhagianam spectat.* 3) *Jo. Josephi Ganzenmulleri Matricula Diocesis Ratisbonensis Vol. in fol. quod una cum n. 1 in Bibliotheca Monasterii S. Jacobi ad Scotos Ratisbonae asservatur.* 4) *Volumen varia Jura, Privilegia & Diplomata antiqua, Austriaca praesertim, continens, fol. min. Seculo XV compilatum, & ex Bibliotheca S. Mariae ad Scotos Viennae communicatum Excell. Mosero, qui summa cum cura singulas ejus paginas excussit. Arridebunt harum rerum amatoribus praesertim lectionum diversitates, quarum etiam minimas ex Speculo Suevico MSto cum editione Jo. Stepb. Burgermeisteri in Cod. Jur. Germ. Part. priori; ex Jure Feudali Suevico cum editione Jo. Schilteri & ex Recessu Comitiorum Wurzburgensium sub Rudolpho I Imp. habitorum cum editione Christoph. Lehmanni in Chron. Spir. collatis ille notavit.*

Prodiit nuper admodum Supplem. Tomi IX Sectio XI, qua continentur: 1) *Lud. Ant. Muratorii Rerum Italic. Scriptores. Tomus IX. Mediol. 1726, fol.* 2) *Eustachii Mansfredi & Soc. novissimae Ephemerides motuum caelestium ab A 1726 ad 1750. Tomi II. Bonon. 1725, 4.* 3) *Bibliotheca Historico-Philologica, Tomi VIII. Brenae 1718-1725, 8.* 4) *Ant. Collins Schema Prophetiae literalis &c. Londini 1727, 8.* 5) *Thomae Woolstonii Discursus de Miraculis Salvatoris nostri &c. Lond. 1727, 8.* 6) *Tentamen Historiam Naturalem S. Scripturae concernens. Lond. 1725, 8.* 7) *Bern. Seb. Cremer Exercit. Theol. Decas de summa Sapientia ex Prov. VIII. 22-36. Harderovici 1724, 4.* 8) *Mich. Alberti Systema Jurisprudentiae Medicae. Tom. I Halae 1725. Tom. II Schneebergae 1729, 4.* 9) *Jo. Phil. Burggravii de Viribus Auri Medicis &c. Commentatio.* 10) *S. P. C. Emendationes & explanationes locorum quorundam Orationis primae Themistii.* 11) *Sam. Colliberi Historia Critica rerum ab Anglis mari cum Batavis gestarum. Lond. 1727, 8. Ultima hujus Tomi Supplem. Sectio cum proximo Mense proditura est.*



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXIX.

THE PRINCIPLES OF THE PHILOSOPHY
of the expansive and contractive Forces &c.

hoc est,

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ DE VI EX-
pansiva & contractiva, sive Examen principiorum philo-
sophiæ modernæ; Autore ROBERTO GREEN,
M. A. & Aula Clarensis Socio.

Cantabrigiæ, typis Academicis. Prostat Londini apud Jacobum
Knapton, Robertum Knaplock, W. & J. Innys & B. Motte,
1727, fol.

Alph. u.

Displicent Cl. Auctori principia philosophiæ, quibus hodie
in Anglia utuntur in rerum naturalium causis explican-
dis. Displicent quoque moderna Geometrarum princi-
pia. Dissensum suum jam declaraverat A. 1712, cum principia
philosophiæ naturalis sub forma minori ederet, quam vulgo octa-
vam vocent. In iis enim totus erat, ut insufficientiam principio-
rum hodie in Anglia receptorum ostenderet atque novorum ne-
cessitatem evinceret. Nunc vero in singulis mentem suam multo
uberius declarat novaque principia sua proponit. Monet in præ-
fatione, notiones philosophorum recentiorum, si excipias, quæ
de gravitatione universali *Newtonus* a *Keplero* Germano mutua-
tus sit, derivatas esse a *Galileo* Italo & *Cartesio* Gallo, adeoque vel
hoc nomine suspectas, quod in Angliam venerint ex terris, ubi
superstitio & nugæ in religione principatum tenent, Atheismi vel
Deismi labe philosophiam necessario inficientes. Se vero propo-

Hh

nere

nere philosophiam Anglicanam, philosophiam Cantabrigiensem, philosophiam Clarensem, quippe in Anglia & quidem Cantabrigie in aula Clarensi natam & educatam, quam *Greenianam* appellari velit. Opus præsens, in quo eam orbi literato offert, in septem dividit libros, quorum primo principia mechanica *Galilei*, *Hugenii*, *Newtoni* & *Joannis Keill*; secundo physicam Astronomiam *Kepleri*, *Newtoni* & *Gregorii*; tertio principia anatomica *Gibsonii*, *Jacobi Keill*, *Drakii*, *Danielis Tauvry*, *Blancardi* & *Alphonfi Borelli*; Chymica *Nicolai Lemery*, *Boylei* & *Freindii*; pneumatica & hydrostatica *Wallisii*, *Halleji* aliorumque; quarto optica, catoptrica & dioptrica *Cartesii*, *Jacobi Robault*, *Guilielmi Molynæux*, *Gregorii* & *Hugenii*; quinto metaphysica & logica *Lockii*; sexto moralia & theologiæ naturalis *Lockii*, *Cartesii*, *Clarkii* & *Wollastonii*; septimo principia mathematica, fluxionum, infinitarum serierum, Algebræ ad examen revocat. In præsentem dicimus de iis, quæ quatuor libris prioribus continentur; proxime autem de ceteris, quæ tribus posterioribus comprehenduntur, & quæ sub titulo miscellaneorum quorundam philosophicorum lingua Latina conscripta appendicis instar subjiuntur.

Dum libro primo principia philosophiæ mechanici in Anglia hodie recepta expendit, primo quidem loco adversus *Newtonum* disputat, cujus materiam similem, vacuum & novam luminis, colorum atque sonorum theoriam rejicit. Ipse nimirum negat vacuum in natura existere, & materiam esse homogeneam ac similem, qualitates sensibiles derivari a diversis modificationibus materiæ homogeneæ, aut figuris corpusculorum; sed eas proficisci existimat a certis viribus materiæ in hærentibus, quas sibi explanandas proposuit. Sed cum *Newtoni* affectæ prætendant, Geometram summum vacui existentiam, quod in hypothese materiæ similis necessario admittendum existimat, demonstrasse; singula ejus argumenta, quæ in Optica & Philosophiæ naturalis principiis mathematicis pro eodem adstruendo adduxit, expendit & quam procul ab evidentia ac certitudine demonstrationis absint, ostendit. Assertum *Newtoni*, quod in ipso auro, materia omnium densissima, plures sint pori, quam particule solidæ, trans-

transubstantiationem philosophicam vocat, quæ soliditatem ob-
 viam seæ sui, visibilem atque palpabilem in spatium vacuum ver-
 tat, transubstantiatione pontificia absurdiorē crediturque diffi-
 ciliorem, sensuum quippe testimonio e diametro oppositam.
 Ipse poros nullos in corporibus admittit, sed absque iis ex no-
 tione pleni & materiæ heterogenæ phænomena naturæ multo
 facilius solvi contendit, in quibus solvendis pororum opem im-
 plorat *Newtonus*. Dissert secundum nostrum materia una ab altera
 vi in hærente seu actione in aliam. Unde si globus argenteus
 aqua plenus, ubi valide comprimitur, aquæ transitum concedit;
 nullis hic opus esse poris existimat, sed aquam vi extrinseca per
 compressionem ad intrinsecam accedente fieri argento, cuius alias
 vi vincitur, superiorem atque adeo eodem prorsus modo sibi vi-
 am parare, per quam elabatur, quo acus chartam perforat, & cu-
 jus nullum antea in continua argenti materia vestigium aderat.
 Similiter argentum vivum vi sua innata ingredi in substantiam au-
 ri, aquam fortem in ferrum, salia in aquam, lumenque non alio
 modo transire per vitrum, vique magneticam per corpora den-
 sissima, utut omnes istæ materiæ sint continuæ ac poris destitutæ.
 Omnia spatia cum sint plena, materiam nullam comprimi posse,
 nisi quatenus alia heterogenea eidem interspersa, quæ minore vi
 prædita est quam ipsa: tum enim vi externa tantam fieri com-
 pressionem, quanta sufficiat, ut vis externa accedens in hærenti ma-
 teriæ interspersæ eam vi alterius partem efficiat. Postquam ex hi-
 storis literaria veterum philosophorum Græcorum prolixè do-
 cuit, quidnam de vacuo & pleno statuerint, præteream *Keilii* de-
 monstrationem in nova editione Introductionis ad veram Physi-
 cam confutat, qua is stabilire conatur, data quavis materiæ quan-
 titate quantumvis exigua & dato spatio quovis finito utcumque am-
 plo, quod v. gr. sit cubus, qui spheram Saturni circumscriberet,
 possibile esse, ut materia istius arenulæ per totum illud spatium dis-
 fundatur, atque ipsum ita adimpleat, ut nullus sit in eo porus, cuius
 diameter datam superet lineam. Refellit etiam alterum ipsius
 theoremata de æqualitate spatiorum vacuorum vel materia subtili
 repletorum in duobus corporibus mole æqualibus, sed materia
 propria utcumque differentibus, veluti in digito cubico auri &

aeris vulgaris non condensati. Non opus esse existimat Noster
 poris istiusmodi rectilineis in corporibus diaphanis, ut lumen
 transmittatur; sed in hypothesei pleni & materiae dissimularis va-
 riis ac diversis viribus induta luminis transmissionem clarius pa-
 tere, ad quam sufficiat vis expansiva corporum diaphanorum,
 cum vi expansiva luminis concurrere & actioni eius libertatem
 concedens, cum e contrario corpora opaca, majore vi contractiva
 quam expansiva instructa radiis resistant eosque repellant. Similiter
 in eadem hypothesei rectius patere arbitratur, undenam sint co-
 lores corporum permanentes, quam in theoria luminis heteroge-
 nei *Newtoniana*. Etsi enim lumen homogeneum sit, ubi tamen
 incidit in corpora diversa, vi expansiva & contractiva praedita, di-
 versas inde recipit impressiones, quas pleno ambienti communi-
 cans oculos nostros perfringit. Examinat experimenta *Newtoni*,
 quibus heterogeneitatem luminis probat. Varios colores iridis
 deducit a diversa enervatione radiorum solarium in medio aquo-
 so diversae densitatis. A materia ad motum digreditur. Displi-
 cent cum notiones, tum theoremata *Galileana* a mathematicis
 modernis adoptata & a *Keillio* in Introductione ad usum phy-
 sicam proposita. Motum abstractum, qualem concipiunt Mathe-
 matici sive in pleno, sive in vacuo similari, a rerum natura ab-
 horrere. Notionem motus realis supponere notionem materiae
 realem, a qua abhorreat recepta non involvens nisi extensionem
 & vim inertiae. Spatium absolutum, quod in motu abstracto con-
 sideretur, non existere in rerum natura. Idem valere de tempore
 absoluto. Notionem temporis ac spatii realem derivandam esse ab
 observationibus rerum existentium, a quibus separari utrumque
 non possit. Tempus reale mensurandum esse motu quodam rea-
 li, minime autem tempus abstractum fieri posse mensuram realem.
 Cum adeo theoremata de motu corporum in philosophia mecha-
 nica a notionibus abstractis, quae sint imaginationis nostrae factus,
 deriventur, ea non magis inservire naturae explicandae existimat,
 quam elementa *Euclidis* extensioni reali illustrandae, qualis in cor-
 poribus existit. Si vel centum istiusmodi demonstrare possis the-
 oremata de motu, eorum tamen ope te nihil profus proficere in
 motus realis proprietatibus cognoscendis, qualis in igne, aere,
 aqua

aqua & in ipsa fortassis Mechanica detur. Illa igitur theoremata, quæ ex *Keillii* Introductione ad veram Physicam & *Wallisii* Mechanica citat; sigillatim expendit, ac ideo potissimum improbat, quod in iis materia supponatur tanquam similis, in qua nulla attendenda sit differentia præter magnitudinem ac partium numerum; quod idem sit in singulis partibus mobilis motus; quod spatium & tempus assumatur abstractum. Aliud igitur proponit de motu Systema, quod naturæ rerum congruum, adeoque utilius esse existimat systemate communi motus abstracti a natura rerum abhorrentis apud Mathematicos recepto. Deducit in eo mensuras quantitatis motuum, celeritatis, temporis, spatii ex hypothese virium intrinsecarum sive expansivarum, quales tribuit corporibus elasticis sive contractivarum, quales tribuit gravibus. Vim concipiendam esse in continuo conatu. Vim expansivam concurrere cum velocitate; contractivam in contrarium agere: id quod exemplo gravis perpendiculariter projecti declarat. Corpora vi expansiva, qua induuntur, continuo a centrīs actionum suarum recedere conari, dum interea vi contractiva versus idem comprimantur ac condensentur. In auro maximam esse vim contractivam vi ponderis, & maximam expansivam vi coloris, qui proxime ad Solem accedat, cui insit vis expansiva, qualis in igne & flamma obvia. Unde sibi persuadet, argentum vivum in aurum immutatam iri, si ei vis expansiva ignis communicari possit. A variis & insitis virium istarum mixturis ac combinationibus in diversis proportionibus diversas oriri formas & species rerum materialium ac inde corporum qualitates ac proprietates melius explicari, quam per imaginarias figuras & texturas partium in systemate corpusculari introductas. Displicent quoque Nostro recepta in staticis theoremata de quinque potentiis mechanicis, vecte, axe in peritrochio, trochlea, cochlea & cuneo, multaque contra eadem objicit: impugnata autem doctrina recepta, principiis suis conformem theoriam tradit, considerans vires expansivas & contractivas in datis a centro detentionis, qualis in vecte & ceteris potentiis mechanicis, axe in peritrochio & trochleis occurrit (cochleam enim & cuneum ex earum numero proscribit,) distantis agentes & principia sua ad explicandas planetarum revolutiones

circa Solem applicat, quorum centrum detentionis in eodem consistit. Eadem quoque transfert ad vim intrinsecam expansivam ignis, animalium in actionibus eorundem, plantarum in vegetatione, nec non corporum odoriferorum & coloratorum, atque ad contractivam in frigore, salibus, luna. Lunæ vi contractivæ multum attribuit in sublunaria influxum. Has autem commemorat virium expansivarum & contractivarum leges: 1) vim contractivam, quæ in contrarium vis contractivæ agit, æquivalere vi expansivæ agentis a centro & contractivæ agenti versus centrum; 2) vim expansivam, quæ in oppositum contractivæ agit, æquivalere contractivæ agenti in contrarium contractivæ, aut expansivæ agenti a centro & contractivæ agenti versus centrum; 3) vim expansivam agentem in oppositum expansivæ æquivalere contractivæ agenti adversus contractivam aut expansivæ agenti a centro & contractivæ agenti adversus centrum; 4) vim expansivam secundum eandem directionem agentem cum vi alia expansiva aut contractivam agentem secundum eandem directionem cum vi alia contractiva æquivalere vi expansivæ ab eodem centro crescenti, vel contractivæ adversus idem crescenti. Per Solis vim expansivam & Lunæ atque Telluris vim contractivam omnia solvere conatur phænomena fluxus & refluxus maris. Vim vero illam determinatam contractivam & expansivam singulis corporibus peculiarem a mero Dei beneplacito deducit. Etenim cum maxima varietate distributæ sint hæ vires per materiam, eas non posse esse a seipso. Quoniam vero ita distributæ sunt, ut systema regulare ac ordinatum & adeo constans producant; a mente infinita easdem pendere, consequenter hinc existentiam Dei hac ratione omnium evidentissime probari. Immo ex hac ipsa hypothesis, quod natura rerum consistat infinito actionum viribus differentium & directiones contrarias habentium numero, quæ infinitis modis variantur, per spatium infinitum extenduntur, viribus intrinsecis exactissime proportionantur, & ordinem rerum, quem præsentem contuemur, exactum, pulchrum ac excellentem producant, attributa Numinis, infinitudinem scilicet, omnipotentiam, sapientiam, omniscientiam, justitiam & bonitatem, mundi-que creationem & annihilationis ejusdem possibilitatem infer-

Pro-

Progreditur Autor ad nutum corporum durorum, mollium & elasticorum concursum, & quicquid a modernis Mathematicis de motu corporum ex percussione demonstratur, tanquam erroneum rejicit, propterea quod iidem supponunt notionem materię similis & ad motum ac quietem indifferentis, & utuntur principiis, iudice Nostro, imaginariis & a naturę realitate alienis. Ipse enim arbitratur, actionem seu vim, quam in expansivam & contractivam dividit, esse veram materię essentiam; materiam non esse vis subjectum, sed vim ipsam. Utrumque principium vis contractivę & expansivę resolvi in unum actionis. Et quamvis animam immaterialem esse statuat, eidem tamen non minus ac materię vim expansivam & contractivam tribuit, per quam corpori unitur. Hanc autem statuit de vi expansiva & contractiva legem naturę generalem, quod, si duę vires fuerint æquales, sed contractivę indolis & una versus alteram agat, veluti expansiva adversus contractivam, inde oriatur perpetuus motus ac conflictus inter eas, neutra adversus alteram prævalente; quod si vero contingat unam adversus alteram prævalere, effectus vis oppositę aliquatenus sufflaminetur, nequaquam vero penitus destruat vel annihilentur. Hinc motum perpetuum impossibilem esse iudicat in terra, quod vis contractiva telluris & corporum terrestrium sit infinite superior expansiva a Sole vel ignibus subterraneis in eadem derivata. E contrario motum perpetuum in cœlis ex æqualitate vis contractivę planetę & expansivę Solis in diversis eorum a se invicem distantis derivat. Similiter ventos, tempestates ac procellas ex conflictu vis expansivę Solis & contractivę Telluris atque frigoris oriri. Ab eodem derivat formationem liquidorum & solidorum corporum, hoc quidem discrimine, ut orta ex pugna virium fermentatione tandem prævaleat in fluidis vis expansiva, in solidis autem contractiva. Hinc in terra prævalere vim contractivam, in igne & aqua expansivam. Si vis expansiva Solis tanta sit, ut vim contractivam Telluris in fluiditatem resolvat, inde gigni aquam; si illa hanc in inflammabilitatem reducat, sic fieri ignem; si denique in fermentationem convertat, vegetabile quoddam aut metallum generari: ut adeo omnia naturę phænomena a variis proportionibus, mixturis & gradibus virium expansivam

sivarum & contractivarum deriventur, quæ in separatis & distinctis portionibus materiæ consistunt. Eandem, quam vocat, naturæ legem ad animam quoque transfert, & per dissensiones ac pugnas in eadem observandas confirmat, vi expansivæ, quam & repulsivam appellat, tribuens aversationem, vi autem contractivæ appetitum. Atque ideo vires & facultates animæ non minus ac corporum ad Mæthesin ac proportionem reduci posse affirmat, quod explicari debeat in *Psycheometria*. Influxum animæ physicum in corpus in eo consistere, quod vis contractiva animæ iungatur vi contractivæ materiæ & vis expansiva animæ in æquilibrio constituantur cum vi contractivâ materiæ: ita etiam omnia fluida in continuo motu ac circulatione conservari. Conatur hinc rationem reddere lethargiæ, februm, phrenesim, melancholiæ; somni, somniorum; multorumque morborum ac animi affectuum. Cum motuum doctrinam generalem ac gravium in specie, qualem tradidit *Galilæus*, rejiciat Autor; non mirum quod nec probet, quæ ex his principiis deducuntur de descensu corporum gravium in planis inclinatis & oscillatione pendulorum, nec adeo porro placeant, quæ hinc de figura Telluris deduxit *Newtonus* & contra quæ prolixè disputat, inventa *Newtoni* pro calculis ingeniosis reputans, qui sint a veritate alieni, quippe principiis precariis & imaginariis notionibus superstructi, quibus nulla in rebus extramentem realitas respondeat.

Hinc jam porro facile hariolari licet, quid de Astronomia physica sentiat Noster, quæ principem Principiorum *Newtoni* partem constituit & ad quam cetera fere omnia collineant. Totam denuo rejicit ac ideo primo loco principia impugnat, quæ initio operis sui de legibus naturæ ac motu, de corporum conflictu viriumque compositione Geometra tradidit. Quicquid enim de motu corporum ex percussione unanimi Mathematicorum consensu traditur, id in errorum catalogum refert, aliaque theorematâ ex notione vis expansivæ ac contractivæ derivata substituit: motuum vero receptam compositionem ipsi Geometriæ adversam esse ostendere conatur. Usus est *Newtonus* in Principiis ad subducendos calculos analyticos methodo rationum nascentium & evanescentium, quam vocat, seu quantitibus infinite parvis, Antequam

tequam igitur Cl. Autor Astronomiam physicam ipsam ad examina revocat, quid in methodo ista desideret, prout a Geometra proponitur, recenset. Nova est hypothesis, qua *Newtonus* utitur, ut Geometrix consentientes reddat ellipses *Kepleri*. Sumit enim planetas duplici vi urgeri, altera insita, quam & centrifugam appellat, qua iidem secundum tangentem ellipseos progredi nituntur, & vi centripeta, qua versus centrum Solis a motu rectilineo retrahuntur. Noster itaque Astronomiam physicam *Newtoni* subversurus propositiones fundamentales de motu curvilineo ex combinatione illarum virium oriundo & de mensura virium centripetarum impugnat. Multa hic precario sumi contendit, quae minime probentur, veluti vim projectilem sive innatam, qua secundum tangentem progredi conantur corpora, mensuram celeritatis in motu curvilineo, quo ea efficitur arcui descripto aequalis, ipsas vires centripetas earumque mensuram. Negat autem in universum propositiones istas de viribus centralibus ad phaenomena naturalia explicanda applicari posse, quod rerum naturae adversetur suppositio celeritatum ac virium aequalium in aequalibus spatiis eodem tempore descriptis. Quemadmodum enim spatium non aequaliter plenum statuit, sed actionem in una parte majorem, quam in altera; ita quoque eandem lineam eodem tempore diversa celeritate describi, seu actionem, vim aut velocitatem in eodem spatio eodem tempore infinitis modis variari posse. Eoque sine jam tunc temporis, cum philosophiae principia publicaret, proposuit Geometriam solidorum sive materiae, qua Mathesin cum natura in concordiam reducere conatur. Enimvero quia *Newtonus* physicam suam caelestem observationibus caelestibus conformem praedicat, ad eas quoque examinandas sese confert, nec tantum esse consensum, qualis vulgo praedicetur, ostendit. Et si vel maxime concedatur aliquis consensus, hinc tamen non aliud concludi, quam physicam caelestem *Newtoni* esse hypothesis ingeniosam ad phaenomena jam cognita solvenda aptatam, haud quam vero phaenomena ista accurato & mathematico ratiocinio a priori colligi, Hypothesis istam cum vorticibus & particulis striatis *Cartesii* pari passu ambulare. Theoriam minime Mathematicam effici, si ad notiones erroneas aptentur figurae & calculi

algebraici. In specie etiam ea examinat, quæ *Newton* de irregularitatibus & erroribus planetarum proposuit, nec non illas propositiones, quæ de viribus particularibus tradidit, quibus planetæ in orbitis suis retinentur. Tantam esse negat observationum astronomicarum certitudinem, ut inde veritas legum motuum cœlestium a *Keplero* traditarum evinci possit. Minime igitur philosophum decere existimat, ut omnes rerum naturalium notiones a fallibilibus observationibus astronomicis derivet, quemadmodum fecit *Newtonus*. Etsi enim largiamur *Kepleriana* cœlo consentire; rationi tamen minime conveniens esse, ut universam naturam ideo iisdem legibus subjiciamus. Philosophiam *Newtoni* magis esse artificiosam, quam veram; eam magis speculationibus geometricis, quam exactis ratiociniis esse refertam; plura in ea occurrere postulata precaria & abstractiones arbitrarias, quam leges naturæ reales ac theoremata philosophica. Omnem linearum & angulorum, virium insitarum & centralium apparatus in physica Astronomia *Newtoni* non esse nisi fabulam theatralem, nullam vero habere extra cerebrum realitatem.

Dum Cl. Autor libro tertio ad principia chymica, anatomica, pneumatica & hydrostatica hodie in Anglia recepta examinanda progreditur, discursum de præcipuis corporum proprietatibus præmittit. Essentiam materiæ constituit actionem aut vim, quam, ut supra jam diximus, in contractivam & expansivam dividit, atque adeo qualitates corporibus ejus judicio insunt, quatenus vires istæ effectus quosdam producant in corporibus aliis, vel ab iis patiuntur. Ita e. gr. odorem ori afferit, ope minutissimarum percussionum & infinite exiguarum vibrationum aut momentaneorum impressionum, in ambiens plenum factarum. Similiter soliditatem, si a notione abstracta discesseris, esse sensationem actualem, quæ producitur actione corporis a vi insita profecta. Simili modo extensionem derivat ab actione corporis intrinseca, qua sublata fieri nequeat, ut ea videatur. Etsi enim notioni extensionis abstractæ in Mathesi locum concedat, ex philosophia tamen eam arcet, ubi proprietates reales corporis explicari debent, quatenus in rerum natura existunt. Corpus sine activitate fretum imaginationis appellat. Diximus jam supra, quod ipsi quoque
menti

menti vim contractivam & expansivam tribuat, non tamen ideo mentem materialem se facere profiteatur, cum perinde auro pariter ac igni utramque vim tribuat, utut substantiæ sint prorsus diversa. Differentiam nimirum illarum virium differētes efficere substantias. Unionem tamen mentis cum corpore possibilem agnoscit propter virium similitudinem. Prolixum nimis foret ad particularia descendere: in generalibus adeo acquiescere debemus. A generali tractatione ad Chymiam digreditur, hypotheseos suæ usui in phænomenis, quæ ipsa affert, explicandis ostensurus. Monet Chymiam hæcenus ea ratione fuisse pertractatam, ut a forma scientiæ aut disciplinæ procul abfuerit: Cl. *Frcindium* vero in Prælectionibus chymicis ad eadem capita generalia eandem revocasse, ad quæ ipsemet eam reducerat. Ut vero appareat, quomodo in hypothese vis contractivæ ac expansivæ phænomena solvat chymica; ecce tibi unum alterumque exemplum. Ita ex animalibus & vegetabilibus iudice Nostro facile separantur spiritus, oleum & sulphur, vi expansiva ignis, quia in illis vis expansiva prædominatur, nec vis expansiva ignis ad eorum formationem concurrat. Spiritus, phlegma & oleum procedunt a vi expansiva prædominante; salia & terra a contractiva. Spiritus Salis Ammoniaci præcipitat aurum in aqua regia solutum, quia majorem habet vim expansivam & minorem contractivam quam aqua regia, atque adeo vim contractivam inestruat debilitat. Effectus huius oritur ex pugna vis contractivæ ac expansivæ. Transfert deinde hypothesein suam ad explicanda phænomena in corpore humano obvia. Considerat hic primum tegumenta & involucria, cuticulam, reticulum mucosum, cutem, membranam adiposam & carnosam, communem membranam muscutorum, peritonæum atque omentum; deinde œsophagum, ventriculum, intestina, palatum, atque os; porro hepar, lienem, pulmones cum pancreate, mesenterium, venas lacteas, receptaculum chyli, ductum thoracicum, pleuram & mediastinum, cor & pericordium cum aorta & vena cava, nec non arteria & vena pulmonali. Ecce vero tibi & hic unum alterumque exemplum, unde appareat, quemnam in physiologia hypotheseos suæ usum faciat. Cuticula oritur a vi expansiva sanguinis & spiritus ex una parte, & vi expansiva con-

traria aeris ex parte altera, quæ respectu prioris contractivæ æquipo-
llet. Cuticula protruditur in crines, si vis expansiva sanguinis
vel spiritus fuerit maxima, ut vi contractiva aeris superior existat.
Crines sunt rufi a maxima vi expansiva sanguinis & spirituum;
candidi a minima. A majore quoque quantitate vis expansivæ
corporis major pendet statura. Corpora antediluvianorum ideo
facit gigantea, quod vis expansiva sanguinis major, vis contracti-
va aeris minor fuerit quam nostra ætate. Magna causa motuum
in corpore animali est conflictus continuus virium expansivæ in
corde & contractivæ in cerebro. Alimenta continent vim expan-
sivam contractivæ æquilibratam, quæ facile in chylum conver-
tuntur. Unde ex eorum numero excluduntur ea, in quibus alter-
utra harum virium prædominatur, veluti contractiva in metallis,
expansiva in igne. Ab æquilibrio vis expansivæ atque contractivæ
pendet chyli color albus: dum autem vis contractiva diminuitur,
expansiva prævalere incipit, chylus in sanguinem convertitur &
ex albo fit ruber. Quoniam vero principia hypotheseos suæ spar-
sim tradidit, ac examini eorum, quæ nunc in Anglia recepta sunt,
intersperfit, ideo sub finem doctrinæ anatomicæ ac physiologicæ
peculiari capite de his viribus ex instituto agit, atque notiones
imaginarias realibus constanter opponit. Materiam non esse nisi
actionem exemplo ignis atque solis probat, quæ sunt corpora om-
nium fluidissima. Similiter solida, v. gr. aurum, videntur atque
resistunt aliaque corpora, ut manum, cui imponuntur, premunt.
Unde denuo non aliud colligi posse existimat, quam quod agant.
Quicquid adeo sensu percipimus, ex eo nil quicquam aliud con-
cludi manifesta consequentia quam materiæ actionem. Actio-
nem istam distinguit in vim contractivam & expansivam, ut diver-
sitate harum virium & diversitate graduum uniuscujusque nascatur
differentia in pleno. Etenim vim expansivam esse actionem
similarem & homogeam a centro versus peripheriam; vim
contractivam non minus esse actionem similem & homogeam,
sed a peripheria ad centrum tendentem. Quomodo vis ex-
pansiva, veluti ignis atque solis, agat extra se, per se patere existi-
mat, quod a centro ad peripheriam tendat, adeoque in pleno im-
pressiones efficere debeat in ea, quæ directioni ipsius opponun-
tur:

tur: sed de vi contractiva actionem extrinsecam ita explicat. Nimirum dum in pleno vis contractiva agit a peripheria versus centrum, a materia reliqua regredi conatur, atque adeo regressu eodem modo influit in eandem, quo progressu suo in eam influit expansiva. In hoc regressu consistere attractionem, sicque vi contractiva telluris corpora terrestria fieri gravia attractione versus centrum & vi contractiva Lunæ effici æstium marinum. Vires ejusdem generis tendere ad se invicem in universo, ita ut vi expansiva prædita uniantur cum sole & fixis, vi contractiva prædita cum Tellure atque planetis, ætherem vero, qui immensa ista intervalla replet, nec vim expansivam solis, nec contractivam planetarum habere, sed prævalenti in dato casu obedire; aerem vero vim habere elasticam a mixtura vis expansivæ Solis & vis contractivæ Telluris, & ex conflictu vis expansivæ Solis ac contractivæ planetarum oriri horum motum translationis circa Solem. Regressum vis contractivæ comparat quantitativè negativæ, quæ signo exprimitur; progressum vero vis expansivæ quantitativè positivæ, quæ signo denotatur. Vim expansivam prævalens, dum quælibet res convertitur in vim suam expansivam seu actionem, veluti dum lignum in flammam conjicitur & una ignis portio alteri unitur. Hanc vis expansivæ productionem & virium ejusdem generis unionem deducit a mutua eorundem ad se invicem tendentia. Quæ vero de vi expansiva dicta sunt, eadem ad contractivam quoque applicari posse ait, cum hæc ab illa non differat, nisi directione. Vim quælibet expansivam & contractivam centrum actionis ubivis habere, ita ut ignis agat ad extra in tota massa & in singulis ejus partibus, quemadmodum in gravibus centrum gravitatis est in tota massa & singulis ejus partibus. Partes corporum eadem vi expansiva aut contractiva præditarum esse in æquilibrio, atque adeo inter se quiescere. Si duæ vires expansivæ vel contractivæ idem centrum actionis habentes, fuerint æquales, nullam produci alterationem in gradu virium; si vero inæquales fuerint, & una alteri permisceatur, majorem incrementum addere minori sed non minorem majori. Vis expansiva si fuerit æqualis contractivæ, perinde esse, ac si in Algebra adduntur quantitates positivæ & negativæ æquales, consequenter unam destruere effectum alte-

rius. Vim expansivam esse igneam, sive calorem, seu Solem; vim contractivam frigus & Salia, seu tellurem, Lunam & planetas, & omnes adeo materiae portiones componi infinite variis gradibus & combinationibus caloris atque frigoris invicem permixti ac temperati. Vim unam agentem in sui similem eandem promovere, sed, si expansiva agat in contractivam minorem, eam hanc adaugere; & in simili casu adaugeri etiam expansivam; scilicet si contractiva agat in expansivam se minime superiorem. Atque haec principia multo rectius inservire existimat phaenomenorum explicationi, quam vulgo recepta principia philosophiae corpuscularis. Dum ad pneumatica, hoc est, aerometrica, & hydrostatica progreditur, id imprimis agit, ut actionem spatii realis seu extensionis, seu plenum activitate varia praeditum adstruat, idem sequi ostendens inter alia ex notionibus Mathematicorum & philosophorum passim obviis, ne videatur confinxisse, quae a principis ceterorum prorsus abhorreant, sed talia tradidisse, quae alii vel ultro largiri debeant, nisi sua deserere principia veliat. Explicat praeterea phaenomena ad aerometriam & hydrostaticam spectantia per vim suam contractivam & expansivam. Ita Mercurius in barometro juxta Nostrum non gravitate aeris sustinetur, sed ascendit, quod caelo sereno vis expansiva aeris, tempestate autem frigida vis contractiva ejusdem augetur. Dum denique ad Opticam; Catoptricam & Dioptricam examinandum accedit, primum *Cartesum* & *Newtonum* impugnat, quorum ille reflexionem & refractionem ab impulsu & resistentia, hic ab attractione derivat. Multa quoque objicit contra ea, quae *Leibnitius* in his Actis A. 1682 p. 185 de refractione tradit, & inter alia reprehendit, quod argumento a finibus rerum desumpto justo ampliores assignet limites, cum eodem uti non liceat, nisi ubi factum, cui finis assignatur, per experimentum fuerit stabilitum, secus ac suaserit *Leibnitius*. Ipsam autem refractionis legem in finibus assignatam nondum adeo evidentem esse existimat, quemadmodum vulgo putetur. Inter factis quoque imaginationis refert divisionem luminis in radios rectilineos, quasi exigua filamenta, nec parallelismum radiorum solarium per infinitam solis distantiam probari affirmat, neque etiam parallelismum admittit in radiis ab objecto vicino

in

in oculo propagatis. Impugnat etiam radiationem punctorum visibilium in Optica suppositam, nec æqualem fert luminis per spacia quaquaversum diffusionem. Negat etiam per lentes convexas radios luminis ab eodem puncto visibili egressos in eodem uniri, nec probatum esse existimat, axes penicillorum luminis in directum jacere inter punctum radians & punctum imaginis eidem respondens. Verbo, non datur principium in Optica receptum, quod non evertat Noster atque rejiciat tanquam veris luminis atque medii, per quod propagatur, proprietatibus adversum. Quoniam principia ex Optica eliminanda esse judicat, facile apparet, quod nec demonstrationes Opticorum sint ad ejusdem palatum. Mouet autem, se non negare phænomena optica, sed principia, ex quibus explicari solent, atque ea de causa affirmat, partem optice demonstrativam nihil minus esse quam scientiam quantitatum mathematicarum a rebus, prout existunt, abstractarum.

*EPISTOLA J. G. G. H. M. P. ad J. B. M. DE
nova Steganographia.*

Vidi nuper novam Alexandri Marcelli Steganographiam, in Act. Erud. A. 1723, M. Jan. p. 38-40. De qua, quid sentiam, paucis indicabo, clavem, qua arcanum pandant, omnibus porrigam, & iis, quorum interest, offeram meliora. Personis summotum virorum artem scribendi occulte, utilem esse ac æstimabilem, largior manibus ambabus, nec repugnvero, si quis eam dixerit necessariam. Fatendum quoque est, inventa, quæ hactenus adspexerunt lucem, imperfectionibus laborare haud exiguis. Lubens præterea calculum addo quatuor istis præceptis: quod artificium debeat esse ab omni suspitione remotum; clavis universalis, simplicissima & innumeris apta variationibus; modus scribendi & legendi facilis; secretum denique insolubile. Illud vero mihi haud quaquam persuadere possum, Marcelli Cryptographiam omnibus his numeris absolutissimam, nedum novam, dici posse, nisi meliorem induat faciem. Liquores jam pridem varios commendavere, Porta, Schwenterus, Schottus, ut taceam alios; sed pro-

proditores sunt arcanorum, comparent enim statim, vel si char-
tam luci obvertas, vel igni admoveas, vel aqua illinias. Accedit,
quod difficilem reddant scripturam pariter atque lectionem. Num
ubique locorum ad manus erit liquor ejusmodi? quid, si visum
puncta nonnulla effugiant? Secretum detegi posse, & clavem non
esse *imperceptibilem*, res ipsa loquitur. En tibi illam, cum toto
arcano:

Clavis adulterina.

1	2	3	4	5	6	7	8
x	q	d	a	e	k	g	n
y	r	e	b	u	l	h	o
w	f	f	c	z	m	i	p

Literarum numerus epistolæ liberæ indicat columnas; puncta ve-
ro, sive superna, sive inferna, elementa notant columnarum.

<i>Litera Epist.</i>	<i>Columna Cla- vis.</i>	<i>Puncta Cla- vis.</i>	<i>Litera com- munis anguli.</i>
Optat.	5	:	V
a episto-	7	:	i
la tua	5	:	u
ad me	4	:	a
audiu-	5	:	t
s ter-	4	:	C
tius per-	7	:	h
ve-	2	:	r
nit illa	7	:	i
qu-	2	:	f
idem in-	5	:	t
agnopere	7	:	i

Litera

<i>Litera Epist.</i>	<i>Columna Clavir.</i>	<i>Puncta Clavir.</i>	<i>Litera communis angul.</i>
lxta-	4	.	a
tus sum na-	8	.	n
m me no-	5	:	u
n t-	2	:	s
a	1	:	W
m de optim	8	:	o
a tua va-	6	:	l
let-	3	:	f
udine qu-	7	:	i
am de f-	5	:	u
um.	2	:	s

Obſervabis in Actis duos errores, typographi alterum, alterum ipſius autoris, quos evitavi. Ni me plane omnia fallunt, ſimile quidpiam habet Friderici, in ſua Cryptographia, quam olim perluſtrare mihi licuit. Laborat, quod ultimo loco monere debui, inventum Marcelli hoc notabili defectu, quod prolixiores poſtulet literas, quoties arcanum paucis vocabulis abſolvi haud poteſt. Reſtat, ut exponam, quos ego modos invenerim meliores. Sunt eorum bene multi, & numerum ſexagenarium ſuperant; non tamen ejuſdem omnes generis & pretii. Novi equidem modos, ſed non adeo multos, qui omnibus ſatis faciant regulis exacte; ſuppetunt alii, ad potiora momenta quadrantes; nec deſunt viliores. Omnes autem juvenioſi, jucundi, atque ita comparati ſunt, ut brevi temporis ſpatio, vel per literas, vel melius viva voce, explicari & addiſci queant. Omnes etiam per Artem Combinatoriam infinitas ſere induunt formas. Nonnulli hoc inſuper peculiare habent, quod ad duos pluresve ſimul ſcribatur, & neutri alterius arcanum ſuboleat, nedum innotefcat. Et, quod mirabile dictu, inveni Steganiographiam ipſo arcano argumento breviorẽ, vel

ut clarius eloquar: Secretum evolutum plures, e. g. VI, involutum vero pauciores, puta tres aut quatuor tantum lineas complectitur. Constat apud me, exemplis fidem facere dictis, at enim verò, cum literis æri insculptis ad hanc rem opus sit, illud effectum dare prohibeor. Sufficiat itaque, unicum saltem & quidem simpliciorē modum indicasse: da mihi Symphoniam aliquam, Notis, quas vocant, Musicis exaratum, & per mitte, ut describam, continebit illa deinceps, sine ulla suspitione aut mutatione Notarum & concertus, arcanum in quacunque lingua libuerit, quod amicus clavium particeps facile detegeret, utut artis musicæ plane sit expertus atque ignarus. Si quis forte cupiat, ut artes meas Steganographicas qualescunque, quibus multos impendi annos, aperiā, literas ad eundem Clarissimum amicum, qui has Tibi transmissit, poterit ablegare.

HISTORIA MEDICINÆ, A RERUM INITIO ad annum urbis Romæ DXXXV, deducta studio JOANNIS HENRICI SCHULZII, Med. Doct. & Profess. Altorfni, & Academ. Natur. Curios. Collegæ.

Lipsiæ, apud Petrum Conradum Monath, 1728, 4.

Alph. 2 plag. 14, cum Tab. æn. passim interspersis.

Pertinet omnino ad seculi hujus nostri gloriam, quod scientiarum termini amplius in dies eruditissimorum hominum opera provehantur, & lætiori longe, quam olim factum est, facie artium studia efflorescant. Inter vero causas istius felicitatis, posteris haud inficiandæ, principem facile illam dixeris, quod certatim docti viri ad *disciplinarum* plerarumque *historiam* curatius indagandam ac describendam studium suum atque ingenium ceperint conferre. Duplex inde, præter alios, ad litterarum studiosos fructus redundavit. Hi etenim, si quidem animo liberali gaudeant, ubi historię fide edocentur, quanta sint, quæ disciplinarum illi instauratores primi adhuc ignoraverint, quos tamen cæco studio Deorum heroumque instar coluit antiquitas, & piaculum existimavit, vel unum eorundem placitum tanquam oraculum nolle ample-

amplecti; tum vero dediscant certe, necesse est, antecedentium; quibus solus haud raro antiquitatis titulus existimationem conciliavit, unice vestigia sequi, & nondum adeo a priscis illis omnem veritatem occupatam esse intelligant, quia multum iidem futuris temporibus reliquerint. Adde, quod ex ejusmodi disciplinarum historia cognoscant, quousque fines ejusvis promoverit veterum industria, quam doctrinae partem sedulo atque curate, quam negligenter tractandam sumserint variarum aetatum homines; quid, qui illis successerunt, conati sint; an prolata ab his illustranda atque confirmanda, an vero destruenda duxerint; quae nova ipsi inventa attulerint; atque id genus alia. Quae profecto si quis turpiter ignoret, tantum abest, ut callere artem suam dici possit, ut potius ubivis impingendi, sententiaeque pessimae haud raro ferendae periculo sese obstringat. Hic autem, quem diximus, historiae usus, veluti in reliquis scientiarum disciplinis, non nisi inexpertos latet; ita in medendi arte longe maximum esse, tum elaboratissimi duumvirorum celeberrimorum, *Danielis Clerici* atque *Johannis Freindii de Medicinae historiae commentarii*, tum vero praesens *Cl. Schulzii* opus egregie demonstrat. Nostrium vero jam est, postquam, quae de ipsius hujus libri sui historia doctissimus autor in praefatione commemoravit, strictim recensuerimus, brevem mox integri operis conspectum lectoribus exhibere.

Scilicet *Cl. Autor*, simulac medicæ doctrinae solidioris atque elegantioris studio animum adjungens, veterum quoque autorum scripta sedula manu versavisset, statimque diversam admodum fuisse antiquioris medicinae ab illa, quae hodie exerceri solet, conditionem animadvertisset, consilium cepit in proprios usus studiose annotare, quae varia atque attentior priscorum cujuscunque generis scriptorum lectio obtulisset, ad medicam artem pertinentia. Contigit ipsi, dum hæc ageret, felicissimus conatum *Ἐργολάκης*, illustris sanæ apud Halenses Medicus, *Fridericus Hofmannus*; qui nostro tum consiliis utilissimis, tum vero auxiliis ex instructissimo bibliothecæ suæ apparatu petitis liberaliter adesset. His præfidiis instructus, singularia primum *medicæ historiae atque antiquitatis* argumenta tentare constituit, antequam valliis illud *historiæ universalis medicinae* opus aggredere-

retur. Conscripsit itaque, A. MDCCXVII *de athletis veterum eorumque diæta* commentationem, atque aliam *de Elleborismis veterum*; & publicæ in Academia Halensi eruditorum censurae subiecit. Insigni hæc cum plausu excipiebantur, atque id effecerunt, ut comilitonum aliqui prælegi sibi ab ipso *historia medica* summam constantissime flagitarent. Annuit ipsorum votis Vir doctissimus, & primas lineas hujus operis consignavit, cujus, posterioribus curis insequentis tempore perpoliti, *primam* jam *partem* salutaris doctrinæ cultoribus utendam fruendamque exhibet. Neque vero actum sic abs se agi merito existimavit, frustra post *Clerici* atque *Freindii* in hoc argumento labores operam infumi; quum nempe instituti ratione mirifice ab iisdem discrepet. Scilicet, quod ad *Clerici* quidem *historiam medicinæ* attinet, præterquam, quod Gallice liber scriptus sit, adeoque a nostratibus universim legi hæud possit, altera itidem ejusdem editione tunc nondum vulgata aliquanto rarior factus fuerit; ultra *Galenii* ævum narrationis seriem deducere hæud placuerat eruditissimo *Clerico*: nobilissimus vero *Freindius* a *Galenii* temporibus exorsus, ulterius quidem progressus est; potissimum tamen, immo unice fere, *praxeos medicæ*, & quæ ad illam quocunque modo spectant, rationem habendam esse existimavit: quum contra *Cl. Schulzius* potius sibi duxerit *dogmatum historiam* pleniorrem concinnare, eorumque vicissitudines ad felicem illam usque restauratarum artium periodum recensere. Dum vero interim de emittendo in publicum sætu hocce cogitaret, atque jam fere ante annum non contemnenda operis pars prelo liberata fuisset, agitari cœperat apud Anglos commemorabilis illa *de ingenua medicorum apud veteres Romanos conditione* contentio, variis utrimque scriptis reciprocatæ. Hæc dum transmissa ille expectabat; in duas dividere partes inter hæc commentationem suam constituit, præmissaque hac *prima*, qua *medicinæ fata a rerum auspiciis ad Græcorum usque Medicorum in urbem Romam adventum* exponuntur, alteram illam, *ad renascentium literarum epocham* deductam futuro tempore reservare; non obiter tunc, quid ipse de dictæ controversiæ momento ceaset, indicaturus.

Age verò, ipsam nunc libri œconomiam curatius inspiciamus. In duas ille *períodos* dispescitur; quarum *prima*, tribus iterum *sektionibus* inclusa, tum *primam medicinae originem*, tum seorsim *qualis illa Aegyptiis pluribusque gentibus aliis celebrata fuerit*, commonstrat: altera autem in delineando *medicinæ Græcæ progressu*, ad ea usque, quibus *Romam delata est*, tempora, occupatur. *Prima periodi prima sektionis* quinque absolvitur *capitibus*. *Caput I*, ubi de *medicina antediluviana* agitur, partim ipsam *divinam divinæ artis originem*, neque paganis hominibus, qui quippe illius inventæ beneficium ad Deos deasque retulerunt, inficiendam, investigat; atque explosis *Rabbinorum Muhammedanorumque* frigidis, de communicatis *Adamo* abs optimo creatore libris, *medicæ artis mysteria* complexis, & quem *Rabbinus* adhuc addunt, *Raziæle angelo* doctore, fabulis, quo pacto summum numen *medicinæ* autor appellari & possit & debeat, tradit; qui scilicet, & fabricam corporis sanitati tuendæ aptissimam effecit, & mentem sanam largitus est, facultate instructam, ex ipsius naturæ exemplo considerato, quid ad instaurandam sanitatem amissam maxime faciat, sagaciter colligendi, quin & largissimam universis rerum naturalium regnis materiam suppeditavit, & mirificam medendi virtutem indidit: partim vero docet, quid *hominum industria* in hoc negotio ad cataclysmum usque universalem tribui jure posse existimandum sit. Et horum quidem primis, *Adamo* scilicet, *Evaque* conjugii, ipsam rerum, quæ post lapsum corporibus ipsorum acciderunt variæ, *experientiam* sollicita attentione notatam, optimam fuisse primarum *medicæ doctrinæ* partium magistræ maxime est contententium. Repudiantur vero hic *Oswaldi Crollii* & complicium *Chemicorum* jucunda somnia, nescio quæ parenti nostro secreta atque arcana *Chemica* & cognita & usurpata fuisse venditantium. Eruditam hac occasione de *Egregonis* sive angelis, sive *Setibi* filii, in scripto quodam *Ψευδοπρωτόφω Henochi* patriarchæ commemoratis disquisitionem instituit *Cl. Schulzius*; & quæ de *Tou-balcaino* atque *Setibo* metalla tractandi artificium mirifice callentibus plerumque asseruntur, examinat, tandemque concludit, *chemiæ metallurgicæ* quidem gnaros, *medicæ* vero nequaquam

fuisse homines antediluvianos. Quod idem de *Noachō*, unico sapientiae praeae apud posteros inflauratore, pronuntiandum sit, quidquid *Edmundus Dickinſon* de phosphoro lucente, quo arcam is illustraverit, & de tinctura quintam omnis generis pabuli essentiam complexa, fabuletur, cujus vel unica guttula *Noachus* animalia satiaverit, & foetorem ex eorundem excrementis enatum innocuum vitae atque sanitati effecerit. *Caput II* operose explicat, qui medicina post diluvium superatum & propagata, & majori jam necessitate urgente, exulta fuerit amplius. Dicitur hic de *Semo* & *Chamo*, Noe filijs, quorum utrumque medicorum Catalogo insertum volunt aliqui. Et illum quidem integros de re medica commentarios posteris reliquisse, nonnullis creditur, quorum compendium in bibliotheca Electorali Bavarica Ebraice scriptum superesse *Scipio Sgambatus* in *Archivis V. T.* autor est. De *Chamo* autem, a quo *Chemia* nomen acceperit, quae passim circumferant antiquitatis Alchemiae studiosi, exponuntur sedulo, & ex tot discrepantibus autorum sententiis hoc tandem elicitur, Chami posteros Aegypto terra occupata huc secum medicae doctrinae semina, qualiacunque tandem fuerint, transtulisse. Subjiciuntur mox, quae de medicinae autoribus ex ipsa Aegyptiorum mente, de *Serapi* praecipue, sive *Osiride*, de *Iside* & *Horo*, de *Hermete* ejusque filio *Asclepio*, memoriae prodita inveniuntur. *Capite sequenti III*, ipse *Medicina Aegyptia* status, qualis ante *Alexandri* quidem *M. tempora* fuerit, describitur. Multa hic de sacerdotibus, ad quorum censum scilicet pertinebant, qui medicinam facerent, eorundemque existimatione apud populum, erudite disputantur, quorum summa huc redit. Singulis, *Herodoto* teste, morbis singuli medici erant praefecti, qui absque ulla mercede morbos tollerent, ex publico aetario vitae sustentacula capientes. Hi vero, non pro arbitrio, sed ex lege praescripta medelam adhibere debebant, quam sequuti, licet aegrum haud sublevarent, culpa tamen vacabant; si proprio judicio corporis curam instituisſent, capitis discrimen subibant. Quod idem periculum, *Aristotele* autore, ipsis imminēbat, si ante quartum, quo morbus coepit, diem pharmacum adhibere ausi fuissent. His generatim praemissis, de variis *Aegyptia medicina* partibus dispicit Vir doctissimus. Atque

falsos omnino esse, qui de *Anatome Ægyptiorum* præclara quævis
 statuenda arbitrentur, & olim jam in *primò historia anatomica*
specimine evidenter demonstravit, & nunc etiam persuasum sibi
 esse profitetur, parum illos in hac arte ante Græcorum adventum
 prælitisse. Neque enim perinoveri se ait fabulosi regis *Achobis*
commentariis anatomicis, Julio Africano laudatis; quem nun-
 quam, nisi in cerebro quorundam hominum, exstitisse, ipsius com-
 puti mendacium, quo mille & trecentis ante orbem conditum
 annis floruisse existimandus esset, aperte proderet. *Plinii* autori-
 tatem, in *Ægypto Reges corpora mortuorum ad scrutandos mor-
 bos inscuisse Hist. Nat. l. XIX cap. V* perhibentis, itidem huc non
 facere; quum de *Lagidis* Regibus seu *Prolemais* intelligi debeat,
 de ætate prioribus nequam, de quibus hic disceptetur. Ejus-
 dem ponderis, hoc est, nullius esse argumentum ex *Plutarcho* re-
 petitum, de *sceletis*, quæ lectioris conditionis hominum epulis
 inferri consuevisse idem narret; quum ne per somnium qui-
 dem technica & recentior vocis *οκλῆτες* acceptio ipsi in mentem
 venerit, sed ex intempestivo interpretis *Guil. Xylandri* glossema-
 te nata sit, *Plutarcho* interim sicuti alibi ita & hic per *οκλῆτες*,
hominem mortuum simpliciter designante. Loqui potius insi-
 gnem Ægyptiorum anatomice artis atque supinam ignorantiam,
 ridicula de nervo a digito annulari lævæ manus ad cor pertingen-
 te; de cordis ad annum usque quinquagesimum incremento &
 post illum decremento, atque id genus plura alia dogmata. Idem
 fere de eorundem *pathologia* constituendum est; quum constet
 morborum causas ad certos *δαίμονας* superstitione ipsos retulisse,
 quos carminibus placandos, herbis que item atque lapidibus, ima-
 ginibus ipsorum insculptis conciliandos existimaverint; qua in
 re omnis fere magiæ cardo, *Conringio* iudice, vertitur. Ad *dia-*
eticam quod attinet, clysteribus, ab *Ibide* ave edocti, purgamen-
 tis potabilibus, jejuniis atque vomitu se adversus morbos immi-
 nentes præmunivisse leguntur; qui purgationis usus ad Græcos
 postea, *athletico studio* accommodatus, una cum frictione, bal-
 neis atque unguentis transisse videtur; illam vero videlicet ratio-
 nem, cum munditie studio singulari, adhibuisse, ut a frugalitatis
 laude quam maxime fuerint commendati. De ipsa denique *praxi*
 Medi.

Medica quæ dicenda superessent, malum lectores curiosos, præter Prosperum Alpinum, cuius de medicina Ægyptiorum libri quatuor Venetiis 1591 & Parisiis 1646, 4. vulgati exstant, erudite conscripti, nisi quod non satis caute in discernendis veterum atque recentiorum inventis quandoque versentur, ex ipso autore nostro petere, qui insequenti eoque singulari IV Capite de pollinctura & Alchemia Ægyptiorum, medicina vulgi seu exoterica, & recentioribus denique medicina Ægyptia autoribus copiose disputat. Capituli tandem V periodus, quarundam aliarum gentium, itidem antiquissimarum, medicinam describit, de quibus scilicet aliquid cognoscere licuit. Principes sunt Sinenses, quos, mere Empiricos, instituta apud ægrotum pulsus, linguæ, oculorum & faciei sollicita consideratione, simplici, & exigua arte parabili medicamento morbos pellere consuevisse, neglectis Anatomix studiis, Chemicis vero plane ignoratis, compertum est; & Andreas Cleyerus in Spectamine Medicinæ Sinicæ luculenter ostendit. De Malabarorum medicinâ singularis exstat B. Joannis Ernesti Grundleri libellus, Medici Malabarici titulo inscriptus, ex quo strictim hic recensentur, quæ ad hujus gentis medendi artificium cognoscendum faciunt: post quæ, paucis de veterum Germanorum Druidumque institutis observatis, in quantum Mōs atque Hiobo, divinis viris, medicæ, & chemicæ præsertim artis, cognitio tribui possit, dispicitur.

Secunda prima periodi Sectio tractatione de Medicis Græcis ante Hippocratem Cum cum aliarum gentium Synchronismo, octo capitibus absolvitur; quorum uberiori recensu quum spatii angustia & instituti ratione prohibeamur, summa saltem capita delibabimus. Exhibentur autem hic luculentæ prorsus & singulari eruditæ antiquitatis notitiæ conspersæ commentationes, Cap. I de diis medicinæ Græcæ autoribus, Cybele scilicet, Jove, Apolline, Diana, Minerva, Lucina, Baccho, Mercurio atque Promethæo; eorundemque inventis ac cultu: Cap. II de heroibus medicis, qui argonautarum tempora illustraverunt, Aesculapio, Dardano, Melampo, Chirone, Hercule, Jasone, Orphæo, Lino atque aliis: Cap. III de Heroibus medicis circa Troiani excidii tempora; Mabagne præcipue atque Podalirio, Asclepiadæum primo autore;

Cap.

Cap. IV de cultu Æsculapio ejusque filii & filiabus habitò; ubi, postquam ostensum fuisset, nec ipsis Græcorum sapientiorum quibusdam inficiantibus, ex politicis rationibus religionem Æsculapii institutam fuisse, templorum ipsi dicatorum index texitur, simulacra, festa, sacerdotes, sacrificia, & quæ huc pertinent alia, cum cura edisseruntur; Cap. V de Æsclepiadarum horum fortunis, meritis, doctrina & scholis præcipuis disputatur. Cap. VI temporis ratione ita exigente de Medicina extra Græciam statim instituitur digressio, & de Medicina Salomonis Regis, tam fabulosa, quam vera, aliorumque apud Ebræos; tum vero de Persarum, & quos illi tum subjugarunt, Ægyptiorum memorabilia studiose allegantur. Cap. VII de poetis atque philosophis discipulis, qui vel in Græcia nati, aut saltem inter Græcos versati salutaris arti incrementa attulerunt. Veniunt in hunc censum Epimenides, Thales, Pherecydes, Pythagoras, qui primus Græcos de annis climactericis atque diebus criticis edocuit; Alcmaeon Crotoniensis, primus anatomes autor certus; Empedocles; Democritus philosophiæ corpuscularis, quæ & in medicinam postea irrepsit, conditor; Heraclitus, Socrates, Zoroaster, Abaris, alii. Cap. denique VIII reliqui medici, non Æsclepiada recensentur, qui Hippocrate sive ætate superiores sive etiam σύγχροτοι fuerunt, quos inter Herodicus maxime, quem Prodicum dicunt nonnulli, Selymbriensis, inventæ medicina gymnastica gloria excellit, de cujus simul constitutione, exercitiorum generibus variis, mutationibus, & denique ad medicum corporis usum accommodatione solerter non minus ac sagaciter disceptatur.

Tertia tandem periodi prioris Sectio in sex iterum capita distributa, Hippocratis Cei, medicorum principis, memoriæ unice destinatur. Legitur hic amplissimus, de ejusdem vita, factis atque scriptis; de dogmatibus physiologicis & Arceismo; de Pathologia & Semiotica, itemque τῶν ὀνείων, quod in quovis ille morbo statuit, porro de praxi clinica, variisque, quæ is edidit, curationum specimenibus; de filiis denique Thessalo atque Dracone & genero Polybo, quos curam colligendarum Hippocratis post mortem lucubrationum habuisse verisimile est, commentarius: cui de medicis atque philosophis ipsi coævis, Platone potissimum, luculenta disputatio superadditur.

Reli-

Reliquum est, ut de *secunda periodi* summis argumentis referamus, quæ, uti supra inouimus, in delineandis *medicina græcanica progressibus*, ad ea usque, quibus *Romam delata est*, tempora occupatur, atque *sex* iterum constat capitibus. Hæc vero periodus, quamvis centum triginta & octo annorum spatio tantum absolvatur, tot tamen singularia complectitur, ut si rerum momenta dicendarum respicias, primæ illi dignitate vix cedat. Videas enim hic licet copiosas, de *medicis ab excessu Hippocratis illustre nomen adeptis*, *philosophis* item ejusdem temporis, *Aristotele* præcipue, quorum opera *medicæ artis fines* sunt amplificati, *dissertationes*, cum jucunda digressionem de *medicis in historia Alexandri M. commemoratis*: delecteris, si vetera amas, euratius cognoscere duumvros in sua arte apud græcos tunc summos *Herophilum* atque *Erasistratum*, quorum licet ingenii monumenta, nominis tamen fama nequiquam intercidit, eorumdemque merita, discipulos, inventa: descendas porro ad *secta Empirica* contemplationem, quam primus amplexus est *Philimus Cœur*, non ratiociniis, frigidis sæpe, captiosis, ineptis, sed *empiricæ experientia* medicæ artis sacra intrari existimans, non destitutus sententiæ suæ asseclis, *Apollonio*, *Glauco*, *Heraclide Parentino*, aliis: hujus denique familiaris cognitione penitiori instructus intelligas, qua ratione iisdem temporibus in *tres partes*, *διαιτητικὴν*, quæ *vitæ*, *φαρμακευτικὴν*, quæ *medicamentis*, & *χειρουργικὴν*, quæ *manu* inderetur, *medicina*, autore *Celso*, *diducta* fuisse perhibeatur; ultimo tandem loco de *statu Medicina apud Romanos*, donec relicta Peloponneso *Archagathus*, *Lysanix* filius, A. V. DXXXV *Romam adiens*, primus ibi publicam artis hujus professionem facere institueret, erudiaris. His vero sedula sic lectione absolutis, non poterit non apud omnes maximum & secundum operis hujus præclarissimi *totum* proxime evolvendi desiderium oriri, quibuscunque modo vel medicæ artis solidior tractatio, vel elegantioris doctrinæ amor cordi est; qui adeo partim nobiscum *Autori Celeb.* propitias porro *Musas* apprecabuntur, partim vero ipsius nomen inter *medicos humanitatis statores atque vindices* cum *Cel. Jacobo Burchardo* jugiter celebrabunt.

A DISCOUR-

MENSIS JUNII A. MDCCXXIX. 267

A DISCOURSE CONCERNING FEVERS IN
two Letters to a young Physician.

i. e.

DISCURSUS DE FEBRIBUS, DUABUS
Epistolis ad Juniores aliquem Medicum exhibitus.

Londini, apud Johannem Clarkium, 1727, 8.

Alph. L.

IN Epistola I Auctor omnes hypotheser & theorias tam Physicas quam Mechanicas tanquam vanas atque deludentes in Medicina adhibendas dissuadet. Hanc enim esse causam, quo minus ad altius fastigium eversa sit Medicina, existimat, quod veterum inauditionem neglexerint atque contempti habuerint Recentiores, libidine novarum hypothesium atque systematum excogitatorum occaecati; hinc indicationes curativas non petendas esse, addit, a commentis ejusmodi, quæ observationibus non respondent, & experientie potius contrariæ sunt. Quapropter explodit systemata eorum, qui salia biliosa pro febrium non minus quam aliorum morborum, auctorum pariter ac chronicorum causa agnoscunt, omnes curationes per emetica, purgantia & clysmata oleosa absolvunt; qui alcali supponunt præternaturale, per acida immutandum; qui acidum accusant, per testacea suppressendum; qui febrium fomitem venenum aliquod fingunt, spiritus animales infestans, per alexipharmaca ejiciendum vel cortice Peruviano cicurandum; qui denique certitudinem Mathematicam in Theorematis, Propositionibus, Axiomatibus, Lemmatibus, Scholiis, & Corollariis suis se invenisse jactitantes, corpus humanum æque ac aliorum brutorum legibus mechanicis dirigi prætendunt, ita ut partes solidæ regulis Geometricis, fluidæ Hydrostaticis sint subjectæ, quarum æquilibrium justum sanitatem, destructum morbos efformet. Practicos potius monet, ut naturam ducem sequantur, hujusque dispositiones, motus & tendentias advertant, laudabiles conatus promoveant, erroneos vero corrigant; necesse autem esse dicit, ut cognitam habeant veram structuram & conditionem partium corporis humani, tam in statu naturali quam præternaturali, repetitis observationibus, ratione sussultis.

L I 2

CON-

confirmatam, tantum signorum diagnosticorum apparatus colligerint, qui ad morbi speciem determinandam & ab aliis discernendam sufficiat, & medicamentorum virtutes in comperto habeant; his enim subsidiis instructos facili negotio remedia morbis opponere posse, quæ vel ab aliis autoribus commendata vel propria experientia probata fuerunt. In Epistola II docet Amicum, quomodo methodum medendi febribus dirigere, & infirmorum conclave ingressus gerere se debeat. Singulas febrium species cum Autore examinare, instituti ratio non permittit, sequentia annotasse sufficiat. Ignoratis licet causis essentialibus febrium, certam esse putat, extranei quid & naturæ infestitum temporis in corpore contineri, quod natura mediante fermentatione eliminare tentet. Dispercit eas in sanguineas & nervosas; illas dicit, quarum causa materialis in sanguine gliscit, & ad hanc classem omnes inflammatorias refert, quas sequenti modo tollere præcipit. In principio mox vena aperiatur, & si error in diata commissus fuit, emeticum ex radice Ipecacuanha exhibeatur: si febris augeatur, repetatur venæ sectio, & alexipharmacum atque cordiale offeratur. Per alexipharmacum non intelligit theriacam vel mithridaticam, quæ in febribus nervosis tantum locum inveniunt, sed conservam lujulæ, cum absorbente quodam mixtam; per cordiale vero pauca grana nitri, ut & emulsionem ex seminibus frigidis & amygdalis dulcibus cum aqua hordei paratam. Febres nervosas illas nuncupat, quando deleteria vel morbosa impressio fluidum nerveum occupat, & impedit, quo minus spiritus animales in cerebro elaborari vel per nervos ad cor, pulmones & alias corporis partes distribui possint. In his præter emetica, sudorifera, & vesicatoria nulla evacuantia adhibeantur, sub languore vero virium dentur, quæ motum sanguinis promovent, ut lapis contraxervæ, pulvis ad Guttes. e chelis cancrorum, cum paucis granis croci vel castorei, aut si ultimum adversatur nauseabundus stomachus, cum speciebus diambæ. Sudore prorumpente haustus vini non est denegandus. Febrem hecticam itidem vel sanguineam vel nervosam constituit, peculiari methodo tractandam: Sanguinea enim, ab inflammatione vel abscessu producta, maxime temperata, humectantia, refrigerantia & edulcorantia possit medi-

medicamenta, ut scilicet acrimonia temperetur; qualia sunt decoctum sarsaparillæ, & chinæ, absorbentia, lac asini, emulsiones amygdalæ & cura lactis. In nervea, ab enormiori quodam animi pathemate orta, in qua de frigore magis quam de calore conqueruntur ægri, calidiora dentur remedia, chalybeata puta & amara, ut scilicet digestio roboretur & appetitus augeatur. In utraque enim omnis cura eo debet intendi, ut tomentum illud, quod poros viscerum replere & extendere debet, absumentum vel exsiccatum reparetur. Præterea non approbat Autor methodum Freindii, in febre secundaria variolarum purgantia exhibentis, nec Helvetii, in iisdem variolis præter venæsectiones repetitas vomitoria, purgantia & juscula ex carne bubula extracta propinantis. Denique Postscripti loco de pulsu & urina, quatenus signa tam diagnostica quam prognostica subministrant, ut & de Crisibus & diebus criticis in febribus agit.

PLANTARUM MINUS COGNITARUM
Centuria III complectentes plantas circa Byzantium & in
Oriente observatas per J. C. BUXBAUM,
Acad. Scientiæ Socium.

Petropoli, ex Typographia Academiæ. Cent. I & II 1728,
 Cent. III 1729, 4 maj.

Plag. 18 Tabb. æn. 115 non computatis, quæ ad Centuriam III spectant & nondum paratæ sunt.

Suis ætatibus ac periodis consliterunt, quæcunque illæ sunt artes politiones & scientiæ, constitit & botanica, quam ex tenebris, quibus olim latuisse deprehenditur, nunc emeruisse liberiolemque nunc auram trahere & videmus & gratulamur. Quam variis successibus ab Hippocratis & Cratevæ temporibus ad hoc nostrum Seculum incrementa sumpserit, Historiæ medicæ hinc inde docent. Ad duo redit, quidquid undique in hac historiæ naturalis parte actum est. Aut enim analytica methodo per singula genera inferiora eundo atque eadem per tot capita distribuendo, rem herbariam digesserunt auctores, nulla signorum genericorum ratione habita, quibus plantæ inter se aut conveniant aut discrepant; aut

Syntheticam magis viam ingressi luculentis characteribus iisdemque non transitoriis sed essentialibus, familias plantarum exhibuerunt suis limitibus circumscriptas, genera scilicet summa, quae plura inferiora & subalterna sub se complecterentur. Prior illa periodus Fabii Columnae aetatem attingit, qui primus artificium, in unum aliquod genus cumulandi, quae olim seorsim pertractabantur, edocuit; exinde studium herbarum magnorum atque acutissimorum & logica arte, quae methodum edocet, imbutorum ingeniorum labor esse coepit, atque, uti fieri solet, quotiescunque aemulationis studium artifices excitat, ab eo usque tempore, Andreae Caesalpini, Bauhinorum, Ammanni, Roberti Morisoni, Joh. Raji, Jos. Pitton, Tournefortii, & Botanicorum Principis, uti a Virgilio Falugio Italo *a)* appellatur, Rivini nostri studio in immensum aucta est res botanica, de quorum methodis Joh. Rajus in dissertatione de variis plantarum methodis *b)* Jos. Pitton. Tournefort. in epistola ad Sherardum de optima methodo instituenda *c)* & Joh. Jac. Dillenius inuodestior paulo Rivini censor de methodo Rajana, Tournefortiana, Riviniana & Knautiana, quae extat cum ejus Catalogo circa Giesam *d)* egerunt. Ipse, cui debito honorum laudisque praesamine praesentem in Actis nostris locum facimus, Joh. Christianus Buxbaum, methodicorum classi nomen dedisse deprehensus est, in Enumeratione plantarum circa Halam. Halae 1721, 8, qui nunc sibi prorsus dissimilis sub alio caelo alia docendi ratione usus erudium orbem rerum praecclare in itineribus observatarum fama implet. Invideremus hunc Virum suae Moscoviae, nisi de egregiis ac praecocibus prorsus novae Academiae Petropolitanae incrementis gaudendi, pietas necessitatem imperaret. In eo vix condonandus, quod spem nobis irritam fecerit, quae freti ingenii sortum membris ordine dispositis expectabamus; qui nunc speciosus equidem & regia aliqua Societate prorsus dignus sed pallis capillis fluctuantibusque praedit, sed incerta sed nulla methodo dispositus. Dubitabamus, qua methodo usus sit, cum Echloidem primae primae Centuriae Tabula exhiberet monopetalam

a) In Prosopopoeiis botanicis Flor. 1697, 12. *b)* Lond. 1696, 8.
c) Paris. 1697, 8. *d)* Frkf. M. 1719, 8.

Jam scilicet regularem, hærebamus, cum subsequeretur Thlaspi, animum nondum despondentes, quod Myagrum & Isatis paulo post apparet, ecce ordinem tetrapetalorum regularium! nam hæc tria genericè conveniunt; sed quid sibi volunt Galeopsis & Pedicularis, toto genere diversæ a vicinis, quas nactæ sunt, Isatide & Cardamine, jam profundius immerfi, nullam plantarum agnationem aut affinitatem servatam esse deprehendebamus. Interim laude sua frustrandus non est egregius multique sudoris & industriæ labor, qui tribus centuriis si non minus cognitarum, rariorum certe plantarum, & Icones ita assabre exsculptas, ut in quamplurimis indigenas nostras plantas deprehenderimus, & prosopographias undique exactas complectitur. Quid in toto opere egerit cognatissimus Autor, ipse in præfatione exponit, siquidem minus cognatas plantas eas pronuntiat, quæ vel prorsus novæ sint a nullo autorum nec nominatæ nec depictæ, vel si descriptæ profane, figuris careant ad vivum delineatis, vel denique incerti sint characteris dubiæque descriptionis. Ex priori classe inter alia deprehendimus Lichèn Eryngii folio, quod nobis Tab. II Fig. 1

T A B. II.
Fig. 1.

exhibetur, siquidem ex omni Lichenum historia hæc species non constat, id tamen nomen Tithymalum, fruticosum salicis folio Tab. XXVI Cent. II exhibitum, novum non esse, cura ad ripas crescens & mensuram quatuor pedum altitudine excedens flore tetrapetalo irregulari specioso aurei coloris in summitate congesto succedente capsula tripartita, superbiat, nobis a viva planta delineatus, ut similitudo Iconum constet; nec Tithymalus Orientalis Anacampserotis folio flore cristato Tournefortii, quem Cent. II Tab. XXVII Fig. 2 sistit, nostris hortis infrequens est. Item sentendum de Pulmonaria annua foliis Echii Scorpioidis Cent. I Tab. XIII, Jacea tenuifolia erecta majore Cent. II Tab. XV Fig. 1. De ceteris satendum, quod res est, & splendore Iconum & rerum novitate & descriptionum elegantia superius esse nihil posse, nisi quod characteris negligentior fuerit, quem attendisse equidem constat, inde in gratiam Rivini Veronicam blattariæ facie, ad ordinem irregularium monopetalorum bicapsularium supplendum adducit Cent. I Tab. XXXV, & Saliuncam ex flore definit, sed data opera neglexisse, & ne impiane id fecisse videatur, contemptum sui character

tracter floris fructusque vindicat, siquidem Trollium Cent. I Tab. XXII, falso ad Helleboros refert, cum desint semisflosculi ad definitionem Hellebori necessarii, quibus fit ut Helleborus sit flos compositus ex pentapetalo & irregularibus, Trollius vero poly-petalos est, inde & contradictoria sunt baccifera planta & Kali, interim Kali bacciferum exhibetur Cent. I p. 12. Ut adeo de clarissimo Autore valeant, quæ ille de Tournefortio, cujus vestigia legit, pronuntiat, eum plantas descripsisse minime novas novis saltem nominibus. Quæ dum monemus, illa licentia utimur, quam integram facit in præfatione, ubi dubia modeste prolata non gravia futura pollicetur.

PIECE, QUI A REMPORTE' LE PRIX DE

l'Academie Royale des Sciences, proposé pour

l'année 1725.

h. e.

DISSERTATIO PRÆMIO PRO ANNO 1725

ab Academia Regia Scientiarum proposito

condecorata.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1725, 4, ch. aug.

Plag. 3 Tab. æn. 1.


AUtor hujus dissertationis est *Daniel Bernoulli*, Filius *Joannis*, nunc Academiæ Scientiarum Petropolitaniæ ornamentum. Inquiri in ea in modum perfectissimum conservandi in mari æqualitatem motus in clepsydri seu clepsammis. Duo requirit ad æqualitatem motus conservandam, perfectam partium internarum quietem & positionem verticalem continuam, experientia ipsa magistra. Ne navis secussionibus motus arenæ retardetur, clepsammium imponi jubet corpori solido in liquido libere natanti. Liquidum optimum in hunc usum censet argentum vivum & figuram solidi, cui imponendum est, eam esse debere, quæ majori tribuitur, ita ut diameter sit sex circiter digitorum, crassities non nisi linearum duarum aut trium, ut situs clepsammii contrarius sit verticalis. Ne autem casu idem vacillet, laminæ Mercurio innatanti in medio affigi jubet annulum eidem concentricum, intra

TAB. II ad A. 1729 M. Jun. pag. 271 .

Fig. I.



Fig. II.



intra que non firmiter detineatur. Materia laminæ ferrum esse debet, non solum quod ferrum in Mercurio conservetur, verum etiam quod gravitas ejus specifica sit ad gravitatem Mercurii prope modum in ratione subdupla, quam in præsentè casu optimam esse demonstrat. Vas ipsum, quod Mercurium continet, suspendendum esse judicat ex virga longa atque flexili, in situ verticali navì affixa, ut in quavis navis inclinatione situs illius sit verticalis. Quod si lamina major fiat, ut horologio oscillatorio sustinendo apta sit; motus æqualitatem penduli hoc modo multo melius conservari existimat, quam illis artificiis, quæ eo fine commendat *Hugenius* in Horologio suo Oscillatorio. Quamvis autem hunc modum conservandi situm clepsydram in mari omnium perfectissimum judicet, propterea quod eum ex principiis hydrostaticis per demonstrationes stabilitis deduxit; non tamen diffitetur, tantam non esse præcisionem, quantam rigor postulet: sed eam nec necessariam in præsentè negotio reputat. Sed ne quicquam prætermittat, quod utile esse possit, duos proponit modos novos clepsydram conficiendi. Præfert Mercurium arenæ, miratus quod *Ozonamus* in suis observationibus ad *Tractatum Martinelli* de horologiis elementaribus ejus nullam fecerit rationem. Et quamvis *Amontoni* clepsydram suam maxima diligentia construxerit, ut eam usui nautico commodam efficeret; hanc tamen suam, admodum simplicem, illa plurimum præstare existimat. Sint *A F B* & *A M B* duo hemisphæria vitrea exacte æqualia. Diaphragma *A B* sit ferreum, in medio *C* foramine pertusum. Quando Mercurius pervenit ad *N O*, clepsydra vertenda est, nec, ut tota unquam effluat, permittendum. In initio in eodem hemisphærio eadem Mercurii quantitas esse debet, ut eadem aeris quantitas in utroque contineatur. Ita enim eadem aeris quantitas continuo conservabitur, si nunquam omnis ex vase uno in alterum descendat. Ceterum *Cl. Autor* ita rem suam agit, ut se continuo Geometram probet. Monst autem Academia Regia Scientiarum, quod in dissertationibus de hoc argumento ad eam missis non repererit experimenta & disquisitiones practicas, quæ & præmium, & res ipsa postulat. Atque adeo hortatur eos, qui in posterum animum ad talia argumenta appellent, ut in experimentis faciendis suam minime desiderari patiantur industriam.

TAB. II.
Fig. 2.

70.

Mm

JO. FRIDERICI WEIDLERI OBSERVA-
 tiones Meteorologicae & Astronomicae A. 1728 & 1729 illu-
 stratae dissertationibus binis, de observatorio Meteo-
 rologico, & de hiemis A. 1729
 asperitate.

Vitembergæ, sumptibus viduæ Gerdesiæ, 1729, 4.

Plag. 15.

CL. Autor hujus tractatus commendabili plane instituto obser-
 vationes singulares meteorologicae & astronomicae superio-
 re & præfente anno a se habitas, in publicam eruditi orbis lucem
 prodire patitur. Nostrium erit, ex iis selectas & præcipuas hic
 repetere. Dissertatio de observatorio meteorologico, quæ in
 principio occurrit, instrumentis, quibus observationes captæ sunt,
 & loco, quo continentur; nec non diarii legibus explicandis de-
 stinata est. Scilicet barometrum, thermometrum, (a Societatis
 Regiæ Londinensis mechanico paratum & reliquis, quibus Angli
 hodie utuntur, conformatum,) hygrometrum, & hyetometrum,
 sub dio ita collocata sunt, ut aeri quidem libero undiquaque acces-
 sus pateat, solares tamen radii & pluvia a thermometro & hygro-
 metro peculiaribus tectis arceantur. Circa structuram horum or-
 ganorum & usum varia nec vulgaria monita miscentur. Ita p. 10
 experimentis confirmatur, quod phosphorus mercurii in baro-
 metro semper obtineatur, quando mercurius igni depuratus, per
 speculo tubo vitreo ampliori infunditur, & per parum aeris supra
 mercurium in tubo relinquitur. Hyetometrum sive machina
 pluviae & nivis mensurandis adhibita, constat quadrato spatio, cu-
 jus latus capit duos pedes Parisinos, idem margine instructum
 pluviam nivemque recipit, & in aëneo subjecto colligit, quæ de-
 inceps tam numero parvorum cuborum digitalium, tum perpen-
 diculo altitudinis æstimatur. Observationes meteorologicae, quæ
 nunc vulgantur, ab æquinoctio verno A. 1728 usque ad æquino-
 ctium vernum A. 1729 Vitembergæ habitæ sunt. Referuntur au-
 tem separatas intra columnas, tempus observationis, altitudo ba-
 rometri & thermometri, status cœli, & pluviae, si qua decidit, quan-
 titas. Subinde etiam maculorum solarium, quotquot apparuere
 intra

intra idem tempus, numerus & magnitudo significantur. Nam harum in meteorologia omnino habendam esse rationem Dn. Autor censet. Inter singularia, quæ hic narrantur, notatu digniora sunt sequentia. 1) Soli hoc & superiore anno maculæ tam frequentes & magnæ incubuere, ut earum apparitio insolita haberi mereatur. Siquidem maculæ 5, 6, 7, 8, 11, 13 una sub sole visæ sunt,

maximæ $\frac{1}{24}$ $\frac{1}{26}$ $\frac{1}{30}$ diametri solaris pares fuerunt. 2) Altitudo perpendicularis pluviz & nivis per integrum A. 1728 æquipollet 16½ digitis pedis Parisiensis, & longe infra pluviz mediocrem quantitatem substitit. 3) Altitudo mercurii in barometro minima 26 digit. 10½ lin. pedis Paris. maxima 28 digit. 3½ lin. ej. pedis anno præterlapso reperta est. 4) Summus gradus frigoris hiemis nuperæ in scala thermometri anglicani fuit 125¾ mane diei XX Januarii. A quo parum distat gr. 122¾ die XI Januarii. Observationes meteorológicas annuæ excipiunt aliæ tam meteoricæ quam astronomicæ. Ad illas spectant halo lunaris, iridis coloribus imbuta 20 Febr. 1728, & auroræ boreales tres d. 4 Aprilis, 25 Junii, 7 Octobris 1728 conspectæ. Inter astronomicas excellent hæc. Immerfio satellitis jovialis secundi, 4 Octobris 1728 h. XI m. 34, per telescopium 22 pedum visa. Spectaculum rarissimum immerfionis partialis quarti 7 Octobris 1728 h. X, m. 41 & 42 eodem telescopio notatum. Immerfio tertii 8 Octobris 1728 h. XI, m. 17. Emerfio tertii 7 Februarii 1729 h. IX, m. 30. Emerfio secundi 13 Martii 1729 h. XII, m. 33. Emerfio primi 15 Martii 1729 h. VII, m. 55. Emerfio ejusdem 22 Martii 1729, h. IX, m. 55. Emerfio tertii eadem vespera h. IX, m. 44. Eclipsis lunæ totalis d. 13 Febr. h. a. ob cælum tota illa vespera caliginosissimum spectari non potuit, interim ejus momenta ex novalmagesticis Tabulis computata leguntur p. 80 de conjunctione saturni & lunæ d. 25 Junii 1728 Vitembergæ visa & in Actis nostris p. 375 a. ej. laudata, monet Dn. Autor p. 85, quod eadem conjunctio, quæ Vitembergæ plastica fuit, corporalis extiterit Petroburgi Russorum, ubi, observante Dn. Delisleo Astronomo, Saturnus 23 minutis post lunam latuit. Declinatio acus magneticæ hoc & superiore anno Vitembergæ 12 gr. 55 min. versus occasum, repetitis experimentis inven-

ta est. Restat, ut ex contemplatione frigoris hiemis superæ, quæ observationibus subjungitur, nonnulla breviter excerpta communicemus. Ex historia illius hiemis thermoscopica, divisio in quatuor periodos desumitur. Adulta autem & summe aspera hiems fuit d. 20 Januarii. Hinc de illius gelu effectibus, in aquis fluviorum & marinis in glaciem vertendis, & damnis, quæ hominibus, animantibus brutis & plantis attulit, disseritur, & comparatio etiam aliqua cum hieme A. 1709 instituitur. Quod vero attinet ad causas, jure dolet Cl. Autor, quod tanta adhuc observationum meteorologicarum penuria laboremus, ut hæcenus fere nihil certi in hoc argumento statuere liceat. Interim, quousque ex principiis cognitis frigoris asperi phænomena illustrari queant, ostendit. Sol moderator est tempestatum anniversariarum, harum autem variationes a terræ conditione quodammodo dependere videntur. Hinc cælum diversum est in locis eodem licet climate gaudentibus. Et causæ alterationum ejusmodi vel intra terram nasci, vel superficiæ illius statu variari possunt. Quamobrem commemorantur nonnulla de cælo terrarum cultarum & incultarum, de intenso frigore sub latitudine 33 gr. juxta Americam a Drakio Navarcho Anglo, media æstate percepto. De glaciibus stupendæ magnitudinis infra eandem Americam sub latit. 58 gr. repertis, & similibus aliis oppido curiosis experimentis, quibus causæ variationis cæli intra idem clima comprobantur. Et cum in aere causæ tempestatum singulares effectum edant, desideratur, ut ventorum solertior annotatio fiat, & luna, quæ liquida corpora potenter commovet, non negligatur. Imprimis vero Cl. Autor attendendum esse judicat mutationibus, quæ prope solis corpus eveniunt, quales maculæ manifestant, de quibus subductis rationibus evictum dat, quod, quando plures soli imminet, temporis progressu multum illius lumen & calorem impedire valeant. Pro explicandis igitur phænomenis hiemis inclementioris hujus anni allegat causas sequentes. Frigus & siccitatem totius anni præcedentis A. 1728, & ventorum aquilonarium plerumque vehementiorum frequentiam, has causas vel produxisse, vel multum adjuvisse maculas solis copiosissimas, quæ inde abhinc duobus sepe annis fontem caloris nostri obumbrarunt. Eumque in finem

quæ

quorundam Kircheri testimonia laudat. Interim non negat, potuisse causas in terra etiam extitisse, quæ suas vires contulerunt, et si adhuc lateant. Videtur etiam accusare auroræ borealis repetitionem, qua materia sulphurea calori conservando apta copiose ex aere depurgata & in terram præceps acta est. De astrologorum quoque commentis nonnulla proferuntur, & quod hiemis nuptæ effectibus consutentur, spar sim indicatur.

**M. HENRICI SCHARBAU, V. D. M. APUD
Lubecenses, Pæroga philologico-theologica.**

Lubece, sumptibus J. C. Schmidii, 1726, 8.

Alph. 2 pl. 152.

QUæ antea separatis temporibus ediderat Pæroga sacra Vir Plurimum Reverendus, (prima enim Pars A. 1719, altera 1721, tertia 1723, quarta 1724, quinta denique A. 1726, in publicum prodiit,) ea nunc communi Præfatione conjuncta voluit. Unde nostrum quoque putamus, pereruditum hoc opus nostris exhibere lectoribus & de meliore nota commendare. *Prima Partis Diff. I* illustratur locus *Jesaja III, 24*, luxum exponens mulierum Hebræarum. Nec verba solum prophetæ exponuntur singula, verum etiam luxus Hebræorum in unguentis, pretiosis zonis, eleganti vestitu, compositione capillorum consistens comparatur cum simili luxu gentium aliarum. *Diff. II* recenset Cl. Autor prius & expendit diversas sententias de Lacedæmoniorum & Romanorum fraternitate, *1 Maccab. XII* commemorata: deinde suam subjicit conjecturam; qua statuit, Jonathanem loco modo laudato Spartanos vocare *fratres* ob fœdera cum iis inita: quòd sensu Salcinio Regem Hiramum appellasse *fratrem suum* legitur: Arium vero, Lacedæmoniorum Regem, loqui de *fraternitate sanguinis* five consanguinitate utriusque gentis, & errorem hunc suum hausisse ex vetusta quapiam fabula. *Diff. III* adductis confutatisque secus sententibus docet, *Joan. I, 16*, *πνευμα* opponi tam umbris & cærimoniis Leviticis, quam promissionibus & minori gradui gratiæ Veteris Testamenti: quia in Christo umbræ & promissiones cessarint, & complementum suum obtinuerint.

Diff. IV exhibet illustrationem *Jóan. IV, 20, 21, 22*, ac de religione Samaritanorum luculenter agit, maxime de idolo eorum, *Succoth Benoth* dicto, de urbe *Sichar*, de monte *Garizim*, ac de puteo Jacobi.

P. II Diff. I illustrat locum *1 Reg. XIX, 11, 12*, ubi refertur, Deum transeuntem Eliæ dedisse percipiendum primo torbinem ventumque magnum, deinde motum terræ, tum ignem, ac denique submissam ac tenuem vocem. *Diff. II* parabolarum Evangelicarum interpretationem propheticam contemplatur. Observavit scilicet, nostris temporibus plures fuisse, qui in singulis Christi parabolis historias quærant & prophetias. Hos censet extra oleas vagari, & S. Scripturam incertis conjecturis & explanationibus longe petitis non tam fecundare, quam scdare. Plura hujus generis interpretationum exempla profert, quæ certe manifestum facere videntur, isto ingenii exercitio viros cetera doctissimos suum corrupisse judicium, & sacras literas exposuisse ludibrio impiorum. *Diff. III, Hebr. XIII, 13*, ubi jubemur *ad Christum egredi extra castra*, per *castra* significari putat urbem Hierosolymitanam, extra quam nobis sit exendum, hoc est, omitendam communionem cum umbris V. T. & typis & sacrificiis, in castris quondam usitatis. *Diff. IV* controversias aliquot recentiores critico-exegeticas sub censuram vocat. Ac primo quidem loco confiderat Casp. Neumanni, Læscheri, & Zieroldi hypothesis de essentiali vi & significato literarum Hebraicarum, eamque suo dignatur suffragio. E contrario improbat & copiose refellit doctrinam Masclesii, puncta vocalia Hebræo codici subscripta rejicientis, & diversissimam a recepto legendi modo pronuntiantium rationem commendantis. Hinc de usu & abusu variantium lectionum N. T. differit, simul eos refutans, qui, menda & glossmata in N. T. irrepsisse, sibi persuaserunt.

P. III Diff. I, historiam populi & regni Moabitici Duce sacro Codice describit accurate. Divisit autem hanc historiam in quatuor periodos sive capita, quorum *primo* recenset fata Moabitarum inde a primis gentis hujus incunabulis ad initia usque conditæ a Deo in populo Israelitico theocratæ; *secundo* enarrat statum Moabitarum temporibus Mosis & sequentibus usque ad exortum

tum Regni Israelitici; *tertio* historiam hujus nationis persequitur usque ad regni Israelitici exitum; *quarto* denique completitur eorum historiam temporum, quæ captivitatem Babylonicam consecuta sunt. Ac duo quidem priora Capita hic exhibet: cetera duo *Parte* hujus operis proxime sequenti: ubi & de *Moabo mystico* singularis prodit Dissertatio: in qua contendit, Moabitas esse hostes ecclesiæ, simulque refellit eos, qui ingeniosius, quam verius, Moabitas invenerunt in Novi Testamenti parabolis. Verum revertimur ad *Partem tertiam*, cujus *Dissert. II* Cl. Autor doctissime refellit opinionem Hammondii, statuentis, primis Ecclesiæ Christianæ temporibus duos fuisse Episcopos in unaquaque civitate, in qua simul versarentur conversi ex Judæis & conversi ex gentilibus. *Diss. III* pertractat verba Pauli, Christum *Phil. III, 8*, vocantis *fidelium lucrum*. Innui scilicet putat, non nostris nos justificari meritis, sed gratis & solius Christi merito. *Diss. IV* docet, *Hebr. II, 11*, per *unum* illum, ex quo sint sanctificans (h. e. Christus;) & sanctificati, significari Abrahamum. *Diss. V* occasione Dissertationis a Josepho Pasino Patavii A. 1716 editæ aliquot sacri codicis loca secus, ac ille fecerat, interpretatur. Primo videlicet Pasinus verba hæc *Genes. XI, 4*, *אֲנִי וְאֶת אֲבִי* reddiderat sic cum vulgato interpreté: *anæquam dividamur*. Noster autem receptam tuetur sententiam. Deinde refellit Pasinum, ratum, *Genes. XIV, 18*, sacrum scriptorem loqui de oblatione sacrificii a Melchisedeco præstita. Tum *Genes. XXXVI, 24*, per *אֲרִיִּי* intelligi docet herbam quandam in exiniam ab Ana inventam. Hinc confutat Pasinum, *Exodi XXXVIII, 1*, reperisse sibi visum moniales. Tum *1 Sam. XV, 4*, per *אֲרִיִּי* capi jubet nomen oppidi cujusdam. Inde *1 Sam. XXX, 7*, docet narrari, non ipsum Davidem induisse Ephod, sed tantum petiisse, ut afferretur Ephod, quo indutus Abiathar Deum consuleret. Pari modo illustrat loca *1 Reg. VIII, 9*, *Hebr. IX, 4*, *2 Reg. II, 8*, *Psal. XL, 7*, *Hebr. X, 5*, *Jerem. XXXI, 32* & *Hebr. VIII, 9*.

Partis IV duo priora Capita, quæ de Moabitis agunt, ante recensuimus. *Diss. III* Cl. Autor illustrat locum *Jesaiæ XXXIII, 18*, repetitum *1 Corinth. I, 20*, statuens, per *אֲתָנָהּ אֲתָנָהּ* significari hominem, qui sapientiam jactet altam & sublimem, dime-

dimetiens quasi & erigens turres altissimas. *Diff. IV* de reverentia differit circa Eucharistiam manibus tractandam. Præmittit vero historiam controversiæ de questione, an laicis unquam liceat sacram cœnam administrare. Hinc cum Gerharo docet, libertati Christianæ relictum esse, utrum sacra symbola communicantibus in manus tradantur, an in os ipsorum immittantur a sacerdote. Refellit hinc & Papas & Reformatos, quorum illi negant, laico licere ea manu apprehendere; hi e contrario docent, debere ea laicos in manus suas sumere. *Diff. V* confutat Tobiam Swindenii, Angli, opinionem, statuentis, solem esse locum inferni. Cujus viri libellum cum nos in his *Actis A. 1715 p. 107 sq.* recensuissimus, ea recensio duobus doctis viris occasionem præbuit, singularibus libellis eam refellendi sententiam. Noster vero ipsum Swindenii libellum ob oculos habuit, eique opponit partim silentium sacri codicis, partim loca Biblica plura, quibus cum illa hypothesis conciliari neququam potest.

Partis V Diff. I Cl. Autor contra Bælium vindicat argumentum pro veritate Christianæ religionis ex diffusa ejus propagatione desumptum. Facile tamen credimus excusari posse Bælium, si cui libeat ejus suscipere patrocinium. *Diff. II* agit de parabola *Matth. XIII, 47*, adductisque & rejectis Coccejanorum mateologicis interpretationibus, receptam sententiam sua se simplicitate commendantem propugnat. *Diff. III* verba Pauli illustrat *1 Tim. III, 15*, ubi Ecclesia vocatur *κύριος καὶ ἐδραία τῆς ἀληθείας*. Ostendit itaque, hunc titulum ab Apostolo non tribui Timotheo, quæ Basilii M. fuit sententia plures subscriptores nacla; non doctrinæ Evangelicæ, quod quidem Clerico & pluribus viris doctis, novam interpunctionem facere ausis, placuit; sed Ecclesiæ. Cum vero docti quidam viri existimarint, Paulum isto titulo respicere columnas templorum gentilium, Noster mavult eum ex templo Hierosolymitano & sacris Israelitarum illustrare, quam ad templum Ephesinum recurrere vel sacra Eleusinia. Rejectis hinc eorum conjecturis, qui ex Hebraicis quidem antiquitatibus illum titulum explicant, sed incerta sectantur & lubrica; ipse profert sententiam nemini adhuc observatam, quam tamen putat certissime veram esse. Arbitratur videlicet, respici ad columnas atrii, quod

quod ambiebat sacrum tabernaculum. Harum columnarum usus fuit, inquit, vela sustinere, & ab injuriis aeris atrium securum prestare, sacerdotesque continere, ut vices obire suas & sacra peragere possent. In templo ipso deinceps & ornatum & fulcimentum tanti aedificii prestabant, utrinque ut cultus divinus observari commode posset. Eadem etiam partes sustinet Ecclesia, ut inter columnas divina cura & providentia receptaculum inveniamus, tantisque fulcris nisi, Deo tuto servire, cultumque Deo debitum exhibere securi possimus. *Diss. V*, illustrandum suscepit *Psalmi XXXIV*, versum septimum una cum tribus subsequentibus, per *angelum v. 8*, intelligi contendens Christum: quam quidem sententiam haud immerito a Cl. Autore rejectam fuisse in locum ultimum, complures esse arbitratos, facile intelligimus. p.139.

AMOENITATES LITERARIÆ.

Tomus IX.

Francof. & Lipsiæ apud Dan. Bartholinxi, 1728, 8.

Alph. 1.

SEPTEM hoc Tomo contentarum Dissertationum primam & secundam ipsemet elaboravit Cl. Schelhornius: ceteras aliunde acceptas summo merito inseruit hisce *Amœnitatibus*. Pergit igitur duabus illis Dissertationibus doctissimus Editor persequi exempla librorum sive publica autoritate sive fato quopiam in cineres redactorum. Qua occasione doctas subinde interserit digressiones, e. g. p. 691 sqq. de scriptis *Pauli Scalibii*, quorum, quippe rarissimorum, integros apponit titulos; p. 698 sqq. de scriptis famosis *Casp. Scioppii*; p. 726 sqq. de *Sigismundo Unrugio*, Equite Polono, indignissime non ita pridem vexato a Pontificiis. Tertio loco recusa exhibetur *Leonis Allatii Confusatio fabula de Joanna Papissa*. Quartum tenet locum *Jo. Phil. Palibeni*, Prof. Gryphiswaldensis, *Epistola de Papissa commentitia*. Hic quidem solum scriptorum illius ævi silentium sufficere abunde

N n

de

de putat ad agnoscendam fabulam, ac simul hebetiorum ingeniorum in gratiam de vera ratione & momento silentii historici disferit. *Quinto loco* exhibetur *Supplementum* ad Commentationem *Tomi VII*, iactio editam de monumentis antiquis in agro Tigurino nuper erutis. Simul indicatur, doctissimæ illius dissertationis antiquariæ autorem esse *Jo. Jac. Breitingerum*, Tigurinum. Sequitur hinc *Jacobi Zimmermanni* Exercitatio de *atheismo Platonis*. Defenditur hic copiosissime præsci illius philosophi innocentia contra *Bælium* & *Gundlingium*, viros illustris famæ, qui atheis & *Spinozistis* annumeratum voluerant *Platonem*. Noster e clarissimis *Platonis* doctrinis, *atheismo* & *Spinozismo* e diametro oppositis, probatum it, toto cælo errasse *Duum viros* illos. Adducit nimirum loca luculentissima, e quibus apparet, *Platonem* statuisse ens aliquod æternum & sapientissimum, idque a materia diligenter distinxisse, nec ullo necessario vinculo cum materia conjunxisse, imo potius summam libertatem & imperium in materiam Deo tribuisse, ac denique providentiam Dei agnovisse & professum esse. *Ultimo loco* exhibentur duæ epistolæ *Peirescii* *Francofurtani* de *primitiis typographicis*. Hic *Missonii* & *Bentheimii* narrationes de libris primum *Harlemi* excusis, ibique summa religione asservatis, erroris convincuntur, docetque *Uffenbachius*, se bis fuisse *Harlemi*, ac facillime a scriba *Senatus* impetrasse, ut sibi exhiberet libros a *Laurentio Costero*, primo artis typographicæ inventore, editos. Apparebat autem, non modo figuras, sed etiam literas, ligno fuisse incisas, simulque chartæ impressas. *Costero* igitur concedit primam inventionis gloriam, at *Guttenbergium* hac ansa sibi data typos invenisse separatos elegantioresque, melius etiam atramentum, ac denique in utrumque foliorum latus imprimendi rationem. Hinc describit ceteros eadem arte descriptos a *Costero* libros, eorumque argumenta enarrat. *Ibidem* vidit *Officia Ciceronis* A. 1466, a *Joanne Fust*, *Moguntino* cive, typis exscripta, quæ paucis describit, atque alia de typographicis antiquitatibus adjicit lectu dignissima.

JACOBI

JACOBI BRUCKERI OTIUM VINDELICUM, sive Meletematum Historico-philosophicorum
triga.

Augustæ Vindel. apud D. R. Merz, & J. J. Mayer, 1729, 8.

Plag. 20.

Denuo Historiam philosophicam illustrare aggreditur Autor Pl. Reverendus, Ecclesiastes Kaufbyrensis, cujus *Historiam philosophicam doctrinae de ideis* A. 1723 p. 392 sqq. recensuimus. *Prima* igitur *Dissertatione*, quam Jenæ jam editam A. 1719, nunc & emendatiorem & multis perdoctis digressionibus locupletio-rem exhibet, docet, *cavete instituendam esse comparationem philosophiæ gentilis cum Scriptura S. & religionis Christianæ dogmatibus*. Primis quidem Ecclesiæ Christianæ temporibus cur doctores demonstrarint, Christianos gravissimas suas doctrinas cum priscais philosophis communes habere, rationem affert luculentam. Hinc ostendit, Judæis paulatim artuisse doctrinas gentilium philosophorum, ac Pharisæis quidem Stoicas, Sadducæis Epicureas, Essenis Pythagoricas: indeque concludit, subinde opus esse historia philosophiæ gentilis ad capienda istarum sectarum dogmata. Addit, nec Apostolorum dicta, ubi scilicet res eis est cum philosophis, satis intelligi posse sine historiæ philosophiæ subsidio: eaque occasione ex hoc fonte illustrat duo Pauli loca, alterum *Actor. XVII, 18 sq.* alterum *Coloss. II, 18, 19*. Hinc producit doctores veteris ecclesiæ, qui philosophorum placita cum Christianæ religionis doctrinis commiserunt, & hoc ipso manifestum fecerunt, philosophia longe sanctiorem perfectioremque esse religionem Christianam, Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Arnobium, Lactantium, ceteros. Adjungit juniores scriptores hoc exemplum secutos, Steuchum, Moræum, Huetium, reliquos. Cum vero facile sit peccare in comparatione philosophiæ gentilis cum religione Christiana, a multisque peccatum fuerit, Cl. Autor necessarias suppeditat cautiones ac perdocte illustrat. Primo cavere quemque jubet, ne sup-

Na a

posi-

positivos libros, e. g. Zoroastris, Hermetis, recipiat pro genuinis: deinde ne, cum dux sectæ iisdem verbis utuntur, idem semper ab iis significari doceri que existimes, & e. g. Trinitatem Platoniam non differre credas a Trinitate Christianorum. Ceteras cautiones convenientibus illustratas exemplis præterire nos jubet nostra brevis.

Altera Diff. habet *Observationes* Cl. Autoris *criticas* in Anonymi Galli A. 1724 editam, & in his quoque Actis eodem anno p. 45 sqq. recensitam *Historiam philosophiæ æthiopicæ*. Scilicet exemplo quodam ostensurus necessitatem cautionum superiori dissertatione expositarum, docet, Anonymum illum, cui alioqui laudem tribuit elegantioris eruditionis multæque lectionis, sæpius hic offendisse, e. g. cum Thaletis de Deo sententiæ, erroris labem non carenti, tribuat sensum prorsus orthodoxum; cum Indis sanam fuisse censeat sententiam de spiritualitate Dei; cum Stoicos doceat habuisse optimas de Dei natura doctrinas; cum Plinium, verius Stoicum, inter atheos referat; cum philosophos veteres, maxime Stoicos, de attributis divinis recte sensisse tradat, cum tamen illorum dicta plurimum monstri alant, & sæpe Spinozianum foveant.

Tertia Diff. persequitur honores sapientiæ autoribus & doctoribus apud barbaros & Græcos post fata tributor. Hic nec Judæos silentio prætermittit, post fata mire atque adeo superstitione veneratos Mosen, Eliam, Jeremiam, & quicquid fuit magnorum prophetarum. Hinc ad Chaldæos progreditur & Egyptios & Sineses & ultimæ antiquitatis Græcos, ostenditque divino cultu affectum fuisse Belam, astronomum, Hermetem, Confutium, Orpheum, & Homerum. Ac de Homeri quidem philosophia & amplissimis laudibus copiosius disserendum sibi censuit. Affirmat deinde dignis fide testimoniis, statuas in Græcia fuisse positas clarissimis philosophiæ magistris, Thaleti, Socrati, Platoni, Diogeni Cynico, Chryssippo, Democrito, Zenoni. Ultimo loco docet, eo venerationis processisse Græcos, ut pro diis colerent alii Biasem, alii Anaxagoram, alii Platoneum, alii Aristotelem,

telem, alii Chrysippum, alii Pythagoram, alii denique Epicurum.

THE TRAVELS OF CYRUS.

h. c.

ITINERA CYRI, IN DUOBUS VOLUMINIBUS *descripta, quibus annectitur discursus de Theologia & Mythologia Veterum, Autore ANDRÆA RAMSAY Equite.*

Londini, apud T. Woodward & Joh. Peele 1727, 8.

Alph. 1 pl. 16.

HABEMUS hic novam *Cyri peritiam*, non ad historię fidem, nisi quod Chronologiam recte satis observat, scriptam; sed adeo ad institutionem iusti imperii comparatam, ut *Cicero*, si utramque vidisset, meliore forsitan jure de hac *Cl. Ramsay*, quam de illa *Xenophontis* pronunciasset: *nullum prætermisissimum officium diligentis & moderati imperii*. Opus *Fenelmiano Poemati*, si sili cothurnis, certe rerum ac doctrinæ gravitate atque utilitate, nullo modo inferius. Quæ enim *Mentor* illic *Telemachum*, hic *Cyrum* summi nominis Philosophi, *Zoroaster*, *Chilo*, *Solon*, *Pythagoras*, & *Isaëzer*, ipse denique *Daniel* Propheta, quos omnes in itineribus suis convenisse fingitur, multo apertius veriusque edocent. Magnis præterea exemplis *Pisistrati*, *Amenophis*, *Ecnibalidis*, *Nabuchodonosoris* &c. arte singulari descriptis, iusti vel injusti imperii effectus atque exitus tam pulchre exponuntur, & subjiciuntur quasi oculis, ut *Principibus juventutis* hujus fabulæ lectio maximo sit commendanda opere; quam non minori eruditione, ac prudentia & elegantia conscriptam esse, testatur doctissima appendix, de *Theologia & Mythologia veterum*, in qua nobilissimus Autor, quicquid veteres Sapientes, præsertim *Persæ*, *Ægyptii*, *Græci* & *Hebræi*, de existentia Dei ejusque providentia, de origine mali, de corruptione generis humani, de mediatore quodam inter Deum & homines, de statu animarum post mortem, de vita denique æterna statuerunt, admirabili eruditione explicat. Librum huic partiulatim recensere superfedemus, utpote quem

in diversas linguas suo merito translata, omnium jam manibus teri, lætantes intelligimus.

ADRIANI A CATTENBURGH, S. THEOL.
Professoris inter Remonstrantes, Bibliotheca Scriptorum Remonstrantium: cui subjunctum est specimen controversiarum inter Remonstrantes & Socinum ejusque affectas.

Amstelædani, apud Balth. Lakeman, 1728, 8.

Alph. 1.

Historiæ literariæ studiosis haud dubie placebit labor Cl. *Cattenburgii*, hic ordine alphabetico exhibentis Catalogum omnium omnis generis librorum, quos ediderunt Arminiani: quanquam solos repræsentat librorum titulos, nisi quod Belgicis titulis adjecit Latinam versionem, ac munus diemque fatalem cujusque scriptoris indicat. Reperias itaque hic (ut clarissimos horum autorum commemoemus,) catalogum librorum Casparis Barthei, Gerhardi Brandii, Joannis Clerici, Stephani Curcellæi, Simonis Episcopii, Hugonis Grotii, Philippi Limborchii, Arnoldi Poelenburgii, Danielis Tileni, & Joannis Utenbogardi, cujus quidem librorum tanta est multitudo, ut catalogus eorum pæne triginta impleverit paginas. Discimus etiam ex p. 5, superesse MS. commentarium Jac. Arminii in *Prophetiam Jonæ*, itemque (p. 6) MS. Commentarium Cornelii Arckelii in *Corippi libros IV de laudibus Justinii Imp. &c* (p. 89) MS. *Anthologiam epigrammatum Græcorum*, Latinis versibus a Grotio elegantissime redditorum. Docet etiam Cl. Autor, nunc esse sub prelo Joan. Clerici Commentarios in *Jobum* & ceteros hagiographos: perfectos item & ad prelum subeundum paratos esse ejusdem Commentarios in *Prophetas*. Nec pauci in hoc catalogo indicantur veri autores librorum *divorum* editorum. Notatu quoque dignum ducimus, quod p. 127 refertur, in Jacobi Taurini caput præmium mille florenorum constitutum fuisse ob editum librum *de diversitate religionum toleranda*. Adeo detestanda tum temporis videbatur hæc sententia. Ipse Cl. *Cattenburgius* sua hic scripta enu-

mera-

merare coactus est : ubi quidem hoc singularis exempli est, quod ante nihil edidit, quam factus est in Limborchii locura Professor Theologiæ A. 1712. Ex eo tempore edidit 1) *Vatum salutis*, 2) *Spicilegium Theologiæ Limborchiana*, a nobis recensitum A. 1727 p. 150 sq. 3) lingua Belgica *Continuationem Viæ Hugonis Grotii a Casp. Brandtio scriptæ*.

Progredimur ad subjunctum *Specimen controversarum inter Remonstrantes & Socinianos, exhibitum ipsissimis scriptorum verbis*. Objectus scilicet per sæpe fuit Remonstrantibus consensus cum Socinianis. Nec defuerunt e Remonstrantibus, qui ad crimen hoc diluendum docerent, Remonstrantes arctissime tenere sententiam de Deo Patre, Filio, & Spiritu S. deque persona & officiis Christi. Cum vero hi libri non sint in omnium bibliothecis, saltem exteri eos legendi occasione careant, Noster in animum induxit, his loci ipsa cum Remonstrantium, tum Socinianorum, verba de singulis doctrinis producere, ut maximus utrorumque dissensus fiat manifestissimus. Dissensionem igitur Arminianorum a Socinianis ostendit in septem Capitibus, quorum *primum* est de demonstratione existentiae Dei, *secundum* de omnipresentia Dei, *tertium* de Dei præscientia, *quartum* de tribus personis divinis, (ubi simul Jo. Clerici verba semel iterumque producit ad ostendendum, eum in doctrina de Trinitate atque de Christo haud favere Socinianis, sed esse orthodoxum) *quintum* de satisfactione, *sextum* de cultu & invocatione Jesu Christi, *septimum* denique de baptismo.

THE FOUR YEARS VOYAGE.

h. e.

RELATIO ITINERIS ET LABORUM PER
quadriennii tempus exantlatorum a GEORGIO
ROBERTS.

Londini, apud A. Bettesworth & J. Osborn, 1726, 8.

Alph. i pl. 7, cum figuris æneis.

QUæcumque de factis auctoris scire publici intererat, omnia fere exprimuntur in titulo huic relationi præfixo ampliore. Reliqua

liqua etiam ad paucissima redeunt. Scilicet ipse ex Anglia ad *Barbados* insulam cum venisset, iter destinaverat in Guineam. In quo autem interceptus a Piratis tribus, omnibusque exutis rebus in navigio vacuo una cum duobus pueris relictus undisque commissus fuit. In quo periculo cum 20 dies exegisset, ad aliquam insularum *capitis viridis S. Nicolai* appulit. Unde tempestate iterum retractus, relicto sibi unico saltem ex pueris, post 4 dies nave etiam fracta ad insulam fere desertam *S. Joannis* ejectus est. Ubi vix a morbo & ærumnis per incolas relictus, biennium egit: donec navicula iterum fabricata ad alias insulas *Capitis viridis* demumque iterum ad *Barbados* deserretur. Quæ in descriptione insularum *Capitis viridis* maxime notatu digna existunt, insularum ipsarum recensitionem spectant: ex qua intelligimus, quibusdam earum alia esse nomina, quam in tabulis occurrunt. Quæ enim *Brava* dicebatur, nunc *S. Joannis* est. Quæ *Ignis* vel *Fuego* vocatur alias, *S. Philippi* nomen quoque habet, & quidem antiquius, cum nondum flagraret, demum enim, postquam mons ignivomus vi eadem surrexit, alterum nomen accepit. Reliquæ sunt *S. Jacobi*, *Salis*, *Bona Vista*, *Maji*, *S. Nicolai*, *S. Antonii*, *Châon*, *Branca*, *S. Lucie*, & *S. Vincentii*, quarum hæc quatuor desertæ. Sed ineunte fere hoc seculo per 16 vel 17 annos tanta siccitas, & pluvie defectus memoratur fuisse, ut ex habitatis etiam plurimæ desertæ fere redditæ fuerint. Maxime vero hoc malo afflictæ *Salis*, *Maji* & *Bona Vista* insulæ, quarum solum humilium.

Prostat Supplem. Tomi IX Sectio XII seu ultima, qua continentur: 1) *Antonii Carvalli de Costa* Chorographia Lusitaniz. Tomi III. Ulyssipone T. I 1706, T. II 1708 & T. III 1712, fol. 2) *Damiani de Goez* Chronicon Regis Lusit. Johannis II. Ibid. 1724, 8. 3) Memoria Virorum in Suecia eruditissimorum redi-viva. Semidecas I. cum Præf. C. N. B. D. Rostochii 1728, 8. 4) *Guilielmi Ker*, Observationes circa modum regiminis diversarum provinciæ Germaniz, Daniz, Sueciz &c. Lond. 1727, 8. 5) Observationes Peregrinatoris cujusdam circa Bataviam, Germaniam, Italiam &c. Hagæ Com. 1728, 12. 6) Elogium *Philippi Ouseel*. 7) Elogium *Petri Welfarti*. 8) Indices Autorum & rerum, quibus Tomus hic absolvitur.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXIX.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB
Anno Æræ Christianæ D ad MD. LUDOVICUS AN-
TONIUS MURATORIUS, Ser. Ducis Mutinæ Bi-
bliothecæ Præfectus collegit, ordinavit & Præfationi-
bus auxit &c.

Tomus XII.

Mediolani, ex Typogr. Societatis Palatinæ in Regia Curia,

1728, fol

Alph. 7 pl. 4:

TOMUS hic, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ compta ac
gravi dedicatione consecratus, sive Scriptorum raritate,
sive rerum, quæ in iis continentur, pondere prioribus
minime concedit. Eminent in his merito I *Andrea Danduli*, qui
A. 1343 nondum natus annos triginta septem, ob doctrinam (pri-
mus enim e Patritiis Doctoratus insignia admisit) & virtutes exi-
mias, humanitatem imprimis, unde *il Cortesin* dictus, ad Duca-
tus Veneti honorem evectus est, *Chronicon Venetum a Pontifica-
tu S. Marci ad annum usque 1339 a Raphaëno Carefini* ad A. 1388
continuatum; e quo discas, quæ sub ipso Dandulo gesta sunt.
Probat vero Nosler, hic *Magnum Chronicon Danduli*, certe ad an-
num usque 1280 exhiberi; cetera vero usque ad A. 1342 ex ejus
Historiæ Compendio deprompta esse concedit. Et usus quidem
est duobus Codicibus Bibliothecæ Estensis cum Ambrosiano, qui
a Jo. Vinc. Pinello passim aliunde & e tabulis ineditis (in quibus
sunt Lotharii & Henrici IV Imp. privilegia aliaque) auctus fue-
rat,

o

rat,

rat, ita collatis, ut quæ ad ipsum contextum non pertinerent, in notis fuerint adscripta; quæ in remultum Nostro profuit opera Cl. *Jos. Ant. Saxii*. Etsi vero non neget Noster, Dandulum veterum quorundam autorum fabulas adoptare & subinde in Chronologia cæspitare, multa tamen ex antiquitate monumenta & res gestas in Venetia Istria finitimisque partibus tradere, quæ frustra alibi conquirentur, evincit, imprimisque observat; magni habenda, quæ de origine & incrementis urbis Venetiarum profert, modestiam ejus insuper & calamum a partium studio alienum commendans, cum recentiores Venetorum Scriptores nihil ferme, quod est ad remotiora sæcula, nisi victorias ac triumphos loquantur. Accessere quoque nonnulla, quæ e Codice eodem Ambrosiano annectebantur e Jo. Bembi Chronico desumpta; ab A. 1333 ad A. 1410. Sequuntur II *Fragmenta Annalium Romanorum*, ab A. 1328 ad 1340 Italice scripta, Autore *Ludovico Bonconte Monaldesco*, nunc primum e Codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis descripta. Autor hic natus A. 1327, si vera sunt, quæ in exordio hujus opusculi narrantur, ad annos CXV vitam produxit, atque adeo circiter A. 4131 decessit: quamvis risu dignum sit, quod Autor ibidem de se ipso testatur, se tantam ætatis suæ mensuram implexisse sine ullo valetudinis incommodo, atque ex uno senectutis morbo e vita cessisse, quasi hæc ex Elysiis post mortem ad nos conscripta miserit. Sed ea forte ad marginem olim adscripta in textum ab insulsis scribis translata sunt, cum etiam in Codice Romano eodem modo legantur. Ex eadem Bibliotheca Cæsarea descriptum est III prolixius *Dominici de Gravina Chronicon de rebus in Apulia gestis ab A. 1333 ad A. 1350*, quæ periodus incidit in ea tempora, quibus Johanna I, postquam avo suo Roberto Regi in Regno Neapolitano successisset, Andree nupsit Hungariæ Regis filio, postea fastidito, suffocatoque A. 1345 & de fenestra projecto; cujus mortem ultus frater Ludovicus Hungariæ Rex Johannam in Provinciam fugere compulit. Hæc autor synchronus, Notarii arti deditus, sed sæpe in iis turbis arma pro Hungaris, quibus favebat, tractans tandemque eam ob causam in exilium missus, latius diduxit, ne minimis quidem, quod nonnullis minus placebit, prætermisiss, stylo qui-

quidem, si non eleganti, perspicuo tamen, nec ullibi pravos Auctoris affectus prodente: quem tanto majori in pretio habendum Noster putat, quod nemini fere Scriptorum Neapolit. haecenus visus fuerit vel cognitus; ut dolendum oranino sit, Codicem huic fere unicum sub initium & finem nimium detritum immo lacerum esse, ut foetus integer proferri haud potuerit. Exhibet porro Noster IV *Historia Parmensis Fragmenta* ab A. 1301 ad 1355, autore Fratre *Johanne de Cornazanis*, Ord. Prædic. Latine primum scripta, sed hic ex Italica versione minime antiqua Joannis Marii de Herba Parmensis, quod Latina non suppetent, edita, quibus Chronicon illud Parmense, quod Tomo IX hujus Collectionis exstat, ut indicavimus nuper in Supplém. Tomo IX Sect. XI, quodammodo continuatur; accessit breve Additamentum ab A. 1355 ad 1479 sive ab Interprete sive a quocunque alio adornatum. Uti vero Cl. Editor varia monumenta, quæ cum Albertini Mussati vita Henrici VII Imp. junctim ediderat A. 1636 Felix Ofius, passim huic Collectioni interspersit; ita hic quoque dedit V *Gulielmi & Albrigei Cortusorum Historiam de Novitatibus Paduæ & Lombardia* ab A. 1256 ad 1364; sed longe, quam in editione Ofii, castigatiorem & auctiorem. Quippe & Codex Estensis ac bini Ambrosiani varias Lectiones suppeditarunt, & Celeb. Vir, Apostolus Zenus, nobis quoque non uno nomine suspiciendus, Nostro haud ægre communicavit e MS. Capita XXIV in editis adhuc desiderata, & nunc, ut par erat, in Librum II a Cap. II ad XXV conjecta; tum & impetravit Noster opportune ab Excell. Comite Ant. Rambaldo Collalto, intimo Cæsaris Consiliario, Mæcenate eximio, Chronicon MS. Andreæ Redusii de Quero, opus spissum posthac edendum, cui cum ab Autore opus integrum Cortusorum, nulla eorum mentione facta, insigni plagio inferum & subinde nonnullis Redusii additamentis decoratum reperisset, & varias lectiones & supplementa hæc in editione addere operæ pretium duxit. Cumque Cortusii desinant in A. 1358, commode hoc loco accedunt VI *Additamenta duo ad Chronicon Cortusorum*, sed Italica lingua ab Autoribus anonymis scripta, unum ab A. 1359 ad 1365 alterum ab A. 1354 ad 1391, nunc primum e membrana Bibl. Estensis evulgata;

quorum quidem primum non improbabili conjectura ipsis Cortusis, qui paulo longius suam produxerint historiam, deberi censet. VII *Gualvanci de la Flamma*, cujus *Manipulum Florum* superiori Tomo XI Noster in lucem protraxerat, (vid. Acta hujus anni M. Mart. p. 99) *Commentarius de rebus gestis Azonis, Luchini & Johannis Vice-Com. ab A. 1328 ad 1342*, qui in Codice Ambrosiano ejusdem auctoris *Chronico majori*, quod ipse Azoni dedicaverat, subjunctus existat, eo majori in pretio habendus, quod Autor illo tempore, & quidem in aula Archiepiscopi Mediol. Johannis, cujus Capellanus & scriba fuit, vixit: ut adeo ex eo Covius, Morigia, Ripamontius aliique Scriptores Mediolanenses, quod eleganter in præmissa Epistola J. A. Saxii, cui & operis hujus copiam & notas in illud eruditas debemus, demonstrat, corrigi subinde & suppleri possint. Hinc vero jucunde discas renatum post tot bella ædificiorum Mediolanensium splendorem, leges datas ad instituumdum præclarum justitiæ regimen & publicæ quietis inducendam securitatem, & mores imprimis civium a veteri sobrietate desciscientium corrigendos; quanquam non dissimulandum, ne in his quidem plane a fabulis abstinuisse autorem, ad insulos omnes populi rumores, velut indubie fidei oracula, excipiendos nimium adfuetum. Accedit denique VIII *Bonincontro Morigia*, civis Modætiensis, non exiguæ autoritatis, militia quippe & civili prudentia clarissimi, *Chronicon Modætiense ab origine Modætiæ usque ad A. 1349*, quo Cel. Muratorius jam ante in Diss. sua de Corona ferrea non sine fructu usus fuerat, nunc ex unica Membrana Ambrosiana, quanquam non parum a scriba corrupta, a Cl. Saxio editum. Equidem Autor, quem usque ad annum circiter 1360 vixisse verisimile est, in rebus superiorum temporum fabulas, ut alii, admittit; in iis tamen, quæ post A. 1300 gesta sunt sub ejus oculis, & quorum ipse pars aliqua existit, fidem omnino meretur, ut taceamus, res priorum Vicecomitum Principum ab eo imprimis multum illustrari.

JO. GRATIANI, IN GYMNASIO PATAVI-
no Philosophiæ Prof. Historiarum Venetarum Libri
XXXII.

Tomi II.

Tomii II.

Patavii, apud Joannem Mansueti, 1728, 4 maj.

T. I Alph. 4 pl. 11, T. II Alph. 4 pl. 14.

AD historiam scribendam sollicitandos alii putant politioris literaturæ antislites, alii oratores ob peritiam dicendi, alii viros usu in Rep. versatos, quidam milites idoneos censent, qui rebus in bello gestis interfuerunt, alii sacerdotes sanctitate conspicuos, alii denique Philosophorum hanc provinciam esse existimant, quod & Dionysius Halicarnassensis, teste usus Thucydide, historiam nominet Philosophiam ex exemplis. Nimirum, quod maximum est in historia, amorem veritatis putant adeo peculiarem Philosophis esse, ut sola veri cognoscendi cupiditas Philosophiam pepererit, ut evidentiam & luculentam explicationem taceamus, ex media Philosophia petendas. Neque Noster, qui inter Philosophos nomen proficitur, pedem posuisse in alieno choro videbitur, qui mentem appulit ad lucubrandam historiam, seu partem Annalium Venetorum, quam huc usque nemo perscripserat Latine, ab anno scilicet 1613, ad nostra usque tempora, cujus Libros XXIV priores, duobus hisce Tomis usque ad annum 1700 deductos, orbi literato sistit, unde notatu digniora, quæ non ad Venetos modo, verum & ad alias gentes, quarum sæpe res hic attinguntur, spectant, seligentes Lectori speciem dabimus, quid ex Opere præstantissimo, & sermone non incompto conscripto sibi polliceri queat. Favebat Uscochis Ferdinandus Archidux, ut nulla fere impensa fines contra Turcas taretur, ac per illos speciem quandam juris usurparet in mare Adriaticum, accedente imprimis Hispanorum instinctu, qui Venetis succensebant, quod se rebus Sabaudicæ Ducis in bello Montisferiatensi Senatus immiscuisset. Concinius, qui primas in aula Gallicæ Regis tenebat, cupiditate continuandæ potentie inflatus, arces aliquot in finibus firmaverat milite externo, qui sibi uni pareret. Nimirum Hispanis occulte favebat, ad quos perfugium esset, si quid variaret fortuna, quibusque, ubi primum non satis tutæ res suæ viderentur, illas traderet, & conjunctis inde viribus metuendum se Gallis præberet. Regis autem animum

Tom. I.
P. 19.

89.

- distinebat aucupio & venatione, additis corruptoribus, qui ad le-
 via studia illum perlicerent, voluptatesque cujusvis generis.
 Clefelio, Matthiæ Cæsaris amico, crimini dabatur avaritia, quam
 refutabat res ejus familiaris adeo angusta, ut vix necessaria cap-
 tivo suppetere. **145.** Ossonensis (*Ossuna*) Prorex Neapoleos ob
 rapacitatem, feritatemque animi apud Hispanos acculatus, auxi-
 lia Venetorum ac Sabaudi circumspicere, naves aliquot de suo
 instruere, milites privatim sua pecunia conscribere, ac plebem
 in Nobiles concitare cepit. Verum Borgia, qui succederet in
 provinciam illius, nocte arcem novam ingresso, consilia succes-
 su caruerunt. Reversum inde in Hispaniam, & in carcerem con-
 jectum, morbus supplicio subduxit. Antonius Foscareus, Se-
 nator Venetus, criminis majestatis falso damnatus A. 1622 in-
 terijt. Consueverat is nocte intempesta, vestitu mutato, nec ullo
 cum comite clam se conferre ad matronam quandam, illustri
 dignitate & fama integra. Cum vero eunti vicus esset intrandus,
 qui idem ferebat in domum legati Regis Galliæ; non desuere, qui
 clandestini cum legato colloqui eum accusarent. Comprehensus
 ergo fatebatur cetera omnia, illud unum fidenter negabat, se cum
 legato, aut ullo ex domesticis ejus egisse. Ipse firmus in propo-
 sito, ut matronæ parceret nomini, eamque a certo vitæ periculo
 liberaret, tacendo culpam confessionis incurrit: convictusque a
 testibus perduellionis prænam subiit, publice suspensus patibulo.
 Enimvero hi ob alia crimina paullo post morte damnati, facinus
 detexerunt: Decemviri vero, quod unum poterant, ut famam
 mortuo restituerent, eum templo Marcio sepulchris majorum
 intulerunt. **181.** Mansfeldium, cum suo ære militem alere non pos-
 set, plures expetebant ducem, magna mercede proposita. Mis-
 erat ipsa ad eum Isabella Austriaca legatos, qui conditionem of-
 ferrent, ut, si accederet ad Hispanos, crearetur Princeps Ro-
 mani Imperii, obtineretque Hagenoam urbem cum agro ejus,
 quam fiduciario jure posteri possiderent in perpetuum, ad hæc
 grandi pecunia donaretur, & secundum Spinulam primus esset
 in exercitibus Regiis: verum ingentia animo agitant, parva hæc
 visa. **195.** Palatino exauctorato, Cæsar de Bavaro sufficiens in lo-
 cum illius consilia agitabat, sed advefsabantur Hispani, quod Ba-
 varus

varus partem occupasset inferioris Palatinatus, quam sibi prædam destinaverant. Wallensteinus Danos classe territare volens, a Dantiscanis solum modicum numerum navium accepit, assentiente Rege Polonorum, cui optima hæc occasio videbatur ad frænandam deinceps & Suecorum ferociam; Hispanicas etiam naves frustra præstolatus, consilium differre in aliud tempus coactus est. Tantùm interea Germanis metum incusserat Cæsaris potentia, ut ipse Bavaricæ Dux clandestinis legationibus Gallicæ & Britannicæ Regum auxilia sollicitaret, qua tamen spe, flagrante adhuc bello inter eosdem, exciderat. Hispanicæ Rex misit ultro naves quasdam, quæ ad obsidendam Rupellam Gallos juvarent, auxilia in posterum majora pollicitus, cum expediret ipsi, bello diuturno implicari Gallos, ne isti consilia, quæ animoolvebat, turbarent. Regi Gallicæ, quo minus auxilia Mantuano mature ferre posset, non modo Rupellæ obsidio, sed & Regina Mater obsidebat, Mantuano, seu Nivernensi insensa, quod in turbis intestinis socias operas junxisset rebellibus, & Gallo Dux Aurelianensis Marlam Mantuani filiam nimium deperiret. Carolus Emanuel Sabaudus fatoungebatur A. 1630, Princeps magnitudine animi, consilio, ac bellica scientia excellens, quem tamen cupiditas proferendi imperii limites continua agitabat, unde extinctus videbatur tempore Italicæ opportuno. Nam cum Cæsar amoturus ex Germania, missurusque mox in Italiam crederetur Fridlandium, vel invitum; Sabaudus insensus Hispanicis egerat cum illo occulte, ut Mediolanensem Provinciam sociatis viribus invadentes suam uterque injuriam ulciscerentur. At sensisse ferunt Carolum morti proximum, quo se præcipitem dedisset; itaque cremanda curasse, quæcunque ultro citroque in eam rem scripta fuissent. Mediolani maxime fuere A. 1630, qui venena per templa spargerent perque vias, & tanta in veneficio inerat sævitia, ut infecti protinus fere exstinguerentur. Indicio delato ad magistratum, habitæ quæstiones, fontes damnati, & extant illa in urbe rudera ædium dirutarum, in quibus ad coquenda medicamenta congregabantur. Crudelitatem in excidio Magdeburgico patratam in Tillium rejicit Autor, ut & culpam cladis ad Lipsiam, quæ quidem Pappenheimio alii tribuunt. Gustavum

p. 251.

252.

256.

265.

326.

335.

344 sq.

362 sq.

Sue-

- Suecorum Regem in prælio ad Luzenam inter ultimos fere pugnantem occubuisse, refert Noster, & Lauenburgicum a suspitione exdis absolvit, quod ex armigeris duobus, qui prope Regem periere, alter usque in diem posterum superstes ita rem narra-
 verit, ut nullam Lauenburgicus suspitionem incurrere possit. Moderationem Regis in Catholicos propensionem ejus in hanc religionem adscribit, tum quod famam quæserit apud eosdem, ut fa-
 verent ad Germanici Imperii culmen tendenti. Eundem testatur
 Patavii in publico Gymnasio Mathesi maxime operam dedisse, usum Galilæo magistro. Prælii ad Nordlingam a Vinariensi
 (quem Wismariensem ubique Noster vocat) infelicissime com-
 missi, causam affert, quod cadi quatuor pyrii pulveris magna
 cum strage inter Succos dissilissent. Crequam a suspitione
 veneni Sabaudicæ Duci Victori propinati liberat Cl. Autor, quod
 mores Gallorum ab ista fraude abhorreant, & Dux haud satis
 validus corpore, curis insuper & laboribus attenuatus, naturæ
 cesserit. Halius Turcarum Præfectus Zemonicum Venetis tra-
 dere post acerrimam oppugnationem est coactus. Fraude ta-
 men uti constituerat: milites enim plus quam ducentos cavernis
 abdiderat, qui silentio noctis egredientes sopitos somno Vene-
 tos opprimerent, sed indicio ad Venetos delato extrahebantur,
 qui absconditi fuerant, & Halius indignus habitus, cui fides ser-
 varetur, quam ipse violasset. Georgium Ragotzium Transylva-
 niæ Principem clam odio habens Vilirius Turcarum, quod ipsum
 injuria criminatus apud Sultanum non semel in vitæ discrimen
 adduxisset, opportunitatem ulciscendi invenit, quod Ragotzium
 spe Regni Polonici occuparetur. Causa maturata a Leopoldo pa-
 cis 1664 traditur, quod in matrimonium ducturus esset Marga-
 retham filiam alteram Hispani, cum qua, si Regi parvuloque
 filio humani quid accideret, spem nactus successionis, no-
 lebât Turcico bello se implicium, ne forte Gallicæ Rex heredi-
 tatem illam armis sibi præriperet. Carolus II Mantuæ Dux in-
 vegeta ætate decesserat 1665, ex nimio, si famæ credas,
 veneris illicitæ usu. Decessit & mox Sigismundus Archi-Dux
 Oenipontis; cum in eò esset, ut sibi matrimonio jungeret Hed-
 wigen Palatini Suezbachiensis, (lege *Sulzbacensis*) filiam; sed

sed obflabat Cæſar, ne forte, ſi prius ſuſciperet ille filium, in pe-
tenda dignitate Regis Romanorum, filio ex ſe naſcituſto fieret
controverſia; cujus rei fides ſit penes Autorem. Ediſtum Romæ
1674 fuerat promulgatum, quo vectigalia nova ſolvere omnes, p.240.
nullo penitus, ne iſtis quidem legatis Regiis, exceptis, jubeban-
tur. Regibus tamen dira minitantibus, Ediſtum, quoad legatos,
brevi fuit reſciſſum. Viſtrius in obſidione Viennæ in eo peccaſſe
283.
obſervatur, quod partem exercitus trans Iſtrum, ut opprimeret in
itinere Polonos, aut certe, ne cum Lotharingo conjungerentur,
impediret, mittere neglexiſſet, & poſteaquam moſiſſe cognoviſt
conjunctis viribus Germanos ac Polonos, conſilium ſalutare Bu-
denſis Baſſæ detreſtaſſet, qui, ut cæſis arboribus, alibi vallo foſſa-
que aut lapidum congerie facta aditum contra hoſtes præmuni-
ret, autor ei fuerat. Jacobum, Regis Johannis Polonici filium, cum
288.
prope Vagum fluvium parum abeſſet, quin circumventus a Tur-
cis caperetur, iſtius Patris ſuccurrentis manu ereptum atque ita
ſervatum eſſe, Noſter teſtatur. Peloponneſo Venetorum ditioni
396.
ſubjecta factum Sctum, ut ſtatua ænea Imperatori Mauroceno in
armamentario Decemvirorum poneretur, quod quidem decretum
antea fuerat nemini, utque ex adjecta Venetorum imperio Pro-
vincia cognominen familia ſortiretur, inſcribebantur verba: *Fran-*
ciſco Mauroceno Peloponneſiaco viventi Senatus. Joſephum Re-
474.
gem Romanorum creatum, etiãſi annum ætatis duodecimam
vix ineunſi lex obſtaret, qua cæutum, ne octodecim annis minor
Rex dicatur, ſtatuit Autor; qua quidem de lege nihil conſtat inter
491.
Germanos. Prolatis Illyrici ſiibus & Peloponneſo occupata jus
perpetuum Venetis conceſſit Pontifex eligendi Episcopos urbi-
um captarum. In Comitatu Sepuſienſi hyberna ceperant Ger-
mani, riuſgentibus Polonis, quod Sigismundus Imperator idem-
que Pannoniæ Rex illum oppignoraffeſt Uladiſlao Regi Poloniæ,
nec Maximilianus Archi-Dux Auſtriæ fuiſſet ex captivitate di-
miſſus, niſi lege jurata, ut ab Hungariæ Regibus Comitatus iſte
nunquam repeteretur. Tandem intervenientibus Pontifice Ve-
netiſque, res eo deducta eſt, ut Cæſar de recuperando Comitatu
deſperans promitteret, Germanos ibi impoſterum non hyberna-
557.
tuſos. A. 1693 lex Venetiis perlata, ne facile Princeps Venetorum

p. 656.

720, 742.

179, 535, 546,

691.

crearetur Dux bellicus. Cumque ex veteri consuetudine Episcopi Illyrici designati, Romam peterent, coram Pontifice examinandi, ibique inungendi; Senatus Venetorum A. 1596, ne quid detrimenti pateretur jus Patronatus sibi semel concessi, id porro fieri recusabat. Re diu agitata, Pontifex non modo id, de quo contendebatur, remisit; verum & partem impensarum in diplomata condonavit. Legis vetustate pene abrogata, ut, qui exteris se addixissent ministros, ab officiis publicis Venetis excluderentur, denuo renovandæ occasione præbuit Vincentius Grimanus, qui Cæsaris gratia Cardinalis fuerat creatus, sed tandem à Senatu veniam impetraverat intercedente Cæsare. Ne enim impostorum civés Veneti commodi privati causa a patria se abstrahi paterentur, arctioribus limitibus lex circumscribebatur. Ceterum nec nitorem chartæ & typorum, nec splendorem atque varietatem ornamentorum æri incisorum operi deesse, non diffitemur; fateri tamen cogimur, multis in locis causas rerum gestarum plane neglectas, zelum religionis nimium, qui veritati historicæ obest, ubique proditum, & nomina Germanica, quod exteris solenne est, sæpe fuisse corrupta, unde Waldeccensem, hic *Valdevenssem*; Fürstenbergium, *Frisenbergium*, Trautmannsdorfium, *Tran:mendorfium*, Pforzenam, *Edssein*, Auersbergium, *Auspergium* vocari deprehendes.

DE GLI ANFITEATRI, E SINGOLARMENTE
del Veronese, libri due.

h. e.

DE AMPHITHEATRIS, ET PRÆCIPUE
*Veronensi libri duo; in quibus, quæ tum ad historiam,
tum vero Architecturam eorundem pertinent,
exponuntur.*

Veronæ, apud Jo. Albert. Tumermannum, 1728, 12.

Plag. 15, fig. æn. 15.

PRæsentis libri, molis equidem non adeo ingentis, argumentorum tamen pondere gravissimi notitiam lectoribus pro more nostro exhibituri, in principio statim monemus, illustrem Marchio-

chio-

chionem *Scipionem Maffium* illius autorem esse, indubiis nobis indicis constare. Dellinavit ille hunc *de Amphitheatris* Commentarium operi suo *Verona illustrata* titulo olim prodituro adungere; permisit tamen posthæc Bibliopola Turnermannò, ut separatim excusus, prodromi in vicem tantisper esset antiquitatum æstimatoribus. Fuerunt quidem inter hos, qui majori forma imprimendum suaderent, ut scilicet ænei typi magis afficerent spectatorum oculos, & externus quoque operis habitus ad similis generis Scriptorum formas componeretur; his tamen consultoribus noluit hac vice obtemperare bibliopola, tum ut compendium sumtum facerent emtores, tum vero ut magis commodus libri usus redderetur illis, qui ipsas Amphitheatrorum reliquias inspecturi, quarum imagines hic expressæ conspiciuntur, librum hunc simul secum absque molestia in iuere possent circumferre.

Omnis vero hæc de Amphitheatris tractatio, quod ipse statim index innuit, duobus libris absolvitur; quorum primus, quæ ad historiam horum ædificiorum, originem puta, conditores, instauratores, materiam, formas varias, reliquias & similia pertinent, curate recenset; alter vero, quæ ad structuram architectonicam & ipsas ædificii rationes interiores spectant, dilucide exponit; uterque autem ita comparatus est, ut superfuisse omnino post *Justi Lipsii*, *Caroli Fontana* aliortumque, qui *de Amphitheatris* commentati sunt, labores, quæ investigentur curatius, confirmentur solidius, tradanturque perfectius, ipsam vero hujus argumenti discussionem operosior non vanam esse atque sterilem, sed ad intelligentiam Scriptorum ex prisca sive sacrorum sive profanorum apprime conducere, haud difficulter attendenti cuilibet lectori pateat. Nos vero hoc jam agimus, ut libri summam dilucide ac solerter proponamus.

Pertinet ad res illas omnino, quas in prisca Romanis admirari magis quam imitari concessum posteritati est, ædificiorum, publicorum maxime, majestas, sumtus, elegantia, quæ inter *Amphitheatra* primum facile locum occupant. Horum originem investigaturi, qui a Græcis repetisse Romanos varii generis spectacula edendi morem, atque hunc in finem certa quædam ædi-

Lib. I.
Cap. I.

Cap. II.

ficia exstruendi, primam Amphitheatris occasionem præbitura, arbitrantur, parum vere existimant; cum contrarium potius vel uno *Livii histor.* lib. XLI, luculento testimonio probari possit, *Perseum*, ultimum Macedoniæ Regem, *primum* fuisse, qui gladiatores Roma vocatos Græciæ intulerit, ut gladiatorias solennes pugnas instituerent, perhibentis, & addentis statim, *cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum*. Scilicet ab Etruscis potius, primitivis Italix incolis, accepisse videntur Romani consuetudinem exhibendi populo solennia quædam gladiatorum spectacula; qui illa in mortuorum ab initio honorem, quos delectari profuso humano sanguine falsa religione inducti credebant, ad defunctorum sepulchra instituentes, vivorum posthæc etiam gloriæ destinabant. Primum hujus generis spectaculum Romæ a fratribus Marco & Decio Brutis A. V. CCCCXC editum fuisse in foro boario, funebri memoria patris cineres honoraturis, *Valerius Maximus* autor est Lib. II Cap. IV. Successu temporis, cum crescente in dies luxu post bellum Punicum secundum varii generis animalia ex Africa Romam secum illi abduxissent, primus *Marcus Fulvius* memoratur A. V. DLXVIII præter Athletarum ludos, bestiarum quoque, Leonum ac Pantherorum, pugnas suis sumptibus populo exhibituisse; cujus exemplum sequenti, *Marcus Scaurus* Aedilis munus fecisse centum & quinquaginta tigrium, quinque Crocodillorum & Hippopotami unius, *Sulla* autem Prætor centum Leonum pugnam instituisse leguntur; quos tamen iterum longo intervallo post se reliquit *Pompeji Magni*, *Julique Caesaris* magnificentia. Hactenus quidem in consuetis spectaculorum locis atque theatris, Circo itidem maximo edita fuerant; quæ cum minus ad spectantibus comoda, minus etiam quandoque a feris bestiis, elabendi pugnae loco spatia captantibus, tuta usu temporis deprehenderentur, occasionem præbuerunt novum theatrorum genus inveniendi. Primum illiusmodi operis specimen dedit ac Amphitheatrorum ædificationi quodammodo prælusit *Maximus Curio*; vel una *Ciceronis* familiaritate, scriptisque ad illum epistolis notissimus; qui, cum parentis funeri munere aliquo bestiarum parentare instituisset, neque tamen census sufficere vellet ad

ad istam elargitionem cum laude sustinendam, ad ingenium se convertit, si non muneris sumptuositate, inventionis certe novitate populo placiturus. *Exstrui jussit hunc in finem Curio duo amplissima theatra ex ligno, cardinum singulorum, quod ait Plinius hist. nat. Lib. XXXVI Cap. XV, cui uni inter antiquos rei hujus memoriam servatam debemus, libramento versatili suspensa; in quibus utrisque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese averſi, & repente circumacti, postremo jam die descenditibus tabulis, & cornibus inter se cocuntibus, Amphitheatrum faciebat.* Addit ille, quod novissimo muneris sumptibus die, cum restituere in pristinam primavamque suam faciem duo theatra illa, fessis turbatisque cardinibus, non ausus fuisset Curio, Amphitheatri formam custodiverit. Sed præhulit magis, quod modo diximus, Curio mirabili isto ædificii genere Amphitheatrorum inventioni, quam quod ipse veri nominis Amphitheatrum exstruxerit. Vera potius & rei & nominis origo a Julio Cæsare repetenda est ex Cel. Maffei sententia; quem *Θεατρὸν τῆ κοινῆς τῶν ἰσθμίων*, testis est Dio Lib. XLIII, *ὁ καὶ Ἀμφιθέατρον ἐκ τῆ περιῆ πύργα ἔδειξεν ἄνευ οὐκ ἴσως ἔχειν, προσεγγέθη;* primum theatrum Venatorium condidisse, quod Amphitheatrum dictum sit, eo quod circum circa sedilia haberet parata; quasi circumvisorium dicat. Suetonius autor est in *Vespasiano* Cap. IX, destituisse Cæsarem Augustum Amphitheatrum lapideum urbe media, quod vero imperfectum reliquerit; quod & *Caligulam* in animo habuisse idem Cap. XXI testatur; *Neronem* autem Cap. XII, Amphitheatrum ligneum intra anni spatium fabricasse perhibet in *Campo Martio*. Exemplum Romanorum hæc in re & aliæ Italiæ civitates imitatae fuisse hoc tempore leguntur, & urbi proximi Fidenates ac Placentini Amphitheatra habuisse; quorum illud ruina sua celebre extitit, qua viginti millia hominum una interiisse historici tradiderunt.

Ab his non adeo magnis initiis, ut solent esse hominum res comparatae, successu tandem temporis ad stuporem orbis universi Amphitheatrorum moles excrevit. Vespasianus ille fuit Imperator, qui Amphitheatri primus conditor lapidei, omnium de-

Cap. III.

IV.

cessorum cōnatus, vota, instituta, longissimo intervallo superavit; & si *Martialis* poetæ fides, *Epigr. lib. I Ep. I, barbara Pyramidum Ægyptiarum miracula* operis majestate atque superbia est antegressus. Vocabatur hæc moles Romanis vulgari appellatione *Coliseum* & *Colosseum*; non, quæ sententia est plurimum consensu recepta, quod penes *Colossum Neronis* constructum fuerit illud Amphitheatrum Vespasiani, sed propter insignem suam magnitudinem, quemadmodum apud *Suetonium* in *Caligula* Cap. XXXV. *Esus Proculus ob egregiam corporis amplitudinem & speciem Colosseros* (rectius legas *Colosseos*) dictus fuerat.

Cap. V.

V. *Hesychium* in *Kolosaiæ*. Ceterum non supervixisse integri operis complemento Vespasianum, sed Domitiano demum perficiendi gloriam reliquisse, licet sileant Scriptores veteres, evictum tamen arbitratur *Cel. Maffei*, nummi cujusdam rarissimi testimonio, qui in museo Magni Florentiæ Ducis servatus, una facie

TAB. III.

Fig. 3.

Domitiani, VII tunc Consulis, altera vero Amphitheatri imaginem repræsentat; eundem quoque assidue magnifica & sumptuosa spectacula, tum in Amphitheatro, tum in Circo noctu etiam ad lychnuchos edidisse, *Suetonius* autor est in *vita* Cap. IV. De Trajani, Adriani, Antonini Pii, Marci, Commodi, Gordianorum, Probi, aliorumque, qui his successerunt Imperatores, publicis muneribus, pleni sunt historiæ Augustæ Scriptorum libri; licet, quod recte monuit *Dio* Lib. XLIII, nimium quandoque & citra rei veritatem auxerint spectaculorum magnificentiam. Fuerunt inter hos Imperatores, qui præter hæc eo etiam illis dilaudantur, quod instaurari subinde curaverint Amphitheatri istius, damna aliquoties tempestatis tum fulminis etiam injuria passi, ædificium admodum liberaliter. Commendantur hoc nomine præcipue, Antoninus Pius, Elagabalus, Alexander Severus, Gordianus Pius, alii, quorum munificentiam hac in re, præter expressa Autorum testimonia, nummi etiam celebrant, ad nostra tempora servati, & cum Imperatoris, amphitheatri simul effigiem exhibentes luculenter; qui quidem ænæis typis expressi hic sistuntur, variisque observationibus erudite collustrantur. His absolutis, ostendit doctissimus *Maffei*, non fuisse unquam, quod tamen visum est multis, Romæ Amphitheatrum aliquod integrum, ab-

Cap. VI.

solu.

solutum, & solennibus ludis consecratum, præter unum illud Vespasiani, cujus fata hæcenus descripserat; qua simul occasione veterum loca quam plurima, quæ contrariam sententiam firmare existimari possent, & plura Amphitheatra inuere, solenter vindicat; tandem vero, quousque temporis usus Amphitheatri illius Romani duraverit, ostendit; quem tunc cessavisse putat, ubi sub Imperatoribus Christianis Gladiatoria primum, post & bestiarum certamina, in Amphitheatro edi solita prohibita fuerunt; licet curate illius temporis periodum definire haud præsumat.

Dictum supra fuit, non *Rome* tantum, sed in aliis quoque Romani orbis civitatibus Amphitheatrorum usum aliquando invasisse; pergit itaque *Autor* noster, finita de Romano illo disquisitione, ad aliarum urbium atque provinciarum Amphitheatrorum recensionem simili cum solertia instituentem. Equidem existimatum fuit multis, *Lipsii* auctoritatem tenere sequentis, *crebra admodum fuisse Amphitheatra* in provinciis Romano imperio subiectis, honesta quæpiam dominæ urbis æmulatione ab incolis sive provinciarum rectoribus ædificata; quid quod recentissime *Cl. Montfauconius* alicubi dixerit, *in uno agro Augustodunensi plurima Amphitheatra solo pane aquata conspici*. At enim vero male hoc credi a viris doctissimis *Cel. Maffei* videtur potius; qui contrarium magis sibi persuadet; nullum scilicet ædificii genus rarius fuisse in universo orbe Romano, quam Amphitheatrum. Ut enim omnittamus, vix centesimæ urbis cujusque facultates pares futuras fuisse sumtibus ferendis, qui ad hujusmodi molem adornandam omnino requirebantur immensæ; æquis animo mente conceperit fieri potuisse, ut tam raræ atque tepues hodie conspicerentur horum ædificiorum reliquæ, superfuturæ certe adhuc, si exstitissent olim adeo ingentis amplitudinis atque extensionis moles, nulla profecto temporis, quantacunque illa esset, edacitate adeo destruendæ consumendæque, ut ne vola nunc quidem nec vestigium exstaret? His generatim præmissis ad specialia descendit *Vir Clarissimus*; & solenter anquit: *de Amphitheatris in provinciis, orientalibus primum, post hæc etiam occidentalibus, Romanorum Imperio sub-*

Cap. VII.

jectis.

Cap. VIII.

IX.

X.

jectis. Prima est inter illas *Græcia*, cujus incolæ, quanto etiam opere delectati fuisse spectaculis, artem ædificatoriam, si quæ gens alia, excellenter calluisse, marmoris insuper copia & lapidum abundantia floruisse perhibeantur, nullibi tamen; neque Athenis etiam aut Corinthi, urbium principibus, Amphitheatra exædificasse leguntur; secus ac *Lipſus*, & *Vitruvii* Commentator *Philander* existimaverunt; quod idem de *Sicilia* neutiquam probari posse *Autor* noster operose contendit. De Provinciis Romanorum in *Aſia* atque *Africa* idem facile persuaderi sibi passus fuerit, ignoravisse nempe illas Amphitheatrorum usum, qui cogitaverit, meminisse equidem scriptores subinde ludos, spectacula, in circis, stadiis atque alibi instituta, Amphitheatra ne ullum unquam meminisse. Prolixum nimis futurum esset singula illa vel strictim commemorare, quæ insigni eruditionis reconditoris apparatu a *Viro Illustri* hanc in rem, de ludis præcipue *Alexandrinis*, adducuntur; quæ proinde legi apud ipsum atque expendi malimus. Provinciæ *Occidentales* infinito fere civitatum numero affluentibus, paucas admodum tamen ostentant, quas Amphitheatra habuisse probari potest. Celebrantur in *Gallia* rudera Amphitheatra Nemaufensis, Pictaviensis, Lugdunensis, in *Treviris*, & pauca alia. Ad ipsam denique *Italiam* quod attinet, videas multos nimis liberales fuisse in largiendis cuius fere civitati celebriori Amphitheatris; quid quod huc devenerint viri aliqui non incruditi, ut tum sibi, tum aliis persuasum vellent vehementer, non facile fuisse Imperii Romani urbem conditionis lætioris, quæ non Amphitheatrum suum habuerit. Ita *Marcus Velleſus* Augustæ, *Mabilonius* vero *Parisis* atque *Tolosa* aliquod fuisse audacter satis, si etiam tam vere, pronuntiaverunt. At enim vero, quamvis concedi tantisper possit, habuisse illas forte *Amphitheatra lignea*, ad Romanorum primæva exempla composita, tam facile tamen illud negaretur, atque affirmatum fuit; de lapideis vero ex rationibus supra jam expositis minime illud compertum est. Accedit, quod promiscuus vocis *Amphitheatra* usus, inferioris ætatis Scriptoribus solennis, qui illi & theatra, & stadia, & circos haud raro insigniverunt, imposuerit *Viris doctis*, ut ubique veri nominis *Amphitheatra*

fe

se indagavisse existimarent. Ut taceamus facillimo negotio delusos fuisse illos, qui, ubicunque modo rudera ædificii cujuscumque capacioris offenderent, statim pro Amphitheatri reliquiis vendicare illa nimis liberaliter præsumserunt; quod quibus modis fieri potuerit, luculentis rationibus exponitur. Hæc vero quocunque aliis loco habeantur, istud tamen constanti & universali omnium sæculorum traditione existimatum fuit, præter Romanum *Vespasiani*, de quo supra dictum est, quatuor extra urbem alia celebritate nominis operisque magnificentia olim miraculo fuisse Amphitheatra; *Veronense* scilicet, *Capuanum*, *Polanum* (Istrix civitatis *Pictas Julia* antiquis nuncupatæ) atque *Nemaufense*. De *Polano* libro secundo; de *Veronensi* postea dicitur; *Nemaufensis* nuper demum descriptionem dedit *Cel. Monsfauconius* in *Antiquitate explicata* Tom. III p. 266, ex qua verisimilius videtur *Autori* nostro, simplicis nominis illud theatrum magis, quam Amphitheatrum fuisse; *Capuani* denique historiam ex lapidis cujusdam fragmento, non longo abhinc tempore ibidem effosso, & eruditis *Mazochii* Commentariis illustrato cognoscimus, unde scilicet patet, fuisse illud non multo post Romanum *Vespasiani* ædificari coeptum, ab *Adriano* instauratum, & ab *Antonino Pio* dedicatum. *Polani* & *Nemaufensis* conditores & fata sive Scriptorum sive lapidum testimoniis destituti ignoramus. Unum superest *Veronense*, cujus descriptioni reliqua *libri primi* pars ab *Autore* nostro fuit destinata. De illius ætate duplex potissimum circumlata est hæcenus sententia; quum alii ad *Augusti*, alii ad *Maximiani* tempora *Veronensis* Amphitheatri initia referrent. Utrique vero falsi fuisse manifesteprehenduntur. Quis enim credere possit, *Augusti* ævo in *Colonia*, qualis *Verona* est, Amphitheatrum ex marindre excitari coeptum esse, quo ipsa hæcenus, ligneo contenta, princeps *Roma* caruisset, & antequam, quod superius monstratum est, ejusmodi ædificii exemplar primus *Vespasianus* proposuisset? *Maximiano* autem imperante quæ fuerat temporum deplorabilis conditio, *Italix* status maxime afflictus, & barbari incursionem minitantes, artium item, ædificatorix imprimis, hoc sæculo ad occasum declinatio, & quæ plurima sunt ejus generis argumenta, vix tulisse, immo nullatenus, cuius

Cap. XI.

XII.

XIII.

quibus intelligenti facile videbuntur, ut de tam insignis molis ex-
structione, ludorumque celebratione frequentiori cogitarent Ve-
ronenses. Structuræ potius mirabile artificium florentiorem o-
mnino ætatem statui postulat; licet determinari illa, nisi conjectan-
do, haud possit. Silent etenim veteres, præterquam quod *Pli-
nius* lib. VI *Epist. ult.*, ludorum atque venationum Veronæ
celebratarum mentionem fecerit, quas quidem in loco quopiam
stabili insitutas, in hoc quippe Amphitheatro, veri sit simile; un-
de minimum ante *Adrianum* illud exstitisse colligendum foret.
Quicquid vero tandem de ætate sit, non magis expedita illorum
iterum est sententia, qui vel ipsorum Imperatorum aliquem, vel
Provinciae Præsidem Amphitheatri conditorem Veronensis alle-
gant. Illud quidem qui faciunt, non attendunt partim, non fuisse
ætate illa in Italia provinciarum Præsides aut civitatum recto-
res; partim vero Scriptorum, quibus sententiam suam firment,
testimoniis se omnino destitui haud meminérunt; quorum ne
unus quidem conditorem Cæsarem dilaudavit, non omissurus
profecto, si illorum munificentia Amphitheatri sui originem
debuissent Veronenses, quos proinde propriis illud fecisse sum-
tibus consentaneum est. Ceterum frequentiore huic civitati &
spectaculorum & Amphitheatri usum fuisse tum multis aliis ar-
gumentis, tum vero Inscriptionibus præcipue tribus hodiernum
superantibus manifestum sit, quibus Gladiatorum, spectaculis
istis cum laude defunctorum, memoria cohonestatur. His vero
dum explicandis occupatur celeberrimus *Maffius*, erudita di-
gressionem varias Gladiatorum classes, & arma, quibus decertare
consueverunt, collustrat; qui & addit, ultimum ante barbaro-
rum irruptionem A. C. CCCIV sub Romanorum Imperio in isto
Amphitheatro munera publica exhibita fuisse. Insequenti tem-
pore cum a Christianis spectaculorum usus sublatus fuisset, spe-
taculorum etiam loca & in his Amphitheatra quoque, neglecta
fuerunt fere penitus. Interim media illa, quam vocamus, ætate,
subinde tamen *arena Veronensis* a Scriptoribus facta fuit com-
memoratio; quid quod sæculo decimo quarto legatur tam soli-
citam & maxime laudabilem antiqui hujus monumenti curam
habuisse Senatus populusque Veronensis, ut de illo conservando
quo-

Cap. XIV.

XV.

quovis modo, & restituendo publicis sumtibus in integrum, si quid aut temporis aut barbarorum injuria læsum hinc inde fuisset, consilium ceperint non tantum, sed etiam exsequuti fuerint, variisque statutis saluberrimis caverint sedulo, ne quid caperet detrimenti in posterum adeo insigne atque vetustum patriæ suæ monumentum. Horum exemplum posteri imitati de conservando illo in hunc usque diem strenue cogitarunt, immo instituto A. MDCCXVI a. d. XX Novembris in hac arena publico torneamentorum ludo, cui ipse Autor noster actor interfuit, præfæ celebritatis memoriam jucundissimo spectaculo refecerunt. Et hæc quidem de primi libri argumento, *historia scilicet Amphitheatrorum*, atque inter hæc *Veronensis*, delibasse sufficiat. Progredimur nunc ad librum alterum, in quo de ipsa Architectura Amphitheatrorum, & imprimis illius, quod Veronæ est, curiose atque luculenter disseritur, nec pauca afferuntur, superioribus vel ignorata vel neglecta. Et primo quidem Capite, (nam brevitate studio summam tantum dicemus) de variis Amphitheatrorum delineationibus, quæ adhuc sunt editæ, Cl. Autor disquirat. Capite II agit de generali mensura Arenæ, & Amphitheatri Romani, quod *Coliseum* vocatur, deque hujus exteriori facie, quippe multo melius conservata, quam in Amphitheatro Veronensi, quod interiores plerasque partes satis integras habet. Capite III primum arenæ ambitum exponit. Capite IV de ornatu superiore ordinis Toscanici, ab Architectis parum adhuc observato tractat. Capite V de statuis, quas multi cum *Ligoris* ante columnas tertiæ concamerationis nequicquam prodiderunt collocatas. Capite VI de Ichnographia inferiore, itemque de viis & ingressibus in ædificium. Capite VII de ipso campo Amphitheatri & de ratione introducendarum bestiarum. Capite VIII de Gradibus, Vomitoriis, Præcinctionibus, Scalis atque Cuneis. Capite IX de partibus interioribus atque magis absconditis primæ, sive infimæ concamerationis. Capite X de Ichnographia secundæ concamerationis. Capite XI de viis interioribus, atque ambulacro sive porticu medio. Capite XII de superioribus Amphitheatri partibus, quæ non amplius supersunt. Capite XIII de ordine & distributione Spectatorum. Cap. XIV de Velario. Cap. XV de Ichnographia con-

camerationis subterraneæ. Capite denique XVI atque ultimo, de Theatro Polano, quod vulgo inter Amphitheatra numeratum fuit. Nihil ad hæc addimus præter quatuor delineationes, ex libro hæctenus laudato desumptas, ac primarias Amphitheatri Veronensis partes ipsis oculis luculenter exhibentes. Prima sistit Ichnographiam plani inferioris ex parte dimidia; altera Ichnographiam secundæ concamerationis itidem dimidiatam; tertia sectionem sive orthographiam internam totius Amphitheatri, prout nunc quidem se habet, superioribus temporibus identidem, nec semper tamen felicissime (ut Noster judicat) restauratum; quarta denique Prospectum partium quarundam interiorum, & remotis demum aliis conspicuarum, itemque præcinctionum, scalarum atque cuneorum, non quidem prout nunc apparent, sed prout istas res olim fuisse comparatas doctissimus Autor sibi nobisque persuadet.

TAB. III.
Fig. 1.

2.
3.
4.

A COLLECTION OF SEVERAL PIECES OF
Mr. JOHN TOLAND with some memoirs of his
Life and Writings &c.

h. e.



COLLECTIO VARIORUM OPUSCULORUM
JOHANNIS TOLANDI, cum Commentariis
Vitæ & Scripta ipsius attinentibus &c.

Londini, apud Jo. Peele, 1726, 8, maj.

Alph. 3 pl. 3.

Famosum ita est nomen Tolandi, cujus scripta, quæ motuum in Anglia causa maxima fuerunt, passim in Aclis his recensuimus, ut posthumorum quoque ipsius Operum, quæ duobus his comprehenduntur Voluminibus, notitia Lectori invidenda non sit; imprimis cum scripta suspectorum de religione virorum eam experiantur sortem, ut pretium eorum ejusdem suffuris homines apud imperitos nimis extollant, quos alii, an prudenter fatis, non judicamus, nimium a se rejiciunt ac deprimunt. Tolandum ita plures, qui scripta ejus nunquam forte legerunt, ex sola molitionum ipsius fama, atque affectu suo in partes, quas

secu-



Palmi Romani.
— 6 — 5 — 112 — 100

Pedes Viromani.
— 6 — 5 — 112 — 100

secutus est, pro summo venerantur philosopho, atque inter discipulos ipsius referri gloriae sibi ducunt, quos ducis hujus forte puderet, si de doctrina, vita, moribus ac scriptis hominis satis compertum haberent. Judicet Lector ipse ex hisce ingenii ipsius monumentis, quae passim latentia solers indagator ac enarrator scriptorum Tolandi diligenter conquirit, atque collecta in lucem prodire iussit. Eo majorem eruditorum meretur gratiam, quod non passim occurrentia atque famosa Tolandi scripta duobus hisce Tomis exhibeat, sed inedita haecenus fere omnia, aut sumptibus Autoris impressa, atque inter amicos distributa. Gratam imprimis operam eruditae praeslitit colligendo fide digna monumenta, ex quibus vita Tolandi uberius consui facile posset, cum ipse labore hoc scribendi elogium viri, cuius nomen in Anglia exotum maxime est, defungi noluerit, licet oblata occasione crimina quaedam Tolando objecta excuset aut deprecetur, his quidem argumentis, quae sacri ordinis viris vix probabuntur. Facile interea sagax lector ex hisce Commentariis perspiciet, Tolandum non omnium criminum, quorum ab adversariis saepe publice accusatus fuit, reum esse, nec vero omnem culpam petulantioris in res sacras animi, ac vitae liberioris ab ipso posse removeri. Optime expresserunt ejus imaginem Lockius atque Molineus, viri docti ac candidi, ingenium ipsi non denegantes, sed saepe de licentia linguae ejus atque perverso sectam, cuius caput foret, condendi studio conquefli. Natus erat hic Tolandus in borealis peninsulae Hiberniae isthmo, in quo urbs Londinoderiensis exstructa est. Sacro baptismo initiatus Jani Junii nomen accepit, quo deinde in schola, quam frequentabat, quotidie ipsum ad publicas lectiones vocatum fuisse, multi adhuc recordantur. Sed cum condiscipuli illud in ludibrium verterent, suavis magistri scholae nomen Johannis adoptabat, quod deinde per omnem vitam retinuit. Sunt qui Sacerdotem ex Pontificiorum castris parentem ei fuisse affirmant, nec veriti sunt Abbas Tilladet atque Huetius publice propterea ipsi insultare. Id cum iniquum valde Autori Commentarii hujus videatur, eo, quod filio parentum culpam exprobrare haud deceat, licet rem nec affirmare nec negare penitus ausit, sperat tamen, se allato testimonio Mona-

chorum Franciscanorum Hibernorum Conventus Sacri, qui Pragæ est, effecturum, ne quis ex Clero Romano illud imposturum Tolando objecturus sit. Illo enim, quod integrum hic adducitur, testantur Rever. Patrum illorum Superiores ac Professores, & nomina sua singuli subscribentes confirmant: *Tolandum ortum esse ex honesta, nobili & antiquissima familia, quæ per plura secula, ut regni historia monstrat, in Hibernia perduravit.* Fundamentis studiorum in schola Redcastlensi positis concedebat A. 1687 in Collegium Glascoviense in Scotia situm, unde post absolutum tribus annis studiorum cursum in Academiam Edinburgensem proficiscebatur, atque lauream philosophicam 2 Kal. Jul. meritis, ut ex addito hic diplomate magistratus Academici constat, ornatus quoque literis commendatitiis ejusdem magistratus, Hiberniam repetere in animo habebat. Sed mutato repente consilio in Angliam migravit, ibidemque semper in familia eorum, qui adversus Romanæ ecclesiæ placita protestantur, vixit, donec, ut cursum studiorum ductu Celeberr. Virorum Spanhemii atque Triglandii perficeret, Lugdunum Bavorum venit. Perspexerant ingenium ejus atque præclaras animi dotes nonnulli ex principibus gentis Anglicanæ, quibus ecclesiæ hujus dogmata non penitus probantur, qui Tolandum ecclesiæ olim admotum egregium causæ suæ præsidium ac decus fore sperantes suntus studiorum liberaliter ipsi suppeditabant. Commercia igitur, ut ipse passim in literis ad familiares fatetur, archissima cum illis, qui Non-Conformistæ vocantur, habuit, nec scriptis hanc in rem editis ab eorum partibus descivit, ut ex *Tomò XXIII Bibliothecæ Universalis Clerici* perspicui potest. Cum enim Daniel Williams ex dissentientium numero minister A. 1692 librum evulgasset sub titulo: *Evangelii Veritas stabilita ac vindicata*, ubi *D. Crispi* opiniones nonnullæ ad examen revocantur; Tolandus librum cum controversiæ illius historia ad Clericum mittebat, qui excerptum ex eodem cum literis Tolandi, quem divinarum literarum studiosum vocat, i. e. inferebat. Postquam per duos annos in Lugdunensi Academia diverterat, in Angliam reversus ingenium in novas opiniones proclive prodidit edita dissertatione, qua historiam de funesta

At-

Attilii Reguli Consulis Romani morte inter fabulas referre fatagebat. Editis his quasi laborum suorum primitiis ad majoris momenti opus vertebatur, edito libro: Christianism no mysterious, probare suscipiens, in S. Evangelio nihil inveniri, quod contra aut supra rationem esset, nec ullum caput doctrinae Christianae verbis proprie sumtis mysterium vocari posse. Percellebat rei novitas omnes, praeter meritum quidem, ut Autori nostro videretur, qui de vocibus saltim litem hanc fuisse contendit. Censet enim ex Tolandi sententia mysterium semper eo sensu in N. T. adhiberi, ut significet rem, quae in se intelligi possit, de qua tamen absque peculiari revelatione haud constat. Ipse Tolandus asserto huic fidem facturum in omnia N. T. loca inquirat, ubi vox mysterii occurrit, unde colligit adhiberi illam 1) pro Christianae fidei Evangelio in genere, utpote quod gentibus plane ignotum olim, a Judaeis vero imperfecte admodum intellectum fuerat, 2) pro quavis re sub parabolae aut aenigmati schemate tradita, 3) denique doctrinae Christianae capita quaedam data occasione ab Apostolis revelata, manifestata seu evoluta mysteria dici. Ut argumentum hoc magis illustraret, observaverat Tolandus, illa naturae phaenomena, quae profus ignota nobis sunt, mysteria haud vocari, neque illa, quae, licet in sensus incurrant, explicare tamen haud valemus; eodem igitur loquendi genere in sacris quoque utendum esse, cum revelatae religionis doctrinae aequae intelligi a nobis debeant, ac naturae effectus, qui sensus incurrunt, licet causam eorundem ignoremus. Quam enim diversa haec duo sint, mirabiles naturae effectus, & quae in sacris literis narrantur mysteria, singulari libro se demonstraturum, atque peculiarem ac rationi consonam expositionem mysteriorum Evangelii, quae vulgo creduntur, se daturum mox esse pollicebatur. Monebat simul, si adversariis suis placeat, mysterium vocare, quicquid intelligi a nobis aut plane nequit, aut cujus mancam valde habemus ideam, se facile passurum totidem, quot cuique videatur, in sacram religionem invehi mysteria. Fusa hic contendit Autor, non nisi de verbis hanc a Tolando motam litem fuisse. Sed videant alii, an apte satis hoc argumento pro ipso deprecetur, quod Tolandus

dus pollicitus sit, se daturum æque claram mysteriorum Evan-
 gelii expositionem, ac Philosophus naturæ phænomenoruna
 suppeditare queat; & quod Theologi plures secundum ratio-
 nem summum SS. Trinitatis mysterium explicare institueriat,
 nec satis constet, annon Tolandi explicatio mysterii hujus, quæ
 nunquam prodiit, prorsus ad mentem ipsorum composita fuerit.
 Dura interea fata libellus hic Tolandi experiebatur, cum exci-
 tati contra Autorem sacri ordinis viri quam plurimis scriptis,
 quæ Autor elogii hujus sigillatim recenset, doctrinas ipsius ag-
 grederentur. Deferebatur liber ad magistratum politicum, qui
 publicam ejus venditionem prohibebat, solito quidem eventu, ut
 avidius homines ea legant & conquirant, quorum usu publicis
 legibus interdicitur. Iisdem temporibus, cum adulterina mo-
 neta Anglos passim affligeret, atque varia, malo huic remedia
 proponerentur, Tolandus ex Hetrusca lingua in vernaculam
 versum edebat Bernardi Davanzati, nobilis Florentini Discursum
 de Moneta olim Florentiæ 1588 evulgatum. Addito præfamine
 Davanzati hujus merita commendabat, hominis non modo
 commercii atque numerorum scientia suo tempore notissimi,
 sed, prout ex versione Operum Cornelii Taciti aliisque ipsius O-
 peribus elucet, arcanorum regnandi etiam imprimis periti. In-
 ter hæc cum *Christianismus mysterio carens* Londino in Hiberni-
 am a librariis transferretur, non minores ibi, quam in Anglia, ex-
 citabat turbas, quæ vehementius effervescebant, cum sub initium
 A. 1697, ipse Autor eo divertere institueret. Testantur Molineu-
 ssi ad Lockium literæ, Tolandum, postquam ad insulam hanc
 appulerat, suis statim auribus convitia ac odium omnium in se
 accepisse, atque sacras ædes ingressum, detonantes ex pulpito sa-
 cro in libellum suum ecclesiæ ministros audivisse. Dignum
 imprimis est, cui attendatur, de Tolando judicium Molineusii,
 viri, ut constat, eruditi, candidi, atque nulli unquam, quod idem
 secum non sentiret, vel infesti vel molesti. Postquam is liberta-
 tem cogitandi atque ingenium veritatem colendi ardorem in
 Tolando laudaverat, fatetur tamen non ita prudentem, ac dece-
 bat, gessisse se Tolandum, cum in Hiberniam veniret. Omnium
 passim in se concitaverat clamores, non tam ex doctrinæ suæ
 novi-

novitate ac discrepantia ab opinione recepta, quam intempestiva lingua procacitate ac sermonibus inconsultis de iis rebus, quas propagare ac defendere satagebat. Equidem ipse Tolandus alia omnia de se persuadere civibus molitur, publicis scriptis protectatus, se adeo longe semper a moribus illis abfuisse, in vita communi de opinionibus suis differendi, ut quamvis provocatus sæpe eorum mentionem facere detrectaverit, ita, ut adversarii omnem criminandi occasionem aucupantes, ipsi propterea insultaverint, quasi autor scripti præfixo nomine ipsius vulgati non esset. Cum vero adversarii ipsius experti essent, nihil adeo nocere Tolando increpationes ex cathedra sacra factas, nomen ejus Dublini ad supremum provinciæ Senatam deferrebat, ob librum Londini editum, atque Mag. Pet. Brown tunc temporis Senior Collegii Trinitatis prope Dublinum publicum in Tolandum odium vehementer augebat & magistratum in ipsum exstimulabat, edito libello, quo ipsum tanquam hominem erroneum, novam sectam molientem ac ejus studio deteriorem Mahommede impostorem criminabatur. Immo veritus, ut satis invidia ipsi concitaverit, causam adversus ipsum magistratui civili graviter commendabat. Non ita multo post cum Episcopus Corcaviæ crearetur, amici Tolandum sæpe audire jocatum, quod ipse virum hunc Brown ad dignitatem illam Episcopi evexerit. Observat hic Compiler horum monumentorum, eundem hunc fuisse virum, qui plures excitaverit in regionibus transmarinis motus, quod ferre primum nollet populum in defuncti Regis Wilhelmi sanitatem bibere, atque inde prorsus morem hunc in alterius sanitatem bibendi, tanquam in memoriam Christi in S. Cœna injuriam magna cum contentione prohiberet. Doctiss. Molineus, prout Tolandi mores ac linguæ proterviam haud probabat, in literis tamen ad Lockium testatus est, valde sibi displicere partim stylum Browni vehementem atque contumeliosam accusationem, partim quod coram magistratu politico Tolandum in jus vocaverit, agrè ferens magistratum civilem judicem & arbitrum religionis Christianæ constitui, unde varia incommoda olim facile oritura sint, siquidem vix unus e iudicibus, quibus cognitio causæ deman- data fuerat, vel lineam libri illius a Tolando scripti perlegerit.

Rr

Odia

Odio itaque erat Tolandus omnibus Hibernis tanquam profligatus fidei Christianæ hostis atque alter Goliathus, qui exercitui Israelis excidium minaretur. Quare inferiores magistratus superiores publice precabantur, ut ecclesiam ab hostibus; imprimis a Tolandiarum furore tutarentur. Lethale tandem inflatum ei est vulnus, cum nonnulli coram supremo regni Senatu, qui Parliamentum vocatur, ipsum accusarent, ejusque librum exzuniandum eidem offerrent. Licet enim prudentes quidam ac moderati illius Senatus viri iudicium causæ hujus ad se pertinere negarent, aut ut Tolandus in confesso publico audiretur, quod vehementer optabat ac oblati literis supplicibus precabatur, suaderent; aliis tamen gravissimam in Tolandum sententiam ferre fatius videbatur; quare sciscebant libellum illum Christianæ religioni ac avitæ religioni in Hibernia stabilitæ inimicum carnificis manu publice comburendum, autorem carceribus publicis mancipandum, atque in causam ipsius inquirendum, prohibendum quoque esse, ne plura libri hujus exempla ex Angliâ exportarentur. Liber flammis experiebatur, sed Tolandus ipse fuga in Angliam sibi consulens, summa interea omnium rerum inopia pressus, cum nemo eum ad convictum admittere auderet, ita ut vendita aut oppignorata omni suppellectile sua aliorum migrare cogeretur. Londinum vix appulerat, cum *Apologiam pro se* contra persecutionem, quæ ex Hibernia profligatus fuerat, typis expressam evulgaret. Anno sequenti 1698 post initam inter Europæ Principes pacem cum in Angliâ valde disputaretur de exercitu pro securitate publica alendo, Tolandus libellum edebat, sub titulo *Militiæ reformatae*, quo publico bono consulere satagebat, atque eodem anno *vitam Job. Miltoni* præfixam Operibus ejus & separatim quoque excusam scribebat. Nactus hic occasionem ex Miltoni *Iconoclasta* controversiam illam attingebat, an Rex Carolus autor sit libelli *ἐκὼν βασιλική*, qui sub nomine ejus circumferebatur. Id cum negaret, ac de adversariorum argumentis, quibus imposturam palliabant, disquireret, temerariam attulit vocem, se jam non imitari, qui factum sit, ut varia Christo atque ipsius Apostolis supposita Opera fidem tamen apud nonnullos invenerint, eo tempore, quo omnis fere or-

bis

bis densa superstitionis caligine obscuratus fuerat, cum nostra ætate ab omni credulitate adeo remota summis tamen viris scripta quædam temere supponantur. Locus hic censuram nonneminis ex Clero Blackalli incurrebat, verba hæc ita interpretantis, ac si Tolandus receptos in Ecclesia Christiana Canonicos N. T. libros pro suppositis vendicaret. Deprecabatur hanc aliorumque objectiones Tolandus edito libello sub titulo *Amyntor*, quo iis simul respondebat, qui scriptum *ἑκὼν βασιλική* Carolo I vindicare susceperant, & prolixum indicem addebat scriptorum, quæ ex Ecclesie consensu Christo & Apostolis supposita circumferuntur, quem ob eruditionem plures & ipse Celeberr. Fabricius laudarunt. Alius præterea Dn. Wagflasse sententiam Tolandi negantis Regem Carolum autorem libri illius esse, qui sub nomine ipsius circumfertur, impugnabat, cujus in accusando temeritatem Elogii hujus Autor castigat, atque Baylium simul contra nonnullas ipsius criminationes defendit. Subsequenti tempore aliorum quoque virorum Opera Tolandus addito Præfamine imprimi curabat, atque nonnullas consultationes rei publicæ statum attinentes evulgabat, quæ singula prolixius recensendi jam locus nobis non est, maxime cum ob religionem magis quam imperandi artem famosus sit. Circa annum 1699 Carmen *de viribus eloquentiæ* sub titulo *Clito* evulgabat, in quo adeisdæmonis unius ex collocutoribus personam ipse suslinebat, atque cum sub larva hæc acriter nimis ac libere in superstitionem inveheretur, nec hoc Opusculum Cleri censuram effugiebat. Ita vero cum nova subinde in se odia parum cantus constaret, libro ipsius denuo ad Parliamentum Magnæ Britannicæ delato gravis tempestas capiti ipsius imminebat, quam vero casu potius quam Cleri indulgentia sospes ac incolumis evitebatur. Consultantibus interea Anglis post mortem Ducis Glocestriæ de jure regni ab obitu Wilhelmi & Annæ ad Sophiam propagando, Tolandus oblatam hanc occasionem futuri Principis aucupandi gratiam amplexus, *Angliam Liberam* scribebat, qua jura Hannoveranæ familiæ in Magnam Britanniam illustrare ac confirmare laborabat. Hannoveram itaque cum legato Anglorum profectus librum suum ipse Sophiæ offerebat, eamque Principum gratiam maxime ex

commendatione dominorum nonnullorum in Anglia impetrabat, ut primus ex Anglis esset, qui in genua procumbens manum Sophiae post hereditatem regni Anglicani ipsi confirmatam oscularetur. Testabantur Principes suum erga Tolandum favorem largo aureorum nummorum dono, atque regiae familiae imaginibus ipsi oblatis. Reversus in patriam cum gemina Parliamenti domus, ut vocant, de jure suo ejusque imprimis finibus inter se disputaret, memor quam parum faventem sibi nuper domum inferiorem expertus fuerit, *Vindictium Liberium* suum edebat, quo & crimina, quorum postulatús fuerat, deprecabatur, & plurima loca *Christianismi sui mysterio carentis* illustrabat, explicabat aut corrigebat. Placebat opusculum hoc Regiae Principi Sophiae atque B. Reginae Borussiae, quarum in omni scientiarum genere, maxime in Philosophia progressus orbis eruditus semper miratus est, quae subinde Tolandum ad se accersebant, ut novas ipsius opiniones atque paradoxa explorarent. Nascebantur ex illustri hoc commercio *litera illa philosophica*, quas in Angliam redux ad Serenam, h. e. B. Reginae Borussiae evulgabat, in quibus de praconceptarum opinionum viribus agebat, historiam ac fata doctrinae de immortalitate animae inter paganos, nec non Idololatriae atque rationum paganismi exponebat, Spinozae systema solidis principiis ac fundamento prorsus destitui, & motum materiae essentialem esse demonstrabat. Magnos scriptum hoc motus in Anglia excitabat, atque plurimorum calamos in Tolandum provocabat. Editis interea variis scriptis, quibus Harlei Patroni ac Mæcenatis sui maximi causam suffulcire instituebat, Germaniam repetebat, atque Hannoverae gratiose admodum ab Electorali familia exceptus aurea catena & centum ducatis donatus Viennam tendebat, ut divitis mercatoris Galli in Belgio tunc habitantis causam pro adipiscendo titulo Comitis Imperii oraret. Sed cum votis excideret, omnemque pecuniam suam consumsisset, reditum in Angliam maturabat, atque in itinere Hagae Comitum geminas illas Dissertationes famosas, *Adeisdamon* ac *Origines Judaicae* inscriptas imprimi curabat. Fata libri hujus, & quid partim Fayus, partim El. Benoist eidem opposuerint, vel ex Actis hisce nostris abunde constant,

ut

ut prolixius de iis dicere opus jam non sit. Innotescebat in Belgio Celsissimo Sabaudia Principi Eugenio, qui prolixum in ipsum testabatur favorem. A. 1712 editis pluribus Opusculis ex statu reipublicæ illorum temporum natis, *litteras adversus Papiſmum*, contra auctoritatem Patrum ac Conciliorum in componendis de religione dissidiis ad Charlottam Sophiam, B. Reginam Prussia evulgabat. Respondere hiſce conabatur literis ac argumentis a P. Vota Augusti Polonia Regis Confessionario ad Reginam hanc scriptis. Regina autem non ita multo post mortua, suam in ipsam pſtatem edito A. 1713 *ejusdem Elogio* testabatur. Eodem tempore scripto publico consultationem exponebat, *de Judais in Anglia & Scotia civitate donandis*, ut eodem cum aliis populis jure in regionibus illis fruereſentur, atque Schœdiasma hoc ingenioso satis sed Satyrico Præfamine Archiepiscopis & Episcopis Magnæ Britannia dedicabat. A. 1718 *Nazarenum* suum edebat, quem in Actis his Supplem. T. VII Sect. VII enarravimus, prout & scripta eorum, qui sententiam ipsius, quam de Christianismi origine concepit, confutarunt, passim recensuimus. Inde Prophetiam S. Malachia Episcopi Armaghani Sæc. XIII de satis Romani Pontificis imprimi curabat, quod factum ab ipſo esse, Autor Elogii hujus vehementer miratur, cum Romanis sacris addicti pridem demonstraverint, quam impudenter scriptum hoc a recentioribus Malachia isti suppositum fuerit. A. 1720 litigium ipsi erat cum D. Hare, qui in controversia cum Episcopo Bangorienſi ipsum pupugerat, ac si Lockii principia mutuatus, non tamen Philosophum hunc satis intellexisset, atque sæpe conceptus ipsi affingeret, de quibus haud somniaverit. Injuriam hanc repellebat brevi defensione, inserta Novellis publicis, quæ singulis hebdomadis Londini sub titulo *the Post-man* imprimuntur. Circa hoc tempus famosum illud ipsius scriptum, quod *Pantheisticon* inscripserat, prodibat, de cujus argumento ex iis, quæ in Actis his excerpta dedimus, abunde constat. Conjicit Autor Elogii hujus, ipsum Tolandum Operis hujus, quo Philosophi nonnulli Pantheistæ speciem aliquam carminis, in virtutis ac sanitatis honorem, ad imitationem Litania Christiana canentes introducuntur, forte puduisse, cum suis

sumtibus pauca hujus libri exempla imprimi curaverit, quæ inter amicos spe munusculi pro eo accipiendi distribuebat. De *Tetradymo* quoque, quem non ita multo post evulgabat, in Actis his jam dictum est, ubi etiam scriptorum nonnullis libri hujus capitibus oppositorum, quæ hic in notis recensentur, notitiam uberiori lectori impertivimus, ut pluribus de eo jam agere merito superfedeamus. D. Hare in Præfamine libri, in quo calumniam adversus Episcopum Bangoriensem strinxerat, de Constitutione Carolinæ loquens adiciebat, legibus ejusmodi civitatis neminem excludi, qui modo illa in insula sedem figere velit, nec Atheistam publice professos, quos inter Autor *Pantheistici* sit. In notis addebat, Atheum hunc Scriptorem, non contentum esse iis, quæ aliis in scriptis profane effutiverit; se enim accepisse in nonnullis *Tetradymi* ejus exemplaribus, carmen aliquod in honorem Bacchi in speciem Litanix Christianæ calamo adscriptum esse, quo sacris Christianæ Ecclesiæ hymnis petulanter illudatur. Autor Elogii hujus sancte testatur, se in veritatem criminis hujus Tolando objecti solícite admodum inquisivisse, non tamen invenisse ullum facinoris ejusmodi vestigium. Verum autem, quem accepit cantilenæ hujus Tolando suppositæ autorem, qui, ut conjicit, illam composuit ad deridendos Tolandi Philosophos Pantheistas, quos omnes pro ebriis habet, cum tamen ex Tolandi mente sint sobrii, graves ac temperantiæ studiosi viri, prodere recusat, ob reverentiam muneris, cui admotus est. Id certum interea esse fatetur, hæc ad Bacchom preces longe magis ac crassius profanas esse, quam ullum *Pantheistici* locum. Tolandus jam a quatuor annis in pago Putney habitaverat, unde eodem die commode Londinum ire atque domum reverti poterat, sed maximam hyemis partem Londini degere solebat. Circa medium Decembris in urbe commoratus in morbum incidebat, cum viribus jam ab aliquo tempore languisset. Robore ac cibi appetentia destitutus medicum vocabat, qui vero malum augebat, continuos per aliquot dies vomitus atque alvi profluvium inepte excitans. Reversus Putneum melius se habebat, atque spes ipsum restitutum iri apparebat. Eo tempore Dissertationem *Medicina absque medicis* inscriptam, & Operibus his adjectam scribebat, cum corporis vires restaurari videren-

rentur, sed repente undecimo Martii 1721, hora quarta matutina exspirabat. Per omne, quo æger decumbebat, tempus, philosophicam patientiam testatus, mortem absque ulla animi perturbatione respiciebat, ultimum vale adstantibus dicens, atque ipsis narrans, cubitum se ire. Paucis ante mortem diebus hoc Epitaphium sibi ipse scripserat:

H. S. E.

JOANNES TOLANDUS

Quî, in Hibernia prope Deriam natus,
 In Scotia & Hibernia studuit,
 Quod Oxonii quoque fecit adolescens,
 Atque Germania plus semel petita
 Virilem circa Londinum transegit ætatem,
 Omnium literarum excultor,
 Ac linguarum plus decem sciens,
 Veritatis propugnator,
 Libertatis assertor;
 Nullius autem Sectator aut Cliens,
 Nec minis, nec malis est inflexus,
 Quin, quam elegit, viam perageret,
 Utili honestam anteferebat.
 Spiritus cum æthereo patre,
 A quo prodiit olim, conjungitur:
 Corpus item, naturæ cedens
 In materno gremio reponitur.
 Ipse vero æternum est resurrecturus
 At idem futurus Tolandus nunquam.
 Natus Nov. 30
 Cætera ex scriptis pete.

Sub finem Autor Elogii hujus de iis conqueritur, qui Tolando infensi omnem ipsi virtutem ac doctrinam plane contra veritatem denegarunt, atque specimen gravissimæ accusationis insertæ libello notissimo, *the Freeholders-Journal*, exhibet. Fatetur tamen concessis a natura muneribus rectius illum uti debuisse, atque imprimis dolet, otioso ac vano vitæ generi im-

plica-

plicari se passum, in eodem ad mortem usque non obstante crebra amicorum dehortatione perstitisse.

HISTOIRE DES VESTALES, AVEC UN
Traité du Luxe des Dames Romaines.

feu

HISTORIA VESTALIIUM, CUM COMMENTATIONE
de Luxu Faminarum Romanarum, Autore ABBA-
TE NADALIO, Academiae Regiae elegantiorum
litterarum Socio.

Parisius, apud viduam Petri Ribou, 1725, 8.

Alph. 1 pl. 10.

QUam exhibemus de Vestalibus Commentationem, in Academia elegantiorum litterarum Regia exposuit Cl. Autor. Cum vero illius leges potissimum exigant, ut, quæ ad antiquitatis notitiam pertinent, solícite eruantur, commodissimum Nostro argumentum præbuit Vestalium Historia, quæ ad Romanæ reipublicæ politiam & religionem intimius noscendam multum omnino confert. Quicquid ea de re commentatus est Cl. Autor, petiit ex ipsis Græcorum Latinorumque fontibus, quorum loca margini apposuit. Veram enim Vestalium Historiam concinnare ipsi animus fuit, cum jam aliis libellus de eodem argumento gallice editus prosteret, cujus Autor ex Romanensium Scriptorum ingenio, magis delectare, quam instruere lectorem studuit. Ut vero lectori de indole hujus Schediasmatis constet, paucula inde delibabimus. Quatuor Capitibus illud absolvit Cl. Autor. Primum originibus hujus sacerdotii eruendis desinat, in cujus limite multa de commodis, quæ ex religionis, sacrorumque cultu ad rerumpublicarum florem & incrementa redundant, præfatur. Cum vero Romanorum ingenia aliis ferociora fuerint, p. 5 facile interpretatur, quod Romulus non minus Diis, quam hominibus, asylum quasi aperuerit. Potissimum tamen Numæ Pompilio hæc laudem asserit, qui gentem Romulo regante armis assuetam, sacrorum imperata cura, metuque Deorum injecto mitigaverit, omnemque religionis formam majori instruxerit

xerit sollicitudine. Hinc p. 8 ipsas Vestales a Numa primum lectas, Romæque introductas esse evincit, eorum confutata opinione, qui Romulo illud vindicant. Quamvis enim eas majores Vestæ imaginem & mysteria primum Italiæ intulerint, ipsique satis affinis & vere familiaris hujus Deæ cultus fuisse videatur, cum matre Vestali natus sit; non tamen admodum honorificum Romulo fuisse, cum Dionysio Halicarn. credit Cl. Autor, si Vestales Sacerdotii ornasset honore, cum parum honestæ originis sibi exprobandæ occasionem civibus perpetuam præbuisset. P. 11 & seqq. de igne sacro, cujus in Vestæ altaribus conservandi negotium Vestalibus demandatum erat, fusius disserit, ubi fere apud omnes gentes hunc morem obtinuisse observat, cum in Apollinis, Cereris, Minervæ, Dianæ, & Jovis Ammonis sacris *λύχρον ἄσβεστον* viguisse constet, adeo ut ritum tam multis communem ex legis divinæ de Holocaustis Levit. c. 6 auctoritate ad profanas gentes fluxisse, verisimile nostro videatur. P. 15 de lege, quæ non minorem, quam sex annos; nec majorem, quam decem annos natam, Vestæ ministerio adhiberi jubebat, quædam commentatur, interdum tamen neglectam eam fuisse cum Cl. Racinio Acad. Socio observat, comprobaturque exemplo Junie Silani sororis ex Augusti familia oriundæ, quæ definitam lege ætatem dudum supergressa, hoc sacerdotio ob natalium splendorem, virtutisque suæ merita defuncta sit. P. 21 ritum, quo Vestali læctæ capilli abscindebantur, & Loto arbori, Homero decantatæ, inferebantur, explicat, libertatisque concessæ honorem hoc ipso indicatum fuisse interpretatur, uti & servi Romani libertate donati sibi capillos radi patiebantur, hoc quasi dono Deorum liberalitatem remuneraturi. Capite secundo p. 59 Prærogativas muneris Vestalium tributas evolvit Cl. Autor, quibus tantum honoris sacerdotio huic conciliabatur, ut ipsi Consules & Prætores, si Vestali occurrerent, via cederent, aut si declinare non liceret, fasces ipsi submitterent, confessione facta majorem Vestalis, quam Consulis esse auctoritatem. Cujus rei illustre specimen Claudia Vestalis in tuendo contra Tribunum parente edidit, quem, cum invito populo triumphum moliretur, Tribunus inter ipsa pompæ solennia curru excussurus erat, nisi filia oppor-

p. 89.

91.

tunc interveniens, patremque complexa muneris sui autoritate Tribunum repulisset. Tertio Capite p. 140 de supplicio Vestalium fufius agit Cl. Autor, quod eo periculofioris alex erat, quo magis illarum castitatem leges circumfcribebant. Pontifices arbitri & exactores conftituti erant; Summi Pontificis folius erat, ad mortem ream condemnare; qui quamvis in concilio primas teneret, nihil tamen nifi convocato folemniter Collegio decernere poterat. Ex Numæ inftituto Vestalis leges transgreffa virgis usque ad mortem cædebatur; inceffa lapidibus obruebatur. Festus morte quidem multatas Vestales esse, speciem tamen supplicii non memorat, legemque ea de re latam, cum in atrio Templi libertatis fixa effet, cum multis aliis legibus incendio confumtam esse, confirmat. P. 159 Senecæ locum, quo Vestalem de saxo dejectam esse refert, adducit Cl. Autor, magisque Declamatoris figmentum, quam veram esse legem interpretatur. Quarto Capite ostendit, quomodo sensim sensimque Vestalium autoritas imminuta fuerit, & sub Theodosio M. penitus expiraverit, qua in re Lipsius, uti in plerisque aliis, Nostro suffragatur. Subjectus de Læxu Romanarum sceminarum Tractatus eo magis ad lectorum guttum erit, quo magis jucunditate hoc argumentum se commendat. Duabus Partibus illam materiam absolvit, quarum priore de capitis ornamentis, de pectine, de capillis, de calamis, quibus eos intorquebant, de capillorum albedine, de arte, qua nigros infucabant, de faco vultui illinendo, de dentium elegantia, de oculorum pulchritudine uberius differit; posteriore de habitus vestiumque indole commentatur. Tandem brevem Dissertationem de origine libertatis, qua militibus Romanis licebat, triumphantibus Satyras occinere, coronidis loco annectit.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES
Anni MDCCXXIX, quibus Philosophia ad publicam
privatamque utilitatem aptatur, Autore CHRISTIA-
NO WOLFIO, Consiliario Aulico Hassiaco, Mathema-
tum ac Philos. Prof. Primario in Acad. Marburg. & Ordin.
Phi-

*Philos. p. t. Decano, Professore honorario Pétropolitano,
Societ. Reg. Britan. ac Boruff. Sodali.*

Trimestre Brumale.

Francof. & Lipsiæ, in Bibliopolio Rengeriano, 1729, 8.

Plag. 12.

QUænam Cel. Autor circa Philosophiam universam molia-
tur, in Actis Anni superioris p. 456 monuimus, scilicet quod
eam & certam, & utilem efficere studeat. Ut utilitas evidentius
pateret, in his Horis Subsecivis in posterum continuandis speci-
minibus luculentis docere constituit, quomodo Philosophia ad
publicam privatamque utilitatem aptari debeat. Cum hoc insti-
tutum Autore Viro Perillust. L. B. a Dalwigk, Serenissimi Has-
siæ Landgravii Consiliario Intimo & Cameræ Præsidi, potissi-
mum aggressus sit, quem Patronum prorsus singularem venera-
tur; ejus quoque nomini has horas sacras esse voluit. Enimvero
ne ex sua, quam quis habet, de philosophia notione judicans au-
tem temerarium judicet, quod impossibile ipsi videatur, ut phi-
losophia ad vitam & Remp. bene ac prudenter agendam aliquam
afferat utilitatem; Autor primo loco habitum philosophiæ ad
publicam privatamque utilitatem aptæ delineat. Cum omnis co-
gnitionis acquisitæ usus in negotiis vitæ ad applicationem defini-
tionum & propositionum redeat, probationum vero non alius sit
usus, quam ut assensus judiciis discursivis præbendus eliciatur, at-
que adeo earum in applicatione propositionum nullus prorsus
deprehendatur; in philosophia ad publicam privatamque utili-
tatem apta tradendas esse ait definitiones ac propositiones, quales
ad casus obvios applicare licet, quibus tanquam propositione ma-
jore utarur in Syllogismo practico de re aliqua obvia, ex eo, quod
in eadem perspicimus, aut de eadem tanquam certum sumimus,
illaturi quod observare non licet aut in assumto non continetur;
definitiones autem esse debere exactas & probationes propositio-
num sufficientes, quemadmodum in *Opere Logico* docuit, ne ju-
dicia pragmatica in casu singulari inde elicitâ fallant. Philoso-
phiam igitur tum demum ad vitam utilem agnoscit, si in ea pro-
sint definitiones accuratæ generum atque specierum, per quas

res obvia ad sua genera suasque species reducantur, iisdemque jungantur propositiones determinatæ, in quibus notio subjecti nec plura continet, nec pauciora, quam quæ ad determinandum prædicatum requiruntur, seu, quod eodem recidit, singulis generibus singulisque speciebus sua tribuantur prædicata, tum quæ iisdem absolute conveniunt aut vi solius definitionis, tum quæ sub data demum conditione, aut sub determinationibus definitioni superaddendis tribui possunt. Talem Cel. Autor ut efficiat, omnem movet lapidem atque adeo se diversum prorsus moliti ostendit ab eo, quod *Leibnitio* propositum fuerat, nodos difficiles, qui omni ævo vel excelsa ingenia confuderant, de Commercio inter mentem & corpus atque primis rerum principiis solvere conanti. Ad utilitatem se philosophari fatetur, non ad pompam, adeoque illam non metitur sola sublimitate, etsi non neget, utilia quærentibus subinde haud vulgari acumine opus esse ad communia pervidenda, ut utilia fiant, & in re obvia inexpectatam quandam profunditatem sese offerre, si ad ulteriora inde proficere studuerint. Quamobrem cum philosophia ad vitam utilis reddi possit, etiamsi nodi isti, quos modo commemoravimus, difficiles non solvantur; in iis solvendis quemlibet abundare jubet suo sensu, nec quippiam adversi inde metuit philosophiæ suæ. Ceterum ut hujus quoque Theoriæ de habitu philosophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ appareat usus, evidenter comonstrat, quomodo eadem utendum sit tanquam lapide lydio cum discendorum, tum docentium: id quod non uno nomine in publicam privatamque utilitatem redundat. Ad publicam privatamque utilitatem Facultates inprimis, quas vocant, superiores destinantur. Cum adeo philosophia ad eandem apta deprehendatur, si præter immediatum sui usum, quem ab illis expectare minime licet, his etiam serviat; ideo Nostro quoque propositum est in his *Horis subsecivis* sua philosophiæ principia transferre ad usum in Facultatibus Superioribus. Logiciæ igitur suæ usum in eruendis notionibus distinctis ostensurus, ubi in Corpore Juris non traduntur definitiones, quæ satisfaciunt, exempli loco sumit definitiones Juris Naturæ, Gentium & Civilis, quæ leguntur l. 1 §. 3 & l. 6 ff de Just. & jure. *Ulpianus* Jus Naturæ defini-

nit

ait per id, quod natura omnia animalia docuit, faciens idem jus hominum ac omnium animalium commune idemque immutabile. In subsidium igitur vocatis principiis, quæ in *philosophia prima* traditurus est, nunc quidem sub prælo sudante, inde deducit in sensu *Ulpiani* Jus Naturæ eam esse determinationem actionis, cujus ratio in natura animali seu essentia homini cum brutis communi continetur, ut adeo Jus Naturæ multo arctioribus limitibus constringatur in Corpore Juris Civilis, quam vulgo fieri solet. Multa hic traduntur lectu non injucunda, sed quæ intra arctos recensionis limites coarctari non possunt. Ostendit inter alia usum definitionis *Ulpiani*, quam regulis logicis conformem probat, in investigando jure Naturali, addita cautione, ne quis pro vitiosis habeat, quæ rite expensa nullo vitio contaminata sunt. E. gr. Canis catuliens vulgo censetur lasciva, quod promiscue admittat canes mares, uno alteri in coitu immediate succedente, propterea quod mos istiusmodi summam arguat in humano genere salacitatem: sed minus recte. Etenim omnibus rite expensis ex canum more, methodo Autoris hæc deducitur propositio determinata: Si sæmina uno coitu sufficienter imprægnari nequit, mare tamen tantummodo ad imprægnationem, nequaquam vero ad educationem habet opus; promiscuus concubitus licitus est, ac tam diu continuandus, donec imprægnatio absoluta. Jam cum casus hic non occurrat in genere humano, nec promiscuus concubitus in idem convenit: cum vero idem obtineat in canum genere, nil in eodem vitii habet. Similiter demonstrat per definitionem Juris Gentium, quam *Gajus* dedit, Jus Gentium esse eam actionum determinationem, cujus ratio in natura humana, seu essentia & natura homini propria continetur, & Jus tandem Civile vi definitionis *Gaji* esse eam actionum determinationem, cujus ratio in civitatis cujusdam statu singulari continetur. Ceterum monstrat, quomodo ea, quæ *Ulpianus* de modo efficiendi Jus Civile concise tradit, cum iis conveniant, quæ ipse de hoc argumento in *Politica* uberior exposuit, tandemque docet, quousque sibi conveniat cum Ictis Romanis. Tertio loco sequitur Dissertatio de differentia intellectus Systematici & non Systematici. Ille est, qui propositiones universales connectit; hic vero, qui eas non connectit. Connectuntur

tur propositiones, si alia per alias tanquam per principia demonstrantur. Veritates universales inter se connexæ Systema doctrinarum constituunt, quod verò nomine sic appellatur, iudice Nostro. Tribuit autem Autor intellectum Systematicum Geometris veteribus *Euclidi, Archimedi, Apollonio, Theodosis* & in universum Mathematicis veri nominis. Inter philosophos exempli loco commemorat *Aristotelem, Confucium, Cartesium* & inter Theologos *Casparum Neumannum*, Theologum haud ita pridem apud Ura-tislavien-ses clarissimum, ita tamen, ut *Confucio* non nisi intellectus Systematici dispositionem naturalem, sed eminentem tribuat. Et si enim *Confucius* Systema veritatum non dederit, sed talia potius, quæ scopæ dissolutæ vulgo videntur, ea tamen, quæ in ideis ipsis continentur, non modo acumen profundum sapere, verum etiam pulcherrimo nexu inter se coherere putat, ut, qui intellectu Systematico polleat ac notionibus animi habeat refertum, verbis factisq; *Confucii* respondentibus, in Systema ordinatissimum redigere queat veritates universales in ideis *Confucii* clarissimis, sed minus distinctis olim contentas. Et quamvis in ea incidens tempora, ubi deerant, quæ extrinsecus in dispositionem naturalem ad habitum evahendam influere debebant, ipsum habitum nunquam fuerit consecutus; non tamen omissam ac inutilem eidem fuisse dispositionem illam naturalem intellectus Systematici prorsus præclaram, cum absque ea ideas rerum moralium atque civilium solas non infixisset, quæ Systema pulcherrimum idemque veritati consentaneum comprehendunt, ab eo in apicum producendum, qui ideas *Confucianas* in animo suo excitare ac veritates universales in iis latentibus eruere valeat. Differentiam intellectus Systematici & non Systematici exemplo *Cartesi* & *Gassendi* illustrat. Has autem illius prærogativas recenset, quod veritatem intimius perspicat, quod securus in scientiis progressus inde pendeat, modo caveatur, ne Systema elementare, quod primas veritates continet, erroribus sit obnoxium; quod ejus ope contradictiones evitentur omnium facillime; quod eodem instructus ab autoritatis præjudicio prorsus immunis sit & solus eclecticum veri nominis agere aptus; quod errores idem facillime detegat sibi que ab iisdem caveat: quæ singula more suo ex ipsis notionibus rerum luculen-
ter

ter evolutis deducit. Neque vero Auctori sufficit Systematis elementaris necessitatem adstruxisse, cujus defectu intellectus Systematicus in errorem incidit & ex uno errore alios legitima ratiocinandi lege deducit; sed clarissime insuper docet, quamnam in Systemate elementari condendo observari debeant, ut intellectui Systematico formando & ad altiora præparando sufficiat. In eo nimirum notiones istas communes, quæ claræ quidem sunt, sed confusæ, universalitate in imaginibus singulorum latente, reducendas esse ad distinctas & verbis determinati fixique significatus expressas ab imaginibus separandas, ut vel in definitiones, vel in propositiones universales ad ratiocinandum utiles evadant, ubi veritates a priori deducendæ. Notionibus ita reductis utendum esse tanquam principiis primis, nec admittendum tanquam verum Systematicum inferendum, nisi quod legitima ratiocinandi forma eorum ope ex assumtis eruitur, quæ vel definitiones nominales, vel determinationes subjecti in propositionibus natura sua hypotheticis constituunt. Exemplum veri Systematis elementaris esse elementa *Euclidis* demonstrat. Ollendit etiam modum, quo Systema hoc elementare ab erroribus immune conservetur. Eo sine duplex commendat examen, quorum alterum a priori, alterum a posteriori instituitur. Nec rectius in jure antinomias, si quæ commissa fuerint, & detegi, & in Corpore juris condendo evitari, probat, quam ubi leges Systema quoddam efficiunt: ubi simul docet, quid faciendum sit ei, qui Jus Civile commune seu *Justinianicum* in Systema veri nominis redigere voluerit. Cùm denique *Pitcarnius*, Medicus celebris Medicis Astronomorum institutum imitandum commendaverit; Noster inde ausam arripit, ultimo loco de Medico Astronomos imitante commentandi, additurus ea, quæ a *Pitcarnio* non fuere annotata, hac tamen vice seponens, quæ sine intimiori Astronomiæ notitia intelligi nequeunt. Jubet igitur Medicum de omni objecto ad artem salutarem spectante primum colligere observationes communes sive obvias, quæ quasi sua sponte sese offerunt, & ex his prima artis Medicæ deducere flamina, in subsidium vocatis principiis aliis, legitima ratiocinandi forma colligens, quod inde eruitur. Etsi autem inde illata plerumque adhuc dubia sint, ea tamen non esse rejicienda, cum incertorum ope

ad

ad certa perveniat, dum in causam incertitudinis inquiritur ea-
que cognita porro in modum impedimenta removendi. Ita ape-
riri campum observationum exquisitori industria quaerendum,
nec non experimentorum utiliter instituendorum, de quibus alias
ne somniando quidem cogitasset: immo dum ex observationi-
bus primis propositiones determinatas condere vel ex his tales in-
ferre conetur Medicus Astronomi imitator, cum intelligere, quid
observationibus istis adhuc desit, quo minus huic molimini suffi-
ciant. Etenim & observationum imperfectionem, & ex iis colle-
ctorum incertitudinem, & quae exinde certo vera colliguntur,
quaerendorum campum amplissimum aperire. Principia huic in-
stituto inservientia esse anatomica, antologica veri nominis, qua-
lia proxime dabit Autor in *philosophia prima*, & unde etiam Ma-
thesis omnem haurit lucem, physica ex observationibus atque ex-
perimentis eodem modo derivata, qui Medico Astronomos imi-
tato commendatur, & Chymica experimentis certis nixa. In
his omnibus Medicum eam adhibere debere curam & diligent-
iam, quam veritatem a posteriori investigato in Opere suo logi-
co commendat. Hypotheses in Medicinam non esse admitten-
das, nisi quatenus ansam observandi & experimentandi praebent,
nequaquam tanquam principia, quibus theoria & praxis Medica
superstruatur. Propositiones determinatas semel formatas cum
observationibus ulterioribus continuo conferendas esse, ut dese-
ctus emendentur & suppleantur, erronea rejiciantur, nova, quae
ulterius deteguntur, adjiciantur. Ipso enim progressu Medicos
futuros in observando acutiores & majorem continuo in obser-
vando sese oblaturum quaerendorum numerum, de quibus antea
cogitare non dabatur.

ALEXII CLAIRAUT, PARISINI, DETER-
minatio Curvae cujusdam differentialis, cujus constructio
simplicitate cum simplicissimis certat.

TAB. III., **D**ato positione plano AB & puncto C , a quo incipit funi-
Fig. 5. **D**culus longitudinis datae $CGOM$, a pondere M super ro-
ta DIG datae magnitudinis extensus: Dico, punctum M in
„extre-

„extremitate funiculi, vel intra pondus, utcumque affiuntum,
 „ tota super plano AB incidente, ferri in curva differentiali
 MM ., Sit CA perpendicularis in planum AB , & per rotæ
 centrum D , ducatur EP parallela ad AB , dabuntur magnitu-
 dine OB PB & inde PO ; item ob OM sibi semper paralle-
 lam dabitur PH , DP , & arcus HO . Fiat $EK = DP$ & da-
 bitur K positione, a quo computatae abscissæ erunt KP , ordi-
 natis PM . Est vero ex generationis conditionibus $PM =$
 $CGM - CG - GO - OP$. Jam ex D fit DI perpendicu-
 laris ad EP & ex G contactu extremo parallela GS ad EP , ac
 GF in eandem EP perpendiculariter cadat, & jungantur CD
 GD . Sint etiam $KP = x$, $PM = y$, $CE = a$, $DH = b$, $GC =$
 z , $OH = r$, $OP = i$, $JG = v$, $HOGJ = q$ & funiculi $CGOM$
 longitudo sit c ; quibus substitutis in $PM = CGM - CG$
 $- GO - OP$ fit $y = c - z - q + v + r - i$; sed superest, ut
 z & v per x exprimantur. Patet vero quod $CG = \sqrt{CD^2 -$
 DG^2} & $CD^2 = CE^2 + ED^2$, seu, ob $EK = DP$ & adeo
 $ED = KP$, $CD^2 = CE^2 + KP^2 = x^2 + a^2$, unde CG seu
 $z = \sqrt{CE^2 + KP^2 - DG^2} = \sqrt{x^2 + a^2 - b^2}$. Deinde dif-
 ferentiale arcus JG est $\frac{b}{GF} \times d. DF$, ut constat, fit $DF = t$,

$GF = s$ & fit $dv = \frac{b dt}{s}$. In Triangulo CGS est, $CG = z =$
 $\sqrt{x^2 + a^2 - b^2}$ ut supra inventum; $SG = DE + DF = KP +$
 $DF = x + t$ & $CS = CE - ES = CE - FG = a - s$, unde x^2
 $+ a^2 - b^2 = x^2 - 2tx + t^2 + a^2 - 2as + ss$, & scripto
 $bb - st$ pro ss ex circuli natura, $x^2 + a^2 - b^2 = x^2 + 2tx$
 $+ tt + aa - 2as + bb - st$ seu $bb + tx = at$ & quadrando
 $b^2 + 2bbtx + ttxx = a^2 + 2aat + aabb - aatt$, unde $t =$
 $\frac{ab\sqrt{x^2 + a^2 - b^2} - bbx}{xx + aa}$ & $dt = \frac{aa + xx + abx dx -$
 $b^2 dx - 2abx dx \times \sqrt{x^2 + a^2 - b^2} + b^2 x}{aa + xx^2}$.
 Datur igitur t in x . Sed & s in x dabitur per æqualitatem bb
 Tt $+ tx$

+ix = ar, a qua ista fluxerunt, substituto valore r antea inven-
to in $\frac{bb+ix}{a}$ & fit $s = \frac{bba + bx\sqrt{x^2+a^2-b^2}}{aa+xx}$. Substi-

tuendo igitur s & r per x expressas in $v = \frac{Sbdt}{s}$ fit $v = \frac{S}{s}$.

$$\frac{aa+xx \times abxdx - bb dx - ab\sqrt{x^2+a^2-b^2} + bbx \times \sqrt{x^2+a^2-b^2}}{aa+xx \times ab+xx\sqrt{x^2+a^2-b^2}}$$

Et tandem substitutis valoribus z & v hactenus inventis in æquatione prima $y = c - z - q + v + r - i$ fit $y = c - \sqrt{xx+aa} - bb - q$

$$+ (S \frac{aa+xx \times abxdx - bb dx}{\sqrt{xx+aa-bb}} - ab\sqrt{aa-bb+xx} +$$

$$bbx \times 2xdx) : (aa+xx \times ab+xx\sqrt{aa-bb+xx}) + r - i; \text{ vel differentialiter } dy = \frac{-xdx}{\sqrt{xx+aa-bb}} + (aa+xx \times$$

$$\frac{abxdx - bb dx}{\sqrt{aa-bb+xx}} - ab\sqrt{aa-bb+xx} + bbx \times 2xdx);$$

$$aa+xx \times ab+xx\sqrt{aa-bb+xx}. \text{ Q. E. J. \& D.}$$

Corollaria. 1.) Si C cedit in E adeoque $a = 0$ æquatio præcedens transit in $dy = \frac{bb-xx}{\sqrt{xx-bb}} \times dx$ vel $-dy = \frac{dx}{x}$

$\sqrt{xx-bb}$. 2.) Si C incidit in A fit $-EC = EA$ seu $a = -b$, quo in æquationem introducto isthæc mutatur in $dy = \frac{bb-xx}{bb+xx} dx$.

3.) Si $b = 0$ id est loco circuli punctum incidat super AB & funiculum libere pendentem secum ducat, æquatio inventa fit $y = c - z$ vel $y = c - \sqrt{aa+xx}$, curva MM jam mutata in Hyperbolam.

Præ-

Præcedentia per literas nobiscum communicatâ cõmissus dubitavimus Actis hisce inserere, quo inustatius est Analystam decimum quintum atatis annum vix prætergressum his passibus gradiri, qui satis ostendunt, qualia in posterum ab ejus ingenio expectanda sint.

ORIGINES LANGOBARDICÆ, QVAS E membrana pervetusta edidit, & Commentarium adjecit JOH. FRID. CHRISTIUS. Accessit CONRADI A LIECHTENAU Historia Langobardorum, & ex aliis excerpta quedam.

Halæ Magdeb. apud Joh. Christoph. Krebsium, 1728, 4.

Plag. 10 $\frac{1}{2}$.

DOCTISSIMUS *Christius*, qui aliquo abhinc tempore præclare de literis mereri cœpit, iisdemque industria sua, si recte de illa judicamus, egregia minatur incrementa, novum industriæ & ingenii sui specimen cum orbe literato communicaturus, membranam, quam in Bibliotheca sua reperit, bonæ notæ, pervetustam, Originès Langobardicas continentem, & quod credit, nondum editam, publici juris facit. Neglexerat illam aliquandiu, certe tantum pretii, quantum merebatur, illi non statuerat. Putarat enim hanc membranam non esse, nisi *Pauli Warnefridi* partem, quod præter argumentum & stili conveniebat. At superiore anno, cum Lipsiæ intra plures Bibliothecæ, quam splendidissime instruxit Curia, constitutus, calamo exaratos in primis codices perlustraret, incidit forte in Warnefridum pervetustum, membraneum, accurate scriptum; sed prioribus aliquot paginis mancum. Hoc in codice, cum idem sæculum, eadem plane notarum lineamenta; præterea & modum paginarum eundem agnosceret, parum absuit, quia plane sibi persuaderet, eandem illam principem paginam, quæ in isto desideraretur codice, apud se haberi. Postquam vero monumentum suum, cum editis Warnefridi exemplis curate collatum, plurimis rebus differre vidit; mutata sententia judicavit, nisi antiquius illius libris, saltem haud adeo multum recentius esse; ideo-

que, cum non inueniret, ubi typis jam ante mandatum exflare pos-
 sit, statim consilium ejus edendi cepit, idque nunc exequitur. De
 vetustate membranæ suæ affirmare certi quidquam non sustinet;
 putat tamen septingentis annis vix esse posse recentiorē. Cete-
 rum quid differat a Warnefrido, sedulo monet doctissimus Editor
 in subiecto Commentario, utque Lectoribus nostris, quibus War-
 nefridi copia est, de hac differentia illico constare possit, ipsum
 Monumentum, quia breve, ad verbum huc transcribemus:

Origines Langobardicæ.

*Hi presuerunt genti Winilorum, hoc est Longobardorum.
 Ibor scilicet & Agio, utriusque germani, ex matre Gambara editi.
 Qui egressi de Scandinavia, venerunt Sciringa, que Vandalis
 contigua est; de qua egressi, venerunt in Mauringam. inde ap-
 plicuerunt Ingolanda. Mortuus igitur Ibor & Agione, primum
 Agelmund Agionis filius per XXXIII annos eidem genti regna-
 uit. Post Agelmundi suus Lamiso secundus suscepit regnum.
 Post Lamisionem tertius ad regni gubernacula, per LX annos, Le-
 tus ascendit. hoc defuncto Ildeoc, III ejus filius, III suscepit re-
 gnum. Quo decedente quintus, Godeoc, regnum est adeptus. His
 temporibus Odouacer Italiam regebat. Godeoc mortuo, regni gu-
 bernacula suscepit ejus filius Claffo. Ex supra dicta regione Vui-
 nili egressi, venerunt in Rugilanda, qua Rugorum dicitur patria:
 quam Feletheus, qui & Feuba dictus est, rexerat: sed Odosacra
 resistente, amisit cum vita patriam. Illic per aliquantos Vuinili
 commorati sunt annos. Claffone defuncto, Tato septimus ascen-
 dit ad regnum. Vuinili vero egressi de Rugilanda, venerunt in
 campos, qui sermone barbaro FELD appellantur. Tatone in-
 terfecto a Vuachone, ipse aliquantisper genti suæ dominatus est.
 Qui ex sua filia filium suscipiens, cum Vualtari appellavit. Ipse
 Vualtari post Vuachonem octavus, per septem annos obtinuit re-
 gnum. Post quem Audoin nonus adeptus est regnum, qui Longo-
 bardos in Pannoniam duxit. Audoin mortuo, jam decimus, ejus
 filius Alboin, ad patriam est regendam electus: qui per Nar-
 setam & Pannoniam vocatus, in qua per LXII annos deguerat, in
 Italiam, uniuersa cum multitudine gratanter ingreditur, ad
 eam*

eandem obtinendam. Hic autem insidiante Rosmunda, sua conjugis, ab Helmichiso suo milite, Peredeo operante, interfectus est. Cujus post necem Cleb, nobilissimus, ad regni fastigium erectus est. sed post annum & sex menses a suo puero interfectus est. Post hæc Langobardi sub ducibus per X fuerunt annos. sed communi consilio Antharim, Claffonis filium, in regnum proficiunt. qui, ut tradunt, veneno accepto, mortuus est. Huic successit Agilulf, qui per suam conjugem Teudelinguam, Gregorio Papa monente, statuit cum Romanis pacem. It postquam XXV regnaverat, diem clausit extremum. Adaloald post patri successit: decem cum matre annis regnavit. Sed hunc regno eiec'erant Longobardi & ejus in loco Arioald electus est in regnum. Hic post XII annos, quibus regnaverat, defunctus est. * * *

Hæc variis animadversionibus, imprimis etymologicis, interdum etiam criticis, doctissimus *Christius*, in Commentario perpetuo textui subnexo, erudite & modeste illustrare satagit. Ne autem nimis exile opus hoc evaderet, utque ad intelligendas *Originæ* hæc copiosior aliquanto Longobardorum historia ad manus esset: placuit doctissimo Editori, eam Longobardorum Historiam, quam *Urspergensis Abbas* Chronicis suis immiscuit, recusam dare, & cum variantibus lectionibus a Cl. *Schmeizelio* suppeditatis, his Originibus annectere, tandem etiam Testimonia aliquot veterum, *Sirabonis*, *Velleji Paterculi*, *Cornelii Taciti*, *Protopai*, *Procopii*, de nomine Longobardico recensere. Quod Virum doctissimum plaudente Republ. literaria feliciter perfecisse gratulamur, & ut plura ejusmodi in lucem progredi sinat, optamus.

ELOGIUM JOANNIS FABRICII

Joannes Fabricius, S. Theol. Doctor, Serenissimi Brunsvicensium ac Lunenburgensium Ducis a Consiliis rerum sacrarum, Regiæ Lutheræ Abbas ac Præsul, Scholarum Ephorus generalis, in Academia Julia Professor Emeritus, Regiæ que, quæ Berolini est, Scientiarum Societati adscriptus, in hanc lucem editus est Altorfii A. c I c I o c x l i v, die x i Febr. Patre *Joanne Fabricio*, tum temporis Diacono, mox Theologiæ Professore Altorfino, ac demum Antislite Ædis Mariæ Virginis Noribergensi. Mater *Susanna* vocaba-

cabatur, filia *Matthæi Schyreri*, numerosiori urbis Senatu adscripti. Titociniis ingenii domi positus, in Gymnasium, quod Noribergæ floret, *Egidianum* missus, *Frischium*, *Sensheimerum*, *Widmannium* & *Heldium*, præceptores habuit, in lingua vero utraque, Græca nimirum ac Latina, ut & Hebraica, ex *Michaelis Beerii* profecit disciplina. Non ita multo post in publicis ibidem scholis, *Jo. Mich. Dilherrum*, *Dan. Wulferum*, *Mart. Beerium*, & *Christoph. Arnoldum* audivit. Hinc in Academiam Juliam se contulit, duosque ipsos annos, præcuntibus *Joanne Sauberto*, *Andr. Fralingio*, *Val. Henr. Voglero*, *Herm. Conringio*, *Frid. Ulrico Calixto*, *Gerh. Titio*, & *Balth. Cellario*, studia philosophica; philologica & theologica tractavit. Tum, viris doctis Magdeburgi, Vitembergæ, Lipsiæ, ac Jenæ; ante salutatis, Altorfium adiit, & ducibus *Jo. Cour. Durrio*, *Christoph. Molitore*, *Jo. Paul. Felwingero*, *Luca Frid. Reinharto*, *Jo. Christoph. Wagenfilitio*, itemque *Joanne Weinmanno*, in illis studiis excurret latus, cominodam interea occasione in abeundi in Hungariam superiorem, & Pisonium usque penetrandi, e manibus haud dimittens. Rediit, *Durrio* Præside, de *Autoritate* disputavit, vitæque Academicæ per quinquennium hic peractæ vale dixit. Postea A. 1710 c. l. x. x. exteras visere regiones instituit. Percursavit primum Bavoriam, Sueviam, & partem Alfatæ attingit, ac civitates, quas in utraque ripa Rhenus alluit, non incuriose spectavit. Academicis & Bibliothecis in Batavia perlustratis, *Bolzanum*, *Tridentum* & *Venetias* usque emigravit, ipsamque Romam, *Clemente X. P. M.* sacra annorum viginti quinque exactorum sæcularia celebrante, intravit. Hinc Neapolim concessit, atque omnia, quæ miranda viatoribus offert Italia, cum cura consideravit, ubique ita versatus, ut immunem omnis maculæ animum secum ferret, & vitæ probitate cuius maximopere se commendaret. Longinquum istud iter emensus, A. 1710 c. l. x. x. v. i. i. docendi spartam, *Durrii* mortè vacuefactam, in Alma Altorfina suscepit. Sed hic de cælo mutato rursus cogitans, veniā ab hujus Academicæ curatoribus impetrata, Galliam videndi consilium cepit. Hinc per Alfatiam Lotharingiamque recta via contendit Lutetiam Parisiorum; ibidemque a Sorbona nunquam absuit; libros

bros etiam manu exaratos, itemque antiquitatum & artis non paucos, eosque magni pretii thesauros, curiose perquisivit. Inprimis, curante Oratore Danico, *Ludovicum XIV* coram veneratus est. Galliam percurrens reliquam, Lugdunum & Genevam peruenit, indeque, consalutata Helvetia, domum repetiit. Ubi omnes fidei & industrii doctoris partes absoluturus, nunc *Phil. Melanchthonis* locos communes, nunc controversias enodavit, novique foederis historias, a quatuor Christi nuntiis consignatas, cum tribus quatuorve Pauli Epistolis prioribus enarravit. Quod quo commodius succederet, tori sociam quaerendam esse e re sua duxit, quam & in *Emilia Justina, Mauriti Hoffmanni*, Medici in Academia Altorfina eo tempore Primarii, Novemviri & Marchionum Brandenburgicorum, ut & Ducis Wurtembergici Archiatri & Medici Noribergensis Senioris, filia, egregius & naturae & industriae ornamentis excolta se inventurum haud vano augurio credidit. Cujus in societate sicuti *Fabricius* suaviter jucundaque c. 10. loc. LXXXIII, die XXVI Febr. vivere coepit: ita ex hac marito duas vidit filias, *Emiliam & Sophiam*, sed utrasque praematuro morte ereptas, filiumque unicum, *Rudolphum Antonium*, Philosophiae Magistrum, qui a parentis demum morte e diuturnis quatuor annorum itineribus redux, nihil, praeter triste desiderium, sibi relictum esse luget, virtutum tamen paternarum plenissimam hereditatem nactus est. Accidit tamen, ut Noster A. c. 10. loc. xc. Doctoris titulo Jenae ornaretur, ipso inspectante Serenissimo *Joanne Guilielmo*, Saxoniae Duce. Is sedem jam fixam dumque sibi paraverat Altorfii, quum praeter opinionem, ut Helmstadii in locum *Pauli Heigeli* succederet, litteris A. c. 10. loc. xvi scriptis invitaretur. Ideo Academiae fascibus, quos tertium gesserat, depositis, Mense Junio sequentis anni exeunte, patriae simul & Academiae vale dixit, novumque in Julia munus die xx Julii exorsus est. Ubi in quaestionibus, quae in lite vertuntur, discutiendis operam collocavit, haecque sua cogitata luci publicae cum exposuisset, factum est, ut nimiam ejus moderationem clanculum reprehenderent alii, qui fervore magis delectabantur. Ille interim res suas bene gerere non desuit, sed Vet. Testam. annales Hebraeos explicavit, divinaque pandere mysteria sibi datum

cum-

cum primis credidit. Pluribus rebus suscipiendis idoneus ille, clementiam Serenissimorum Principum, Regiæ Lutheræ Præfulem, *Abbatis* nomine, ipsum designantium, A. c. 1700 expertus est, & tertio insequenti anno inter rerum sacrarum in Consistorio Consiliarios locum, primumque in Præfulem Curia censum inter Ordines ac status, quos vocant, Provinciales accepit. Eodem anno in Regiam Scientiarum Societatem, quæ Berolini est, honorifico Diplomate cooptatus est. Mûnia Rectoris publicæ Actoris, Heknladii semel, & ordinis sui *Decanatum* ibi septies, hic quinque administravit. A. c. 1700 vacationem a dicendi munere nactus, non solum Professoris Emeriti & Honorarii Elogio condecoratus, sed & scholarum Inspector generalis constitutus est, utpote probatæ castæque latinitatis stator ac vindex acerrimus. Quod si a publicis negotiis vacuum haberet tempus, variis ingenii monumentis operam suam consecravit. In his *Amanitates theologicae*, c. 1700 in vulgus editæ, nec non *Historia Bibliothecæ suæ*, cujus partes VI jamjam A. c. 1700 publicatæ sunt, in primis eminent, partes autem reliquas duas, *septimam* atque *octavam*, prelo jam paratas, eruditorum votis exhibiturus erat propediem, nisi fata suprema consilium obturbassent; ne autem in scriniis perpetuo lateant, filii pietas efficiet. Epistolas, quas numero infinitas ad summos, medios & infimos in univèrsa, quacunque patet, Europa viros exaravit, domesticas item virtutes, ac immortalia liberalitatis monumenta, taciti præterimis. Restat, ut de morte potius nonnulla commemoremus. A primis tenellæ ætatis annis tenuissima fuit valetudine. Licet vero senectutem ageret tolerabilem, & ne quidem ætate jam proVectus lumina oculorum amisisset, tussis tamen inde ab A. c. 1700 adauclta, & inveterata, denuo exasperabatur, superveniebant inedia, noctes infomnes, donec inter perpetuas mortisque meditationes vitam tranquille actam leniter placideque posuit, & ad immortalem alteram transit A. c. 1700, die XXI Januarii, circa horam IX, postquam vixerat annos LXXXV, demtis diebus



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXIX.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIA-
rum Imperialis Petropolitane. Tomus I ad Annum
1726.

Petropoli, typis Academiæ 1728, 4 chart. aug.

Alph. 2 pl. 17 Tabb. æn. 17.

Primum hoc est Volumen, quod Illustrissima Academia Scientiarum Petropolitana, a Petro I, Russorum Monarcha, fundata, a *Catharina* Augusta perfecta & a Petro II nuperrime confirmata publici juris fecit. Florent in ea *Jacobus Hermannus*, *Georg. Bernh. Bülffingerus*, *Daniel Bernoulli*, *Christianus Goldbachius*, *Jo. Christianus Buxbaum*, *Jo. Georgius du Vernci*, *Fridericus Christophorus Meyerus*, *Theophilus Sigefridus Bayerus*, *Josephus Nicolaus de l'Isle* & *Ludovicus de l'Isle de la Croyere*, quorum nomina in Commentariis leguntur, ac præterea *Jo. Simon Beckenstæinius* & *Jo. Georgius Leutmannus*, quorum in Præfatione fit mentio. *Nicolaus Bernoulli* & *Michael Burgerus* primo statim anno, quo Petropolin advenerant, diem supremum obierunt. Ad societatem denique accesserunt pauci quidam Viri celeberrimi in exteris terris degentes eo, quo hic commemorantur, ordine, nimirum *Christianus Wolfus*, Mathematicus & Philosophus Marburgensis, *Joannes Bernoulli*, Mathematicus Basileensis, *Marchio Joannes Polenus*, Mathematicus Patavinus, & *Petrus Antonius Michelottus*, Medicus Venetus.


Opus præclarum, quod Amplissimi *Schumacheri*, Bibliothecarii Imperialis, munere ad nos pervenit, plurima continet memoratu digna. In tres dividitur classes, quarum prima mathe-

Uu

mati-


matica, secunda physica, tertia denique historica continentur. De Mathematicis in præfenti; de physicis & historicis proxime dicemus. Inter mathematica primo loco occurrit *Hermanni Dissectatio de mensura virium corporum*, per quas intelligit potentiam motum efficiendi vel in hoc ipso corpore, cui ea inesse intelligitur, vel in aliis corporibus ab ipso diversis. Distinguit eam cum *Leibnitio* in vivam & mortuam. Illa est, quæ motum actualem producit; hæc vero, quæ in simplicem conatum definit. Ad vires mortuas refert gravitatem & vim centrifugam, quam illi homogeneam pronunciat, quod cum illa comparari possit. Vires mortuas ejuscunque speciei massis corporum proportionales facit, si cetera sint paria; easdem vero esse ait in ratione composita ex massis corporum & intensitatibus gravitatis aut viribus centrifugis, si diversa corpora a centro gravium distantiam habeant, aut in diversis circulis gyrauntur. Vires vivas cum *Leibnitio* esse statuit in ratione composita massarum & duplicata celeritatum. Postquam igitur brevem hujus mensuræ historiam tradidit, eam ex regulis motus, quæ obtinent in collisione corporum, elicit & vicissim regulas motus ex illa

virium mensura deducit. Vim mortuam considerat tanquam causam productricem vis vivæ, æquales vis vivæ partes in æqualibus spatii partibus producentis. Ac ideo in descensu corporis gravis C per altitudinem AH applicans vim mortuam ad spatium vim vivam exponit per parallelogrammum AHha, ita ut, si duo mobilia æqualia descendant per spatia AE & AH, ob vim mortuam Aa, vel Ee & Hh eandem, vires vivæ sint ut altitudines AE & AH. Quod si gravitas non fuerit constans, sed




variā-

variabilis, gravitates seu vires mortuas variabiles, Ca, Bb, Dd, Hh applicat ad altitudinem AH & viam vivam in locis B, D & H acquiritam æstimat per spatia ABba, A Dda, A Hha. Examinaat deinde objectiones a *Catelano*, *Papino* & *Samuele Clar-*




kio contra virium vivarum mensuram factas. De iisdem viribus & earum mensura commentatur admodum prolixè *Bülfingerus*. Commentationem suam in duas dividit Sectiones, quarum altera de mensura virium corpori moto insitarum demonstrationes condit; altera varias dilucidationes de iisdem exhibet. In Dilucidationibus philosophicis de Deo, anima humana, mundo p. 173 ostenderit, vim corporis per diagonalem Ad non æquipollere viribus corporum eidem æqualium per latera AB & AC simul sumtis, nisi admissa virium vivarum mensura *Leibnitiana*. Theoriam igitur virium vivarum in motu composito hic ampliorem reddit, non modo de-




monstrans, in omni parallelogrammo rectangulo actionem & viam vivam puram secundum diagonalem esse æqualem aggregatæ actionum & virium vivarum purarum secundum latera AB & AC; in obliquangulis non item; sed varia insuper theorematâ de viribus istis in motu composito condit. In dilucidationibus difficultates removere studet, quæ assensum theoriæ præpositæ præbendum impedire possunt. Occurrit inter alia virium vivarum genesis ex communicatione motuum eruta. Videtur Nostro vi principii, quod nullus in natura cominitatur saltus, percussio non fieri in instanti, sed successive per plurimas percussiones elementares seu infinite parvas, & singulas percus-

fiones elementares producere putat singulas particulas vis vivæ in corpore percusso, ita ut earum summa fit vivæ vi genitæ proportionalis. Scilicet ut corpus A in quiete positum ex percussione recipiat gradum celeritatis AB, necesse esse existimat, ut totidem percussiones elementares fiant, ac elementula




SV contineantur in AB, ac singularum percussionum celeritates sint æquales lineis AS, AV &c. Faciendo igitur $BC = AB$ & complendo triangulum ABC singula elementula STXV exprimere singulas percussiones elementares, quæ in corpus A celeritate AS jam latum pro ingenerando novo gradu celeritatis SV fieri a corpore percutiente debeant, & aream trianguli ABC exponere summam omnium percussionum elementarium, quæ in corporis percutientis incurfu versus A fieri & a corpore A recipi debeant. Unde jam sponte sua fluit, summam illarum percussionum, consequenter vim vivam esse proportionalem quadrato celeritatis AB. Vi hujus hypotheseos vim vivam definiri posse arbitratur per summam omnium percussionum elementarium, quæ impendi debent a corpore aliquo moto, donec id alteri quiescenti elastico & æquali imprimat motum conceptum cum finito aliquo gradu celeritatis. *Nicolaus Bernoulli* exhibuit Dissertationem de motu corporum ex percussione, in qua problema solvit de inveniendis duorum corporum directe sibi occurrentium velocitatibus post ictum, datis eorum massis & velocitatibus ante eundem. Frater vero *Daniel Bernoulli* examen proponit principiorum Mechanicæ & demonstrationes geometricas de compositione & resolutione virium. Demonstrationem receptam com-

positionis virium ex compositione motus impugnat, qua nimirum stabiliri solet, actionem simplicem potentiam per diagonalem AD actioni compo-



fitz potentiarum per latera AB & AC æquipollere, pariter ac se res habet in parallelogrammo elementari *Acdb*. Neque enim 1) probat, quod velocitates initiales ponantur potentiis proportionales, seu elementa velocitatum proportionalia pressionibus sive potentiis per æqualia tempuscula agentibus, cum eadem alii quoque functioni pressionum proportionalia esse possint, istud vero nec demonstratum hæcenus sit, nec unquam demonstrari posse existimet, utut eandem veram esse iurgetur. Nec probat 2) quod ponatur, potentiam eundem velocitatis gradum communicare debere dato tempusculo corpori moto & corpori quiescenti. Ipse igitur viam longe aliam ingreditur, ut ex principiis necessariis illam virium compositionem tandem deducat: quæ cum non nisi per multas ambages obtineatur, novam illam demonstrationem huc transferre minime licet. *Keplerus* in Commentariis de motibus stellæ Martis dudum imploravit opem Geometrarum in solvendo problemate de area semicirculi ex quocunque puncto diametri in data ratione secanda. *Christophorus Wrennus* ope cycloidis protractæ problematis constructionem dedit: sed cum curva sit descriptu admodum difficilis, solutionem per seriem infinitam ei prætulit *Newtonus*, cuius exemplum secuti sunt *David Gregorius* & *Jo. Keill*. Citra serierum usum solutionem dederunt *Philippus de la Hire*, *Jacobus Cassinus* & *Petrus Horrebowius*. Sed novam eamque facilem constructionem ope quadratricis *Ischirnbaustiana* affert *Hermannus*, quam absque demonstratione huc afferimus. Pro-




blema his verbis enunciat: Dividere semicirculum A Q D per lineam BE ita ut trilineum ABE sit ad semicirculum A Q D in

in data ratione DN ad DH = AE. Constructio hæc est: Semicirculo DGH alteri AQD æquali inscribatür quadratrix DLGH talis indolis, ut ex quolibet ejus puncto L ductis LK parallela diametro DH, & LM eidem perpendiculari, sit ubique arcus respondens hujus divisionis, nempe DK, ad abscissam DM, ut DKG ad radium DI. Sumatur dein in radio CQ sursum producto & diametro perpendiculari CP = quadranti AQ, & jungatur PE, ex puncto vero N agatur NL alteri EP parallela, quadratrici alicubi occurrens in L, ex quo puncto deinceps ducta LB diametro AD parallela, occurret semicirculo AQD in optato puncto B: jungendo enim BE, triangulum ABE erit ad semicirculum AQD in data ratione DN ad DH. Ex hac vero constructione deducit quoque Geometra solutionem arithmetica, quæ ope hujus analogiæ: ut AE ad DN ita quadrans AQ ad arcum AB, arcum hunc per approximationem determinat. Idem *Hermannus* calculum integralem perficere studet ope theorematum, quæ hujus sunt tenoris: 1) Integralis æquationis $du = R^{\lambda} dK$ est $u = MR^{\lambda+1}$, in qua M datur per æquationem (quam vocat) canonicam, $dK = (\lambda+1) M dR + R dM$. 2) Integralis æquationis $du = R^{\lambda} S^{\mu} dK$ est $u = MR^{\lambda+1} S^{\mu+1}$ & æquatio canonicæ $dK = (\lambda+1) M S dR + (\mu+1) MR dS + R S dM$. 3) Æquatio $du = R^{\lambda} S^{\mu} T^{\nu} dK$ integralem habet $u = R^{\lambda+1} S^{\mu+1} T^{\nu+1} M$, cujus æquatio canonica est $dk = (\lambda+1) M S T dR + (\mu+1) M R T dS + (\nu+1) M R S dT + R S T dM$. Et similis est processus in infinitum. In his autem theorematis R, S, T &c. denotant quantitates una, duabus, aut pluribus indeterminatis, ut libet, compositas; elementum vero dk non modo easdem indeterminatas, quas quantitates R, S, T &c. continent, involvere potest, sed etiam plures, aut subinde etiam secunda differentialia. Literæ græcæ λ, μ, ν exponentes indefinitas quantitatum R, S, T designant, casibus particularibus deinceps definiendas. In applicatione theorematum tota difficultas huc redit, ut ex æquatione canonica eliciatur æstimatio indeterminatæ M: quod ut fiat, in elemento dR seligit aliquod membrum, in quo plures dimensiones respectu indeterminatarum insunt, quam in reliquis membris, & cum hoc mem-

membro omnia membra elementi dk dividit, cum quibus hæc divisio succedit, nullaque habita ratione coefficientium & signorum quantitibus per divisionem oris præponit coefficientes indefinitas A, B, C, D &c. & resultabit inde per additionem omnium quantitas aliqua, quam vocat Z , ponique postea debet $M = Z + N$, surrogando enim hanc æssumptionem indeterminatæ M in æquatione canonica & conferendo terminos æquationis resultantis cum homologis terminis elementi dk , definientur æssumptionses litterarum æssumptiarum A, B, C, D . Quod de elemento dR dictum est, similiter intelligendum est de factis $S dR, S T dR$ &c. *Joannes Bernoulli* exhibet specimen methodi integrandi sine prævia separatione indeterminatarum. Scilicet quando æquatio differentialis primi gradus reducta habetur ad $p dx = q dy$, ubi p datur per x & q per y , constructio nulla amplius difficultate laborat, concessis nimirum quadraturis. Immo eadem quoque generaliter in his Actis ad extensiones curvarum algebraicarum reducta est, ab *Hermanno* quidem in Actis A. 1723; a *Jo Bernoullio* in Actis A. 1724, ut ad majorem perfectionem in hac parte nihil ulterius desideretur, nisi ut ostendatur, quomodo eligi possit modus, qui curvam exhibet constructu facillimam. Enimvero si in æquatione differentiali $p dx = q dy$ utraque quantitas p & q , vel alterutra saltem diversimode componitur ex indeterminatis x & y simul, earumque variis potentiis, atque contineant vel non contineant varia signa radicalia; se neminem nosse fatetur *Bernoullius*, qui generalem invenerit regulam ad praxin applicabilem integrandi ejusmodi æquationes differentiales, si integrabiles sunt, aut, si non sunt, construendi eas sive per quadraturas, sive per refectiones curvarum datarum. Requirit autem Geometra acutus, prudens ac circumspectus, regulam ad praxin applicabilem. Cum enim constructio executionem requirat, nihil pensi sese habere ingenue fatetur alicujus regulæ, quæ in speculatione tantum subsisteret, re ipsa autem nullius esset usus, quæ & totam requireret hominis ætatem, si in levissimis quoque exemplis vellet eam effectui dare. Tales utique regulas generales, vel potius regularum ideas, etiam sibi in promptu esse, sed se ob rationem dictam, sane pragnantem, eas

negligere. Daturus itaque, quæ usui esse possunt, non vanæ speculationi serviunt, methodum a se inventam describit integrandi æquationes differentiales sine adhibita indeterminatarum separatione, aliave ulla earum in alias transmutatione per substitutionem faciendam, quæ continentur sub æquatione $p dx + q dy = 0$, ubi p & q designant quantitates ex x & y simul quomodocunque compositas, quemadmodum paulo ante notatum est. Monet præterea dari regulas particulares, etsi omnibus casibus in suo quasque genere applicabiles, quæ cum successu adhibentur. Earum se multas ac varias jam eo tempore excogitasse, quod de nascente calculo vix quisquam alius cogitabat, nedum ad ejus perfectionem animum applicabat. Regulas inventas se communicasse cum amicis partim coram, partim per literas, præsertim cum Marchione *Hospitalio*. Inter ipsas maximam extensionem habere illam, quæ valet pro omnibus æquationibus differentialibus, quantæcunque dimensionis sint termini, modo ubique sint homogenei, id est, in quibus exponentes indeterminatarum x & y simul sumti eundem in quolibet termino componunt numerum, adeoque literæ constantes, quæ in ejusmodi æquationibus occurrunt, nihil aliud designant, quam numeros coefficientes, nihilque proin contribuent ad dimensionum suppletionem. Eam hic igitur explicat & exemplo singulari illustrat. *Goldbachius* casus enarrat, quibus integrari potest æquatio differentialis $a x^m dx + b y x^p dx + c y^2 dx = dy$ & *Nicolaus Bernoulli* analysin aliarum quarundam æquationum exhibet, quæ comprehenduntur sub formula $a x^m dx + b y^n dx = dy$. Idem vero *Goldbachius* methodum *Joannis Bernoulli*, de qua modo diximus, extendit ad æquationem differentialem $a y dx + b x^n dx + c x^{n-1} dx + e x^{n-2} dx + \&c. = dy$, ubi n sit numerus integer positivus. *Hermannus* solvit problema ab *Offenburzio* in Actis A. 1718 p. 175 propositum de testudine hemisphærica fenestris ovalibus perforanda, quarum unaquæque peripheriam absolute rectificabilem habeat; ope quidem epicycloidis sphæricæ. Intelligit autem per epicycloidem sphæricam curvam in superficie sphærica descriptam a puncto in peripheria basis alicujus conii recti assumpto, dum conii hujus perimeter basis in circumferentia

tia alicujus circuli immoti, vertice conij in centro sphaerae (cujus radius aequat latus conij) immoto manente. Si nempe conus rectus ABC, cujus basis est circulus HI, revolvatur circa verticem suum C, ut circumferentia basis BIAH moveatur in circumferentia BDM alterius circuli BM centro C & radio CB descripti, erit circulus HI generator, & punctum L in perimetro circuli generatoris revolutione hujus circuli super peripheria LDE describet in superficie sphaerica curvam LFE, quam *Epicycloidem sphaericam* appellat. Postremo demum loco in classe Mathematica comparent *Wolfi Principia Dynamica*. *Wolfius*, quemadmodum fieri debere monuerat *Leibnitius* in Specimine Dynamico his Actis A. 1695, p. 154 inserto, ea, quae vires & actiones corporum spectant, independenter a phaenomenis, abstrahendo quam maxime ab omni re sensibili, ex solis notionibus derivat. Utitur autem hic novo arguendi genere, sed simplicissimo, quod ex naturali ac vero, non imaginario numerorum ortu derivatur, in quo data, per quae quaesitum determinatur, sive determinans sumit ut unitatem, & quaesitum sive determinatum ut unitatem alteram, atque toties ponendo determinans, quoties ponitur determinatum, rationem determinantium sive quaesitorum determinat per rationem determinantium sive datorum, cum sic in casu rationali ea prodeat relatio, quae est numeri ad unitatem, in irrationali ea, quae est rectae ad rectam quandam datam. Quoniam definitiones virium imaginarias facile in controversiam vocandas, si praesertim hypothesebus non ab omnibus concessis nitantur, respuit



atque
 Xx

atque adeo notionem virium fecundam publice adhuc desiderari existimat; ideo legibus methodi demonstrativæ convenienter contentus virium notione clara, utut confusa, in locum definitionis axiomata quædam surrogat, quæ nemo in dubium vocare valet, nimirum quod 1) duorum mobilium æqualium eadem celeritate motorum eadem vis sit, 2) quod eadem vi eodem tempore eadem absolvatur actio, 3) quod idem sit effectus, si idem mobile per idem spatium transferatur. Vocat ceteroquin cum *Leibnitio* vim mortuam, quæ in solo conatu ad motum consistit; vivam vero, quæ motui actuali adhæret, hancque in puram & mixtam dividit, quarum illi in agendo nulla vis contraria resistit, quemadmodum huic. Hinc porro actionem puram vocat, quæ exercetur vi motrice pura: uniformem vero, quæ est ut tempus, seu tempori proportionalis. Extra conflictum effectum vis motricis definit per translationem mobilis per spatium. Effectum nocuum vocat, qui vim motricem absorbet; innocuum, qui eam intemeratam relinquit. Theoremata, quæ ex his principiis methodo dicta deducit, præcipua hæc sunt: Actiones uniformes esse in ratione composita temporum & virium; si duo quæcunque mobilia per spatia quæcunque transferuntur, effectus esse in ratione composita massarum atque spatiorum; in motu æquabili effectus esse in ratione composita massarum, celeritatum atque temporum, adeoque tempore eodem ut impetus, & hinc actiones uniformes viribus æqualibus absolutas esse ut effectus, qui per eas producuntur; actiones, quibus idem effectus producitur, esse ut celeritates; si idem effectus innocuus eodem tempore producitur, vires esse ut celeritates; actiones uniformes esse in ratione composita effectuum & celeritatum; easdem quoque esse ut impetus ad spatia applicatos motu æquabili descripta; in motu æquabili vires esse in ratione composita ex simplici massarum & duplicata celeritatum; in motu gravium seu æquabiliter accelerato vires esse in ratione composita spatiorum, per quæ gravia descendunt, atque massarum; effectus innocuos esse in ratione composita ex simplici temporum & subduplicatis virium atque massarum; vires esse in ratione composita effectuum eodem tempore productorum & celeritatum

tum. Ollendit autem perperam vulgo effectum omnem statui causæ proportionalem, cum non nisi effectus nocuus talis sit in ascensu gravium ex hýpothesi Galileana. Principia vero hæc sua Dynamica menti Leibnitii conformia esse debere, literis a Leibnitio d. 12 Jan. A. 1711 scriptis probat, cum demonstrationem mensuræ vivarum virium in motu æquabili A. 1710 a se repertam cum eodem communicasset.

D. J. Z. P. RELATIO DE MACHINIS CHIRURGICIS novissime inventis.

CUM nuper quidam instrumenti chirurgici apparatus ad nos delatus fuit, artis medicæ peritis non ingratorum fore existimavimus, si machinas novas Tab. IV delineatas exhiberemus.

Fig. 1 est ferramentum, ex terebello & duabus laminis dentatis compositum, quo caput fœtus in utero relictum commode comprehendere & evelli potest. Nota est artificiosa machina a Mauriceau de morbis gravidarum T. I p. 365 descripta, qua & totum fœtum in utero extinctum educere jubet. *Le tire tête de Mauriceau. Petrus Amandus in novis de arte obstetricandi Observationibus p. 237*, caput in partu difficili avulsim reticulo involvere & educere tentavit; tacemus laminas incurvas Palsyni a Celeberr. Heistero in *Chirurg. Tab. XXV* delineatas. Nostrum vero ferramentum omnibus præferendum esse videtur. (a) Est terebellum cochlea (b) movendum, quod inter laminas dentatas retrahitur occultaturque, & ut cuicumque capitis ossi altius insigatur, protenditur. Laminæ illæ dentatæ (c) mobiles sunt, & cum arcu (d) cardinibus seu axibus (e) cohærent; quorum opera laminæ terebello retracto ad se adduci, & melius per uteri ora capiti fœtus admoveri queunt. Infixo vero terebello, explicantur laminæ, iisdemque anulo mobili (f) firmatis, prehenditur caput, & manu, quæ arcum arripit, extrahitur. Hanc machinam debemus ingenio Cl. Dn. D. Friedij, qui apud Argentoratenses, autoritate publica, artem obstetricandi docet & exercet.

TAB. IV.
Fig. 1.

Fig. 2 exhibet lanceolam ancipitem, ejus mucro globulo
X x 2 mun-

Fig. 2.

munitus est. Peridonea est dilatandis vulneribus pectoris. Illam jam olim nobis demonstravit Argentoratensis chirurgus artis suæ peritissimus *Le Maire*, quem illius etiam Syringotomi, quem *Cl. Bassus*, descripsit, autorem esse cognovimus. In anevrysmatis chirurgia, quando ista arteria liganda est, habent chirurgi, quod sibi a novo ejus vulnere caveant. Hinc plures, quando fila cerata trajiciunt, acu inversa, obverso ejus foramine illud faciunt. Acum obtusam a *Pareo* vel *Petito* inventam, delineavit *Garengeot de ferramentis chirurgicis* T. I p. 223. Ingeniosissimus & celebris apud Parisienses chirurgus *le Dran*, nosocomii, cui a caritate nomen est, *la charité* præpositus, acubus peculiarem in modum incurvatis, ut eo firmius utriusque manus digitis prehendi possint, utitur. Omnibus tamen præferenda videtur acus argentea major *Cl. Petiti*. Hujus pars inferior (g) ita exacuta est, ne latera plus quam par est scindant. Media pars elatior crassiorque pertusa est, & foramine (h) satis amplo fila ligandæ arteriæ dicata excipit. Pars summa incurva manubrium præbet. (i) Hujus acus latiori enspide incisa arteria, quæ alias non sine summa difficultate ab adjacente nervo aliisque partibus secando separatur, quam primum dissectis integumentis in conspectum prodit, allevatur, & acu in oppositum adacta, ab aditis partibus divellitur, filis vero subductis, retracta acu, opportunum spatium relinquitur, quo illa explicari, & arteriæ in utraque parte constringendæ accommodari queant.

TAB. IV.


Fig. 3 & 4.

Fig. 5.

Idem laudatus *le Dran* novum invenit herniotomum, incidendo annulo muscoli abdominis obliqui externi idoneum. Notum est chirurgos huc usque usos fuisse specillo sulcato & scalpello. Specillo addiderunt lamellam, ut commode deprimerent intestina. *Petitus* adhibet Scalpellum lima, non cote cultellatum mucrone globosum. Alii extollunt scalpellum absconditum elatere movendum, *le bistoury caché*, quod & alii lamella inferius muniunt. His omnibus tamen vix impediri potuit, quo minus scalpellorum acies, intestina, quæ flatu vel fecibus distenta in chirurgia herniarum erumpunt, attingeret & sauciaret. Minima vero intestinorum vulnera periculosissima esse constat.

vus

TAB. IV ad A. 1729. M. Aug. pag. 347.



vas herniotomus Fig. 6, in eo convenit cum jam dicto, quod cultellus in cannula argentea reconditus hæret, elatere movetur, & quod lamella, (k) qua intestina coercentur, instructus est. Quando vero elater (l) digito comprimitur, cultelli (m) acies, non cuspis emergit, quæ semper extremæ cannulæ (n) inhæret. Existimamus hoc scalpellum optimam securitatem præstare herniotomis. Idem *le Dran* novum cathetereum, interius cavum, exterius sulcatum, quo in sequiori sexu & lotium educi & via sterni potest forcipi, qua calculus extrahitur, nobiscum communicavit. Aegrum lithotomice subjiendum, non fasciis, sed certis ligulis firmat; quæ omnia tamen delineari haud curavimus.

TAB. IV.
Fig. 6.

Addimus inventum chirurgi Hafniensis Jo. Hentici Hestii, cujus jam A. MDCCXXVI, Mense Januario mentio in his Actis facta fuit. Ille observans in lithotomia, majori apparatu exercenda, urethræ vulnus forcipibus nimium distendi, fibras dilacerari, & sic perniciosissimam sæpe inflammationem concitari, novam & tractabiliorem machinam meditatus est, qua calculus extrahi posset. Fig. 7 prenforium est, (vocat transfennam, eine Schlinge,) fundæ in modum ex teneriori vesica complicatum, cujus oræ & tergum fascia sericea circumfutaque sunt, quæ fascia ad utrumque latus (o) mukum prominere. Inferior ora duplicata bacillum tenue ex spina ceti (p) continet. Huic bacillo ad (q) crepa inculpta est, ut illa maxime parte inflecti possit. Hanc fundam in dicta crena compositam intorquet in vesicæ vulnus, illamque digito explicat, & tandem, ut calculumprehendat, breviorẽ bacilli partem dextra attrahit. Quo vero calculus in fundam delabatur, abdomen leniter comprimendum suadet. Hoc instrumento laudatus chirurgus A. MDCCXXV, calculum satis magnum feliciter extraxit, fateatur tamen se reliquos, nam plures in vesica hærebant, forcipe eduxisse, quia prenforium sanguine & urina madidum nimisque emollitum fuerat. Frequentiori experientia hujus machinæ usus stabiliendus est, in his tamen, quæ ad salutem humanam attinent, optima voluntas laudem meretur.

Fig. 7.

TRAITE' DE LA TAILLE AU HAUT
appareil &c.

h. e.

TRACTATUS DE SECTIONE HYPOGA-
strica, complectens præcipua, quæ Autores, ea de re, tradi-
derunt. Cui accesserunt: Dissertatio MORAND, Chi-
rurgi: & litteræ ejusdem argumenti, Autore
WINSLOW, Medico.

Parisiis, apud Gulielm. Cavelier, 1728, 8.

Plag. 15.

ATrocissimus ille dolor, quem carnea vesica, calculum con-
tinens, sibi parit ipsi, ab omni ævo, Medicos Chirurgosque,
ad quærendam medelam appulit. Sola probata hæc sectio:
lithonripticis, nomine hæcenus tantum talibus, usque fallaci-
bus. Plures jam reperti secandi modi: quorum alter certior al-
tero: alter altero tutior. Neque omnes in omnem ætatem con-
veniunt. Floruit imprimis, hoc seculo, secandi modus, a *Rau*
restitutus, infinitis experimentis, ab instauratore captis, com-
mendabilis. Aliter vero per duo lustra sentire cœpit *Anglia*, dum
sectionem hypogastricam, oblivioni tandiu traditam, revocare
annititur. Neque jam sola ea: quin & in *Gallia* non tantum felici-
ter exerceri cœpta; sed & a viris, in arte medica eminentibus,
approbata. Jam cuncta, quæ ad hanc sectionem spectare posse
videntur, & historica, & quæ fabricæ nostri corporis noticiam
curatiorém redolent: unde sua illi sectioni accessi possit vel
simplicitas, vel præstantia, vel præsidium: in præfati hoc libro
distincte enarrantur.

Quatuor eum componunt partes: quarum prima collegit
omnia ex præcipuis Autoribus, eo pertinentia. Sicit ergo descri-
ptionem inventoris hujus sectionis *P. Franco*: ubi miratur Au-
tor, in *cystitomia hypogastrica*, Anglice scripta, ejus mentio-
nem factam non esse. Hanc excipiunt modi secandi, a *Rosset*,
Douglas & *Chefelden* propositi, ex memorata *cystitomia* excer-
pti. Pars secunda complectitur necessitatem, ægrum ante sectio-
nem rite præparandi: ut & historias, ita *Bristolii* & *Edinburgi*

A. 1723

A. 1723 & 1724 sectionum. Hæc autores agnoscit *Middleton & Macgill*: ex Anglico in Gallicum translata. *Pars tertia* Autori propria est. *Articulus I* sistit sectionis hujus historiam. Primus eam instituit *Laufannæ* A. 1560 *Franco* in puero bienni, cum calculum, nimis magnum, in perinæum usque pellere non posset. Descripsit hanc operationem ipse, sequenti anno, in *Tr. de bernis*: post vicennium eam restituere conatus est *Rosset* in *Tr. de operatione cesarea*. Tandem eam, oblitteratam jam, A. 1719 revocavit *Douglas*, sequentibus *Chefelden, Macgill & Thornhill*. De triginta & uno, quos secuerunt, ægris quinque tantum periere. Duo præcipue sectionis hujus possibilitatem demonstrant: 1) quod vesica incidi potest, abdomine intacto. Si enim vel maxime inter duplicatum peritonæum vesicam hæreere statuas, incisio tamen ejus fieri potest, lamina peritonæi interna salva: 2) quod vesicæ vulnera necem non afferunt. Tot observationes refellunt veterum hæc de re sententiam; adducitque Autor observationem parentis sui, sanantis militem a calculo, cui in vesicam explosus globus nucleum suppeditarat. Hæc moverunt Autorem, ut jam diu ante, quam Angli eam proponerent, in illam propenderit methodum, annuentibus *Winslow & de la Peironie*. *Articulus secundus* duo exhibet sectionis hujus exempla. Contigit A. 1727, ut tribunus militum, 68 annorum, femiparalyticus, sat magno laboraret calculo: qui pertinaciter, Anglorum more, ut aiebat, secari voluit; quia alium tribunum, cui a sclopeto vulnerata vesica fuerat, sanatum viderat. Secuit ergo ipsum Autor: & quidem, ne tabulæ apparatus ægro terrorem injiceret, in lecto: demissis capite ac pectore, femoribus levatis, cruribusque extra lectum pro-pendentibus; manibus vero per ministros firmatis. Jam iniecit vesicæ tepidam, donec dolorem moneret æger. Ne vero efflueret: compressit quidam urethram, colemque, arcum versus, traxit: unde simul cutis supra pubem tensa fuit. In dextro positus, in medio hypogastrio, recto cultro, sectionem per integumenta fecit longitudinalem, sinistro indice semper sectionem sequente. Tum alia brevior sectio, priori parallela, lineam candidam divisit. Ubi jam sentiebatur vesica; eam cultro incurvo, ad sinistri indicis apicem, desuper, pubem versus, velocissime incidit:

cedit: & ne collapsa se subduceret, mox eam retinuit immissus
 index, umbilicum versus incurvatus. Tum, pollice ac indice
 dextræ, asperum, oblongum, 5 drachinas pendente, extraxit
 calculum. Duravit hæc operatio per 27 minuta. Vulneri impo-
 suit linteum, vulnere longe majus: post splenia ac compressas,
 Post vena bis secta. Postridie æger nudus in cubiculo obambu-
 laverat. Post mensem, derelictus a custodibus, jam in vado æ-
 gram putantibus: omnem neglexit diætam: unde secuta febris.
 Sed impatientia ægri omne fere respuit auxilium: quin & eo il-
 la processit, ut cateterem, vesicæ inditum, violenter huc & illuc, im-
 pulerit, sicque vulnus impresserit corpori cavernoso penis fini-
 stro, ad septum usque scroti ascendens. Tandem vero exstin-
 ctus est. Postridie apertum cadaver. Venter illæsus deprehen-
 sus est, cellulosaque, anteriori vesicam integens, cicatrici arctius
 cohærebat. Nullibi vel pus, vel urina: vel serositas ulla. Quin
 & notandum, vulneris in vesica ne ullum quidem apparuisse
 vestigium: & partem cicatricis sub pube absconditam fuisse.
 Alium, eodem anno, in Gallia secuit eodem modo *Berrier*, Chi-
 rurgus: sed puerum quadriennem. Hujus vero clamores mul-
 tum impedivere operationem, deorsum premendo intestina:
 unde vesica ægre dilatari potuit. Cateter ergo, vesicæ immissus,
 sectioni iter monstravit. Cum sectio nimis alte facta esset, peri-
 tonæum angulo vulneris superiori appropinquate visum est.
 Retinuit id digitus: donec tegumenta superne consuerentur.
 Sanitatem vero omnino recuperavit infans. *Artic. III* præro-
 gativas hujus secandi modi præ apparatus magno exhibet. 1) Si-
 tus ægri & ipsi, & operatori, & ministris commodus est: 2) Fa-
 cile & celeriter fit operatio: duo enim cultei sufficiunt: 3) di-
 gitis facilius certiusque extrahitur calculus, quam forcipe: 4)
 vulnus minus dolet, quam ubi vesicæ collum secatur. 5) Post se-
 ctionem illico queritur vulneris reunio: 6) Nullus fistulæ me-
 tus, cum pars vulnerata sanis partibus cohærea. Ex secunda ve-
 ro operatione colligit sequentia: 1) nullo modo in tranquillo æ-
 gro peritonæum læsum iri: cum in inquieto puero non fuerit
 læsum: 2) vesica non distenta, non intravit ventrem culter;
 multo ergo minus intrabit, illa inflata: 3) & parvas vesicas hanc
 sectio.

sectionem suscipere posse: 4) facilius hanc sectionem fieri in adultis. Fatetur tamen Autor, *apparatum magnum* nuper in Gallis feliciter adhibitum fuisse: nam ab A. 1720 ad 1727 inter 812, ita sectos, sanati sunt 557. Sed tamen & sua laus manebit sectionem hypogastricam: quippe quæ magis accommodata, ubi vesicæ inhæret corpus quoddam cylindricum: e. g. pars cæteris fracta: digitis enim facile poterit eximi. *Art. IV* determinat conditiones, in ægris, ita secandis, requisitas. Objiciunt 1) capacitatem vesicæ dubiam. Quæ vero & copia urinæ emissæ, & motu cateteris in illa, intelligitur. Omnium optima huic sectioni est capax, facileque extensibilis vesica. 2) Ajunt, per injectionem, sæpe *révoir* demi detrusori urinæ. Id cavetur, si æqualis urinæ emissæ aquæ quantitas injicitur. Difficiliter ergo fiet operatio, vesica callosa: in junioribus facilius, in obesibus difficiliter instituetur. Si feminæ parvus calculus: felicius uteris *magno apparatu*: contra vero, si magnus fuerit calculus. In vesicis ulcerosis, & ubi sabulum in vesica, apparatus magnus rursus præstat. *Artic. V* solvit objectiones, contra sectionem hypogastricam factas. Dixeris 1) laceratum iri ventrem, & exitura intestina: sed hoc dubium jam solutum supra: 2) objicit *Collor*, in hac sectione nil fixi esse, quod sequatur operator: ast viam monstrat primo inflata vesica; post vero index. 3) Difficilem fore excretionem locii, quia cicatrix lineæ albæ adhæret; non ergo superatum iri vesicæ collum. Respondet, hoc incommodum cum tempore cessaturum esse: quod & longe minus incontinentia urinæ perpetuæ, quæ apparatus magnum sequitur. 4) Si plures calculi, vel sabulum in vesica; remansuram novi calculi materiem: sed calculi digitis, sabulum vero vel cochleari incurvo, vel spongia, vel injectionibus eximi possunt. Accedit, quod, qui calculum gerunt, sabulum non habeant. Ne vero injecta in cellulosa vesicæ substantiam se insinuent, suadet, ut vulneris labia, indice sinistro, paululum replicentur. Articulum finit historia russici, ab alio rustico tonsore in Helvetia A. 1727 feliciter secti. Pars ultima exhibet literas *Winslow* ad Autorem, in quibus varia, circa fabricam partium, quas illa operatio concernit, aliaque notantur. Prescripsit *Douglasi* ad *Winslow*, licet sectionem hy-

pogastricam feliciter exercuerit, neminem tamen amplius eam
 sibi adhiberi velle: se ergo offert, in Gallias iter facturum, & in
 Xenodochiis experimentis, tam in vivis, quam in cadaveribus
 capiendis, illam probaturum esse. Auctor ergo fuit *Winslow*
 Chirurgus *Thibaut*, ut illam in cadaveribus tentaret: quin ipsa
 Regia Academia binis hisce omne rei examen commisit. Hinc
 per tres hebdomadas quotidie fere in cadaveribus eam in rem in-
 quisiverunt. En jam observationes subtilissimi *Winslow*: *I circa*
peritonæi atque vesicæ fabricam. Jam ante X annos in lectioni-
 bus suis demonstravit falsitatem duplicaturæ peritonæi: lamina
 ejus interna sola peritonæi nomen meretur: externa verò est
 textura cellulosa, quæ, a peritonæo procedens, illud musculis
 vicinisque ossibus connectit. Dum vero separatur peritonæum,
 elongando hujus cellulosæ pelliculas, membranæ species fingi-
 tur. Abit hæc cellulosa in involuera seminalium vasorum, liga-
 mentorumque rotundorum: adest intra duplicaturas mesenterii,
 mesocoli atque omenti: intra carneas proximorum musculo-
 rum fibras: & inter musculorum membranas: omnem adipo-
 sam format: quin & cum cellulosa membranæ, costas sucein-
 gentis, communicare videtur. Hanc inter & peritonæum sita ve-
 fica, ita quidem, ut cellulosa partim sit inter vesicam & peritonæ-
 um, partim vero inter vesicam & os pubis: valde vero laxa est
 ad hypogastrium: hinc & repleta vesica surgit inter peritonæum
 & musculos hypogastrii. Vesica vacua, in postica ejus per trans-
 versum se complicat peritonæum: quæ complicatio ejus, ad u-
 trumque vesicæ latus, duplicaturam format, proxima arteriarum
 umbilicalium, ligamentique continentem. Vulnerari ergo potest
 vesica, ventre integro. *II Circa injectionem aquæ in vesicam, an-
 te operationem,* notat sequentia: præstare putat, si diebus ali-
 quot ante æger urinæ retinendæ adsuescat; hincque plurimum
 bibat. Ne vero & ille dolor ægrum excruciet, suadet, ut ad peri-
 næum crassa aliquantum compressa retineatur. Sed hæc omnia
 intelligenda sunt de vesicis, ceterum sanis. *III De situ ægri, du-
 rante operatione, & post illam.* Probat situm, quem *Morand* inter
 secandum ægro consuluit. Sed tamen addit, necessum esse, ut mu-
 sculorum rectorum actio impediatur; hinc vetat ægrum, ne ipse
 au:

antrorsum caput flectat : dum enim illa flexio a sterno - mastoideorum actione pendeat, firmum illis punctum contractio rectorum, os pectoris firmantium, efficere debet: sed ut ab ministro id fiat, consulit. Verum post operationem aliquantum æger ipse caput movere potest, ut vulnus eo facilius coeat. Nec incommodum foret, si, ubi vulnus coiturum, æger lateri incumbat, ut lotium eo facilius versus vesicæ collum determinetur. *IV De sectionis hujus prerogativa.* Dixit Winslow in Academia, si laboraret calculo ipse, sectionique hypogastricæ accommodatus si foret, illam prælaturum se vel *Raviana* methodo. At si non adsint in subjecto conditiones requiritæ: mortis causa erit. Vesicæ vulnera hodie sat frequentia narrantur: & possibilem ideo agnovit hanc operationem *Riolanus*, qui & in notis ad *Verlingium* ait, *illam suo tempore administrari satis feliciter.* Licet vero hæc operatio facilis sit: tamen ingentem partium scientiam, longamque in operatore supponit observationem. Nam nec sola cadavera hic docere possunt. *V Circa operationem ipsam.* Præstat, secari ægrum in lecto, quam in tabula: hujus enim metus tranquillum ægrum, sanique præterea, e medio sustulit, ut expertus est *Winslow*. Quantum ad primam incisionem, major ea fieri debet in obesis, & arctior ad pubem, quam ad umbilicum: ne pus forte genitalia lædat. Mavult incidi vesicam desuper. Eadem incisione in macilentis & alba linea & vesica penetrari posset: dummodo illico adsit index incurvatus. Volunt quidam, non lineam albam, sed ipsos musculos incidi: sed inde nihil periculi sequitur, ut monstrat observatio. Sed ea de re pluribus æget, ubi de incisione perinæi, & in apparatu magno necessaria: ubi observationes suas de fabrica perinæi lineæ candidæ, & alius lineæ ab umbilico usque ad pubem protensæ exhibebit. *VI De variis incidendi modis.* Ubivis cavendum, ne textura cellulosæ a labiis vulneris vesicæ removeatur: alias pus & lotium ei irrepere possent. En vero modum, sat alte, illæso tamen ventre, incidendi vesicam! Incisis integumentis & *απορρυγῶσι*, cultri apicem infige vesicæ desuper & per obliquum, ut vitetur locus, ubi peritonæum descedit, tenfam vesicam superfansuram: tum incidendus esset index incurvatus: & perficien-

da sectio cultro, non acuminato, ne lædat, ubi sectio ad pubis *σύμφορον* dilatanda: vel, ubi vesica recte inflari non potuit: vel & adhiberi possent forfices curvi, ut proposuit Macgill. Voluit *le Dran*, vesicam incidendam, sectione transversa; &, quamvis multæ sic forent prærogativæ; nihilo tamen minus videtur membrana illa cellulosa violanda esse: nec patulum satis iter calculo exituro fore. Excogitavit idem Chirurgus cateterem ex plumbo flexili: hic minus urinæ relinqueret in vesica, & ubicunque, absque vesicæ læsione, flecti posset.

RECENSIO OPERUM VARIORUM JO.
TOLANDI *continuata.*

Conf. Act. Erud. A. 1729, M. Jul. pag. 308.

CUM vitam Tolandi partim in adversariorum ejus, ut de veritate constet, partim in asseclarum gratiam, ne omnia ex odio in ipsum profecta criminentur, quæ candidi ac nullis partibus addicti viri de eodem retulere, uberius nuper enarraverimus; ut scriptorum quoque ipsius, duobus his voluminibus comprehensorum, notitiam Lectori impertiamus, par est. Varia illa suat, atque ad diversas admodum eruditionis partes spectantia, ubi modo Criticum, modo historicum, modo politicum agit, semper tamen in eo sibi constat, ut nullam elabi patiatur occasionem, sæpe vero eandem solícite venetur, qua inveteratum in sacri ordinis viros odium prodere queat. Nec dubium fere est, eo consilio ad scribendam uberiorem *Druidum historiam*, cujus specimen primo inter Opuscula hæc loco comparet, animum ipsum applicuisse, quam ut sub Druidum nomine omnes cultus divini ministros, cuicumque demum addicti fuerint religioni, liberius exagitare posset. Dignum sane argumentum est, quod in patriæ historię gratiam solícite excutiatur, ne in alienis nimium versati, hospites domi videamur, cum prolixis atque innumeris de antiquo rerum sacrarum & Philosophię apud Græcos Romanosque statu operibus, perpauca de majoribus nostris scripta, præter ea, quæ nuper Rowlandus in Antiquitatibus Monæ, de quibus in Actis his Supplem. T. IX Sect. X diximus, commentatus est,

est, opponere valeamus. Is autem ad negotium hoc subsidiis instructus accessisse videtur Tolandus, ut pauci in eo pares ipsi videantur, partim ob insignem linguarum vel plane obsoletarum, vel perpauca notarum, Celticæ, Hibernæ, Scoticæ, Danicæ &c. peritiam, partim quod ipse ultimas Hiberniæ ac Scotiæ oras, ubi introducto serius Christianismo plurima antiquæ religionis monumenta restant, sedulo lustraverit, cum alii nihil haberint, quod de Celtarum ac Gallorum veterum institutis ac moribus traderent, quam quæ a Græcis & Romanis scriptoribus aut conficta perverſe, aut nimis fabulose narrata acceperant. Indigesta quidem adhuc jacet materia, quam Tolandus hoc loco exponit, sed uberrima profecto atque digna, quæ in plurium notitiam veniat; nec difficile foret ex indicatis a Tolando, unde plura hauriri possunt, fontibus plenam religionis antiquissimæ Celtarum historiam consue. Ipse Tolandus perfecti aliquid inventis ac positus a se hisce fundamentis inædificaturum, atque de antiqua Celtarum lingua ejusque varia dialecto, cujus sex species recenset, de Druidum porro Philosophia, de Deo, anima humana, natura in genere, deque natura corporum cœlestium in specie, de motibus eorundem, magnitudine, distantia atque duratione ita acturum se singulari Dissertatione pollicetur, ut plura his addendi locum relicurus sit nemini. Hoc interea specimine, quod tribus ad Dn. Molesworth literis constat, de Druidibus agit, eorum sacerdotio, atque in rebus vel publicis vel sacris summa ac incredibili autoritate. Druidum enim sacerdotium longe augustius fuisse judicat, quam a Zoroastre aliisque in Oriente institutum Deorum cultum, cum callidius multo compositum ab illis Systema fuerit, eo maxime tendens, ut plebi profundis ignorantie tenebris immersæ continua sacerdotum veneratio insillaretur. Ipsum Druidum nomen non, quod alii autores passim fecerunt, ex Græcorum lingua, a quercubus, sub quibus habitabant & sacra faciebant, ortum fuisse, sed ex antiquissima Hibernorum lingua, quibus vox *Drui* corrupte *Droi* & magis corrupte *Dravi* personam Deo sacram denotabat, ad Græcos & Latinos vocabulum transiisse existimat. Cum omnia ad fraudem & fucum plebi faciendum callide componerent, nequaquam concede-

bant, ut ulla Theologiæ aut Philosophiæ suæ pars literis committeretur, licet cæteròquin literarum essent studiosissimi. Præcepta potius sua discipulis ediscenda atque memoriæ mandanda dabant, probe gnâri, si liber pro norma religionis extaret, ab eo arceri ita plebem non posse, ut non aliquando forte in illius lectione occupata, doctrinarum veritatem, curiosius investigare auderet. Summam igitur apud Germanos illi sacerdotes tenebant potestatem & non solum omnis æquitatis reliquæ penes illos arbitrium erat, sed ceremonias quoque ac ritus sacros, prout ipsorum commodum exigebat, instituebant ac definebant. Quos partibus suis non favere suspicabantur, eos sacris arcebant ac diris devovebant, hoc quidem successu, ut tam privati homines quique ab omni honestorum civium commercio excluderentur, quam ipsi quoque Reges ac Principes majestate sua deicerentur. Ipsorum erat, populum in bellum concitare, atque pacem, etiam si publicæ rei ignominiæ sam, sancire; a militia tamen exempti erant ipsi, atque ab hostibus quoque sacrosancti habebantur. Mirum itaque non est, excelsa quævis ingenia in ordinem ipsorum delecta fuisse; licet neminem, nisi post probatam per integros sæpe viginti annos fidem, admitterent. Erat autem ordinis hujus tanta apud omnes existimatio, ut non inusitatum fuerit, Regum & Principum cujusvis gentis liberos curæ & institutioni ipsorum commissos, quos callide ita assuefaciebant artibus suis, ut per omnem vitam sacerdotum commodis additissimos se præberent. Hæc dum fusius exponit Tolandus, rogat Lectorem, ne, si forte similitudinem aliquam inter mores sacerdotum paganorum, atque virorum nonnullorum inter Christianos sacro ordini adscriptorum deprehendat, suspicetur, aut aliis persuadere sataget, studio hæc a se compilata esse, ut ordini sacro insultaret, cum insolitum non sit, Christianos passim gentiliū vitis inquinari. Magicarum quoque artium præsidēs ac arbitri Druidæ habebantur, & hodiernum Hibernorum sermone vox Druida, quæ Magum designat, recepta est, sicut & ipsa magia *Druidismus* vocatur. Symbolum artis magicæ, quam profitebantur, erat lituus, quem manibus gestabant, atque ovum auro inductum, ex collo ipsorum pendens. Vestitu quoque ab hontibus

nibus aliis distinguebantur ; Solebant enim sex colores tunicæ suæ intertexere, cum Regi ac Reginae septem saltem, Principibus quinque, urbium & munimentorum custodibus quatuor, belliducibus tribus, militibus duobus coloribus vestimenta distinguere, plebi vero reliquæ non nisi unicolori habitu incedere fas esset. Præterea non illis, sicut reliquis ex plebe, licebat capillos alere, cumque plebeji homines barbam in superioribus dentaxat labiis gererent, Druidæ promissam in mento præ se ferebant. Præter Druidas alius inter antiquos Gallos, Britones & Hibernos eruditorum ordo erat, qui Bardi vocabantur, atque in tres dividebantur classès, in quibus alii temporum rationem observantes, Chronologi dicebantur, alii heroum facta elegiaco carmine cantabant, alij denique Comicos aut poetas Satyricos agebant. Non deerant in his, qui Principibus ac Regibus adlarentur, nec ingenio destituerentur, ita, ut carmina ipsorum ex Autoris nostri sententia vere sublimia sint. Epigrammata imprimis laudat, atque Italorum modernorum argutias vix ad fastigium illud accedere, elegias autem Græcorum atque Latinorum antiquorum longe ab his superari iudicat, siquidem ratio ipsorum concitandi affectus ad naturam rei magis composita fuerit. Superest id hominum genus hodiernum in extremis Scotiæ ac Hiberniæ oris ; prisca autem tempora ingentem adeo eorum numerum tulerunt, ut fictionibus eorum & carminum tropis veritas historiæ antiquæ haud parum obscuretur. Sæpius mille doctores ac professores publici pœseos numerabantur, præter inferioris subsellii poetas, qui liberaliter a populo passim nutrabantur, ne a Satyris eorum metuendum ipsis esset periculum. Tandem vero Reipublicæ adeo cœperunt esse oneri, ut, postquam Christianis sacris gens initiata fuerat, publicis legibus proscriberentur. Cum vero Aidus Amunireas, undecimus Rex, Christianismum professus, metueret, ne, proscriptis historiæ cultoribus, patriæ historiæ studium prorsus olim intereideret, lege expressa imperabat, ut ad conservandam rerum gestarum memoriam, Genealogiam, & linguæ puritatem, quisque principum poetam suum aleret, assignata ipsi certa agri portione, quæ a publicis oneribus immunita foret. Errorem igitur Pezroni hoc loco castigat Tolandus,

dus, qui alios temere secutus, Bardos in Druidum numerum re-
 tulit. Licet enim carmina nisibus sacris componerent, atque Mu-
 sicæ in sacris ædibus præessent, soli tamen Druidæ sacerdotum
 officio defungebantur, nec aliorum ministerio sacrificia Diis of-
 ferri fas erat. Tertium ordinem eruditorum inter Celtas consti-
 tuebant ii, quos Græci *Ouatris*, Romani vero Vates appellabant,
 licet ipsa vox nec Græca, nec Romana, sed mere Celtica Autori
 esse videatur. *Faidh* enim in libris Hibernorum adhuc prophe-
 tam denotat, nec alia desunt Autori argumenta, ex genio linguæ
 illius petita, quæ satis arguunt, quam peritus in arte Critica hujus
 generis sit, quæ studiose omittimus, cum paucis gratem fore
 conjiciamus vocum barbararum strepitum, a quibus causæ hu-
 jus cognitio pendet. Illi Celtarum *Feids* Physicam imprimis ex-
 colebant, atque naturales res scrutabantur, in quo scientiæ genere
 longe admodum progressi erant. Auguriis quoque aut conjectu-
 ris, quæ futura essent, prædicabant, prout Cicero de Divinat. Lib.
 I Cap. XLI, quendam Divitiacum ex augurum inter barbaros nu-
 mero, qui ipsi innotuerat, summis effert laudibus. Breviter de-
 inde de doctis inter gentes illas fœminis, sive Druidicis, quæ in
 Druidum scholis educatæ ac eruditæ fuerant, disserit, atque ut
 probet antiquam Gallorum linguam non nisi filiam prisce ser-
 monis Hibernorum fuisse, speciminis loco prolixam disquisitio-
 nem de Hercule illo Ogmio exhibet, quem a se in Gallia visum
 Lucianus conimemorat. Narrat ibi, Herculis hanc statuam re-
 tulisse imaginem viri exiguo corpore, atque senio confecti, quem
 multitudo hominum sequebatur, qui licet sponte succedere vi-
 derentur, subtilibus tamen atque oculorum aciem fere fugien-
 tibus catenis trahebantur, quæ ex auribus ipsorum exeuntes in
 mucrone linguæ Herculis alligatæ erant. Lucianum insuetam
 effigiem miratum adflans nonnemo ex Druidibus docebat, Her-
 culem apud Gallos non ut apud Græcos virtutis ac roboris, sed
 summi eloquentiæ symbolum esse. Anxie Criticæ scrutati sunt,
 unde Hercules ille Ogmus dicatur, & cui potissimum genti vox
 illa originem debeat, pluribus, quos Autor adducit, eandem apud
 Phœnices aut Orientis populos frustra quærentibus, cum diserte
 Lucianus affirmet, vocem Ogmus Celticam esse. Denotat vero
 vox

vox illa ex Tolandi sententia secreta literarum, in specie ipsas literas, & quæ inde pendet, eruditionem, unde orationis vis ac robur nascitur, ita ut Hercules Ogmius idem sit ac Hercules eruditus, aut Hercules doctrinæ protector. *Ogum* enim, *Ogam*, aut *Ogma*, prout diversimode vox illa scripta reperitur, constanter significat Alphabethum Hibernorum antiquissimum. Cum itaque Patricius Christianorum sacra atque simul Romanarum literarum usum in Hiberniam intulisset, sensim prisca Hibernorum characteres obsolescebant, ut pauci eorum essent gnari, unde procedente tempore ars sleganographica *Ogum* a gente illa appellari cœpta fuit, quod prolixius atque plurimis pro fulcienda sententia sua argumentis Criticis conquisitis Autor demonstrat. Propterea tamen videri non vult negare, Herculem hunc Celta- rum eundem esse cum eo, quem Græci olim, Romani ac omnes fere gentes religioso venerabantur cultu, cum Græci quoque Scriptores, inprimis Phurnutus, Herculem pro virtute universi ac natura, omnia creata vegetante ac animante interpretentur. Sæpius ita ad usum prisca Hibernorum linguæ provocans facile prævidit, quæsiturum ex se esse lectorem, an supersint nonnulla literarum monumenta lingua illa vetustissima expressa. Pollicetur itaque se indicem ejusmodi scriptorum, passim in magnorum virorum bibliothecis superstitem daturum esse, omnibus numeris adeo absolutum, ut nullum ejusmodi scriptum, quod ætatem talit, intactum sit relicturus. Licet enim primus inter Hibernos evangelii nuntius, laudatus modo Patricius, ter centum volumina, quibus ritus ac religio Druidum, sive, ex mente ipsius, fabulæ ipsorum ac pagana idololatria descripta erant, comburi jussisset, quod indigna illa censeret, quæ posteris committerentur, plures tamen ferales effugisse flammæ, Autor lætatur. Equidem, ut modo annotavimus, Druidum moribus nefas erat, sacra aut leges publicas scriptis committere, & satius ducebant, doctrinas suas ac ceremonias discipulorum memoriæ commendare. Verum plurimi erant Reges, quorum nomina commemorat Autor, qui solícite curabant, ut rerum a se & majoribus gestarum memoria sancte ad posteros propagaretur. Et cum Druidæ publicorum negotiorum magna pars essent, fieri non poterat,

quin rerum ab ipsis gestarum ipsorumque rituum ac doctrinarum historia publicæ rei involuta, ad seram posteritatem perveniret. Ansam hic nactus non modo doctorum in Hibernia Principum atque literarum fautorum, sed ipsorum quoque Druidum, quorum bellica virtus maxime enituit, nomina Autor laudat, fusius autem hæc omnia se profecuturum spondet, ubi otium primas hæc historiæ Druidum lineas magis expoliendi atque elaborandi invenerit. Et ne male instructus ad opus hoc accedere videatur, alia, quæ jam parata habuit, subsidia partim ex Græcorum Latinorumque scriptis, partim ex gemmis, sculpturis, lapidibus, amuletis & inscriptionibus antiquissimis veterum Celarum exponit. Spectant eo, qui passim in Hibernia, Scotia atque extremis Angliæ oris inveniuntur, magnæ molis cumuli, quos regionum harum descriptores, in antiquitatibus Hibernorum parum versati, pro lusu naturæ interpretati sunt, cum, demonstrante Tolando, eodem proposito, quo Ægyptiorum Pyramides olim, ut monumenta potentæ principum essent, exstructi sint. Eos tempore procedente Druidæ ita suos in usus convertebant, ut festis diebus ignes super illis accenderent, quibus tota collustrabatur regio, apto ad conciliandam religioni venerationem ritu, cum per omnem ita regionem illam repentinum simulque augustissimum ederetur spectaculum. Ignes illi in honorem Dei *Baal* sive *Bealan*, quem Romani pro linguæ suæ genio *Belenum* appellabant, accendebantur. Hiberni vero sub illius imagine solem colebant, unde hodiernum Kalendæ Maji Hibernis *la bealteine* sive dies ignis *Beleni* vocantur. Eundem cum hoc *Beleno* alium Hibernorum Deum *Apollinem Grannum* fuisse, quæ vox in antiqua Inscriptione in Hibernia inventa Criticos atque antiquorum monumentorum scrutatores mirum in modum torsit, (conf. Act. nostra Supplem. Tomo IX p. 340. 353 sq.) uberius exponit, atque alios ex Græcorum vel Latinorum lingua originem vocis hujus repetentes refellit, nec non varios priscorum Hibernorum ritus ad cultum hunc solis spectantes simul explicat. Recenset inde varia templa eorumque structuram, quæ passim in Hiberniæ aliisque regionibus, quas veteres incolere Celtæ, adhuc supersunt, aras & variam illarum figuram, lapides quoque ingentis molis,

molis, qui vel sacrificiis aliisque sacris ceremoniis vel civili usui, maxime Regum & Principum inaugurationi, sacri erant, nec non diversa ædificiorum genera, quæ Druidæ vel singuli, juxta suas quercus, vel plures una incolebant, atque passim quædam paganæ superstitionis rudera, quæ ad Christianos quoque tam Romanæ ecclesiæ addictos quam Protestantes, ignaros quidem eorum, quæ agunt, transiere, observat. Eos sæpe confutat, qui in his antiquissimis paganæ religionis monumentis, antiquitates Romanas quæsierunt, atque templa & ædes Druidum, modo pro templis Deo Romanorum Termino dicatis, modo pro arcubus triumphalibus venditarunt. Abaridem denique, cujus natales per plures gentes sibi arrogarunt, Britannis tanquam domesticum Philosophum e Druidum familia vindicat, quo asserto variis difficultatibus geographicis multo labore levandis implicatur. Addit denique *Jonesii* cujusdam *Responsiones*, ad nonnullas Magistri *Tate* quæstiones, de Druidibus aliisque Britannicæ antiquitatibus, utque lectori de diligenti labore in universa hac historia contextenda a se infumto persuadeat, *Catalogum vocum Armoricarum* subjicit, quas hibernas esse deprehendit, descriptum e libello, quem mutuo aliquando ipsi dederat Joh. Willius S. S. T. P. in Acad. Oxon. quo ipso magnam gratiam a scrutatoribus originis populorum, atque antiquitatum Celticarum ipsum initarum esse, nulli dubitamus. Excipit historicam hanc Commentationem *Dissertatio Philologico-Critica, Cicero illustratus* inscripta, qua consilium de edendis ac illustrandis Ciceronis Operibus alia plane methodo, ut ipse loquitur, quam huc usque factum, exponit. Multa in rubro, longe plura vero in nigro polliceantur, quæ tamen maximam partem eo redeunt, ut fidem faciat lectoribus, se Ciceronem non Criticis modo & Grammaticis, sed ex Philosophia quoque & Historia peritit notis exornaturum esse. An propterea multam vel Criticorum vel Grammaticorum gratiam fuerit relaturus, nostrum non est judicare. Certe genus dicendi, quo in *Dissertatione* hac utitur, non ita contum ac limatum est, ut ab ejus Latinæ linguæ peritia summo artis latine dicendi magistro multum lucis promittendum fuerit a Criticis. Nec probabitur hisce invidiosa illa obrectatio, qua alios humaniorum literarum cultores,

res, aut Ciceronis Operum editores, quorum nullus fere præter Spannheimium, Grævium atque Fabricium Nostrium ipsi placet, passim sugillat. Dum vero Philosophiæ ac Historiæ rationem in Notis se habiturum pollicetur, hoc ita interpretatur, se *Ciceronis Opera itis, in quorum gratiam conscripta sunt, principibus nempe viris & nobilibus, Philosophis etiam, Politicis & iudicibus, & omnibus quibuscunque magistratibus commodiora & utiliora redditurum.* Dissertatione sequenti, qua de *Typographiæ inventione* agit, in eo versatur, ut probet, Guttenbergium, Faustum, aut quemcunque alium, qui pro artis typographicæ autore habetur, consilium de libris typis imprimendis ex Ciceronis loco notissimo de Nat. Deor. Cap. XX hausisse, ubi contra Epicureos atque assertam ab ipsis fortuitam mundi coalitionem eo argumento disputat, quod nemo cæcus ita sit, ut credat, ex variis in terram forte excussis literarum characteribus, Ennit Annales prodituros esse. Sequenti tractatu exhibentur *Scioppii ad Rittersbüsum de vita, scriptis & fato Jordan. Bruni* literæ, cum addita Tolandi epicrisi, qua meras in Brunum calumnias Scioppium effutivisse iudicat, atque Præfamen ipsius Bruni libro *de mundis innumeris* præmissum ac Castellæo Regis Galliæ ad Reginam Angliæ Elisabetham legato inscriptum, in Anglicanam linguam a se versum exhibet. Excipit hæc *Catalogus librorum, qui Christo & Apostolis olim ex pia, ut ajunt, fraude suppositi fuerunt*, cujus supra jam vitam Tolandi recensentes mentionem fecimus uberrimam. Insequens dissertatio inscripta: *The secret History of the South-Sea-Scheme*, qua *arcana historia rerum Magnæ Britannia in mari australi* traditur, ab ipso Tolando quidem conscripta non est, sed inter schedas post mortem manu ipsius diligenter notata ac correctæ apparuit. Nec, quæ sequitur *Consultatio de stabiliendo communi ærario universæ Britannorum gentis (the Scheme of a National-Bank)* a Tolando perfecta est, licet additis ad aliquem ex Mæcenatibus suis literis vehementer eandem commendet. Altero Opusculorum horum Tomo, exhibetur primo loco *Tractatus de liberorum educatione apud Romanos*, quo Autor ostendit, quantum illi fuerint nostris studiosiores assuefaciendæ bonis artibus ac virtuti teneræ juven.

juventutis. Ut nostri temporis homines magis in pudorem agat, nonnullas adducit literas nobiliorum priscae ætatis sceminarum e græca in vernaculam a se versas, quibus nutritio & educatio liberorum, officia item conjugum, luculenter exponuntur. Dissertatione sequenti probare instituit, meram *fabulam* esse, quæ de tragica morte *Marci Atilii Reguli* Consulis Romani passim narrantur, eo maxime fultus argumento, quod Polybius historiam viri recensens, atque minutissima quæque momenta sollicite observans, nullam tamen facti hujus mentionem injiciat. Sequuntur *literæ* quædam e *Plinio selectæ*, in Anglicanam linguam a Tolando conversæ, cum *descriptione* loci illius in Anglia, qui *Epsom* vocatur, ex medica virtute salis, quod ibi præparatur, per omnem Europam notissimi. In sequenti tractatu de *primitiva ecclesia Christiana constitutione* agit, atque in eo arbitrium controversiarum ecclesiasticarum, quibus orbis jam dividitur, sibi arrogat. Urget imprimis, quantum a Christi & Apostolorum prima institutione Christianismi passim nunc recessum sit, atque Clero gravissima subinde accusatione insultat, hacque egregie utitur occasione, omne virus suum in sacri ordinis viros evomendi. Singulis Capitibus de Christiana religione in genere, de ecclesia ejusque diversitate, de Synodis & Conciliis, de signis ecclesie veræ externis, de ordinatione atque variis ministrorum sacrorum ordinibus, de divini verbi oratoribus &c. agit, atque nec pontificiis nec Anglicanæ ecclesie addictis parcat. Quorum interest penitus Tolandum cognoscere, si multa ex Opusculo hoc de animi ejus cogitatis, quæ alibi aut obscure elocutus est, aut dissimulavit, discere poterunt. Inde propositum singulari Dissertatione explicat, quod olim instituerat, evulgandi singulis hebdomadis, secundam formam Diarii eruditi, schedulam, eaque certum aliquod ethicæ vel politicæ caput enarrandi. Consultationi huic Opuscula quædam statum publicarum in Anglia rerum spectantia subjunguntur, vel ab ipso exarata, vel inter schedas post mortem inventa, manu Tolandi passim notata, quorum varium scopum explicare, nimis hoc loco prolixum foret. In Dissertatione, quam inscripsit *Medicina absque medicis*, omnem bilem suam in medicos exonerat. Cura

enim æger corpore esset, medicus a Tolando vocatus, ut leniter aperientia ipsi propinaret, talia dedit, quæ Tolando tribus continuis diebus vomitum atque alvi fluorem excitarent. De eo cum coram medico valde quereretur, ille composito ad gravitatem vultu respondebat: *Eventum hunc notatu dignissimum esse.* Perspiciens itaque, quod homo ille cum corporis sui dispendio experimenta capere instituat, medicis omnibus vehementer indignatus, maxime ad ductam verborum Plinii in Histlor. Natural. primo incerta ipsius artis medicæ fundamenta exponit, inde ignorantiam, audaciam ac oseitantiam medicorum, qui de excelsa arte parum solliciti sunt, modo ditescant, exagitat. Nec Pharmacopolis parcit, qui plurima medicamenta incongrue confercientes, virtutem specificorum, ut vocantur, quæ agro prodesse potuissent, suffocant. Hippocratem tamen atque remedia, quæ in medicorum scholis Galenica vocantur, magni facit, increpans nostri temporis medicos, quod simplicium virtutem non studiose satis percontentur. Unde corporis sui causa, se post recuperatam salutem Hippocratis Opera diligenter perlecurum, secum constituit. Votum tamen hoc inane fuit, cum ex morbo, quo decumbebat, cum hæc scriberet, ipsum non convaluisse constet. *Literæ*, quæ sequuntur, vel a Tolando partim ad cives suos, partim ad externos, Leibnitium, van Daleo, Gravium aliosque scriptæ vel mutæ ad datas a Tolando, multa continent historiam literarum ejus temporis atque Reipublicæ illustrantia, imprimis ad penitus introspicendum Tolandi ingenium faciunt. Sed ob argumentorum varietatem nihil fere hoc loco adducere inde licet, præter confessionem fidei, quam Tolandus alicubi edidit, cum colligi inde queat, quam simulate Tolandus eique similes agant, & quam parum assertis ipsorum, de fervido veritatis amore, cui ut refrigentur, nec præmiis nec minis induci queant, fidendum sit. Rem, ut gesta est, narrabimus. Amicus quidam literis absque nomine subscripto ad Tolandum exaratis, & in publica caupona potus Cossée, quo divertere Tolandus frequentius solebat, relictis ipsum monebat, ut, cum ab omnibus pro viro sagaci atque erudito, sed parco Deorumæ infrequenti cultore habeatur, de animæ suæ salute serio cogi-

cogitet. Quam in hoc universo omnia caduca sint, graviter urget, atque inde prudentis esse arguit, ne presenti voluptate famæ eruditionis singularis, ac majoris præ aliis perspicaciæ temere se inescari patiat, sed futura imprimis prospiciat. Reciprocis literis eodem in loco depositis, amico huic respondet Tolandus, se dolere vehementer, quod religionis ac pietatis in Deum causa multis suspectus sit, & ut criminationes eorum, qui Christianæ fidei ipsum addictum negarent, exploderet, hanc fidei suæ confessionem edit: *Penitus persuasus certissime credo existentiam Entis infinite boni, sapientis ac potentissimi, quod nostra lingua Deum vocamus, substantialiter ab hoc universo, quod creavit; diversum, atque continua sua providentia illud conservans, & gubernans, a quo, per quem, & in quo sunt omnia.* 2) *Quod Christum in specie attinet, credo ipsum esse Deum manifestatum in carne, sive verum Deum & hominem, perfecte unitum, absque voluntatis diversitate, aut essentie confusione. De humana ipsius natura credo secundum Prophetas, quod natus sit ex immaculata virgine, conceptus virtute Spiritus S. adeoque immunis ab omni labe hominum lapsorum; quod resurrexerit ex morte tertio die, postquam a Judæis in crucem actus fuerat, & post quadraginta dies in cælum ascenderit, unde reditum ipsum in die extremo, ad judicandum me cum orbe universo, expecto; quod, quamdiu in terris versatus est, perfectum virtutis exemplum vita sua expresserit, suaque doctrina non fallacem regulam, quid agendum nobis, ferendum, aut sperandum sit, dederit, quodque sacrificio mortis sue in gratiam atque misericordiam patris sui omnes reduxerit, qui parentis voluntatem sequuntur, imprimis eos, qui verbo ipsius credunt, opera ejus imitantur, atque intercessionem ipsius amplectuntur; quod tam sancti adulti ante ejus passionem mortui, quam infantes ante rationis usum mortem subeuntes, ipsius merito a morte liberentur, ita ut nemo absque mediatore salvari queat. Denique quod ipse sit solus legislator, atque autor doctrinae ecclesie sue præscripta.* 3) *Credo nos sanctificari divino spiritu, qui operatur in, & cum nobis, nosque dirigit ac perficit. Confiteor puritatem, excellentiam*

stiam atque obligationem preceptorum evangelii, quæ tribus his comprehenduntur capitibus, ut sobrie, jure, ac pie vivamus, Deum super omnia amemus & proximum sicut nos ipsos. Hæc summa est certitudinis meæ de vita æterna, spe cujus jam meam hanc non consuetam fidei professionem scripsi. Inde porro literis his deducit, quod omnes, qui de allatis modo capitibus secum consentiant, atque S. Scripturam pro Dei verbo accipiant, pro fratribus suis in Christo habeat, quodcumque vel de se cogitare, aut quo ipsos nomine appellari placeat. In appendice Operis hujus denique adjicitur *M. Benj. Baylyi Res. ad S. Jacob. Bristol. de immortalitate animæ* ejusque a corpore distinctione tractatus, pro quibus stabiliendis argumenta quædam ex Platon, Alcibiad. I repetuntur, eoque modo, ut fortius stringant, quam quo a Platone proposita fuerant, disponuntur. Quæ sequuntur *Observationes Criticæ in Nazarenum Tolandi*, de opinione Cerinthianorum, Carpocratianorum, Ebionitarum, atque Nazarenorum, incertum est, an ab ipso profectæ, inter schedas tamen post mortem repertæ sunt, & non vulgarem eruditionem spirant. Ultimo denique loco exhibentur *Celeberr. Leibnitii Annotatiuncula subitaneæ ad librum de Christianismo mysticis carente*, ubi doctrina ac perspicacia sagacissimum Autorem facile prodit. Non ille invidus Tolando negabat, quicquid in ipso virtutis erat, simul vero, quæ parum reverenter in S. fidem, aut non satis caute effutiverat, candidus reprehendit, hoc quoque laboris sui exemplo vel inimicos convincens, quam bene summa eruditio ac vera in Deum pietas cum probitate conjuncta, in eodem viro consistere queant, cum prævidere nulla ratione potuerit, hæc cogitata sua publicæ luci aliquando expositum iri.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBRIS
in Rep. literaria Virorum inservientes. Accedunt
Catalogi librorum a quoque scriptorum, de
iisque judicium.

Tomus II & III.

Tomus II & III.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, & Amstelodami, apud Herin.
Utwerfium, 1728, 8.

Alph. 1 plag. dimid. 12.

Tomo hoc secundo (primum A. 1727 p. 488 recensuimus,) duæ & quadraginta Vitæ clariorum ingenio virorum continentur, partim excerptæ ex Diariis literariis, partim ex Operibus eorum auctorum, quorum Vita iis præfixa cernitur. Habes igitur hic vitam Joannis la Placette, mortui 1718, Mich. Antonii Baudrand, m. 1700, Dan. Georg. Morhofii, m. 1691, Lud. Ellies du Pin, m. 1719, Jo. Laurentii le Cerf, m. 1707, Jacobi Bernullii, m. 1705, Godefr. Guil. Leibnitii, m. 1716, Christiani Gryphii, m. 1706, Dan. Papebrochii, m. 1714, Joan. Christoph. Wagenseilii, m. 1706, Nic. Malebranchii, m. 1715, Cæsaris Vichardi de S. Real, vulgo dicti Abbatis de S. Real, m. 1724, Jo. Rudolphi Wetstenii, m. 1684, Joan. Miltoni, m. 1674, Sylvii Bocconi, m. 1704, Gatiien Sandraffii, Domini de Courtilz, m. 1712. Cum hic vir, qui aliquo tempore Centurio fuit in exercitu Regis Galliæ, omnes suos libros vel ἀνωνύμως ediderit vel ψευδωνύμως, gratum facturi videmur Lectoribus, si & libros ejus nominaverimus, & fata viti paucis exposuerimus. Facta scilicet pace A. 1678 libros composuit, eorumque edendorum gratia A. 1683 se contulit ad Batavos, ibique nomen accepit *Monfortii*. Hic lucrum præponens amori patriæ, librum edidit ita inscriptum: *La conduite de la France depuis la paix de Nimegue*. Ejusdem hujus libri resutationem edidit anno proximo, ipse fruiturus mercede, quam alii resutatori soluturus erat bibliopola. Cum vero in hoc scripto acerbiora in Batavos edidisset verba, exire ex Hollandia coactus est & patriam repetere. Hic rursus consumpsit otium suum scribendis libris, atque hanc ob causam A. 1694 ad Batavos rediit, ut ibi eos emitteret. Redux hinc in Galliam A. 1702, ob editum sub hoc titulo libellum: *Annales de Paris & de la Cour*, in carcerem, quem Bastilliam vocant, conjectus est, ibique toto novennio asservatus. Dimissus inde, non ita multo post exstinctus est, A. 1712 d. 6 Maji, annos natus sexaginta octo. Autor

noſter poſt Balium judicat, Sandraſii libellos non veram & ſinceram exhibere hiftoriam, ſed ita permixtam narrationibus falſis, ut fabulæ Romanenſes vocari mereantur. Præter jam commemoratos libros ſcripſit *Mémoires contenant divers évènements remarquables arrivés ſous le regne de Louis le Grand; La conduite de Mars, neceſſaire a tous ceux, qui ſont profeſſion des armes; Hiſtoire des promeſſes illuſoires depuis la paix des Pyrenées; La conquête amoureuſe du Grand Alcandre; Les intrigues amoureuſes de la France; Nouveaux intérêts des Princes; La vie du Vicomte de Turenne; Les conquêtes de Marquis de Grana; La galanterie ſans façon ſous le regne du grand Alcandre; Vie de l'Amiral de Coligny; Mercure hiſtorique & politique; Mémoires de M. le C. de R. contenant ce qui s'eſt paſſé ſous le miniſtere du Cardinal de Richelieu, & du Cardinal Mazarin; Hiſtoire de la Guerre de Hollande depuis l'an 1672, juſqu'en 1677; Teſtament politique de Jean-Baptiſte Colbert; Le grand Alcandre frustré; L'Elite des nouvelles des Cours de l'Europe; Mémoires de Jean-Baptiſte de la Fontaine; Mémoires de M. d'Artagnan; Mémoires du Marquis de Montbrun; Mémoires de la Marquiſe de Frefne; Entretiens de Colbert & de Bauyn ſur la ſucceſſion d'Eſpagne; Mémoires du Comte de Vordac; Mémoires de M. de B. Secrétaire de M. le C. de R; Hiſtoire du Marechal de la Feuillade; Vie du Chevalier du Roban.* Sequitur nunc vita Jac. Gronovii m. 1716, Benediſti Averani m. 1707, Henrici Barnagii m. 1710, Caroli Patini, m. 1693, Ezech. Spanhemii, m. 1710, Jo. Georgii Gravii, m. 1703, Jac. Benigni Boſſueti, m. 1704, Joan. Antonii Campani, m. 1477, Dominiſi Bouhoursii, m. 1702, Caroli Fevreti, m. 1661, Caroli Spontii, m. 1684, Julii Maſcaronii, m. 1703, Scipionis Dupleix, m. 1661, Petri le Nain, m. 1713, Theodorici Ruinarti, m. 1707, Joan. Paſſeratii, m. 1602, Joan. Dezii, m. 1712, Phil. Jac. Sachſii, m. 1672, Hyacinthi Serroni, m. 1687, Andr. Felibienii, m. 1695, Jac. Guſſetii, m. 1704, Hier. Vignierii, m. 1661, Gregorii Letii, m. 1701, Pauli Pellifſonii, m. 1693, Lucæ Rotganſii, m. 1710, Thomæ Fieni, m. 1631.

Tomus III accipis, Lector, vitam Gabrielis Bayletti, concionatoris

natoris ridicule diferti, ejusdemque valde popularis, seculo XV extincti, nec in Bælii *Dictionario* prætermitti; Nicolai *Coeffeteau*, mortui 1623 d. 21 Aprilis; Isaaci *Papini*, ex Reformatæ Ecclesiæ doctore facti Catholici, m. 1709 d. 19 Junii; Simonis *Pauli*, m. 1630; Adriani *Bailleti*, m. 1706 d. 12 Januarii; Joannis *Bone*, Cardinalis, m. 1674 d. 2 Octobris; Redemii *Baranzani*, philosophi eclecticici, m. 1622 d. 23 Decembris; Jobi *Ludolfi*, m. 1704 d. 8 Aprilis; Joannis *Dallæi*, m. 1670 d. 15 Aprilis; Vitalis *Giordani*, m. 1711 d. 3 Novembris; Jo. Baptistæ *Morini*, m. 1656 d. 6 Nov; Tanaquilli *Fabri*, m. 1672 d. 12 Sept; Annæ *Fabri*, Tanaquilli filix, a marito dictæ *Daceria*, m. 1720 d. 17 Aug; Andræ *Dacierii*, m. 1722 d. 18 Sept; Ludovici *Thomassini*, m. 1695 d. 24 Dec; Wilh. Ernesti *Tenzelii*, m. 1707 d. 24 Nov; Godofredi *Hermantii*, m. 1690 d. 11 Julii; Adriani *Valesii*, m. 1692 d. 2 Julii; Josephi Saenz *d'Aguirre*, Cardinalis, m. 1699 d. 19 Aug; Vincentii *Aurie*, m. 1710 d. 6 Dec; Laurentii *Magalotti*, m. 1711 d. 2 Martii; Petri *Halleji*, m. 1689 d. 27 Dec; Henrici *Norissi*, Cardinalis, m. 1704 d. 23 Febr; Philiberti *Colleti*, m. 1718 d. 31 Martii; Josephi Mariæ *Tommasii*, Cardinalis, m. 1713 d. 1 Januarii; Joan. Foy *Vaillantii*, m. 1706 d. 23 Oct; Huberti *Langueti*, m. 1581 d. 30 Sept; Simonis *Episcopii*, m. 1643 d. 4 Aprilis; Joan. Antonidis *Lindenii* sive *van der Linden*, m. 1664 d. 5 Martii; Guilielmi *Chillingworthii*, m. 1644, mense Januario; Natalis *Alexandri*, m. 1724 d. 21 Aug; Francisci *Lamy*, m. 1711 d. 11 Aprilis; Bartholomæi *a Chassanco*, m. 1542; & denique Francisci *Redi*, m. 1697 d. 1 Martii. Illud etiam ex Tomo hoc discimus p. 411, Autorem hujus Operis esse Reverendum Patrem *Niceronum*.

RECUEIL HISTORIQUE PAR MR. ROUSSET.

i. e.

FARRAGO HISTORICA ACTORUM, NEGOTIATIONUM, LITERARUM MEMORIALIUM, & TRACTATUUM, inde a pace Ultrajectina ad secundum usque Congressum Cameracensem.

Aaa 2

Tomus I,

Tomus I, II & III.

Hag. Com, apud Henr. Scheuler, 1728, 8.

Alph. 4 pl. 6.

Laudandus est mos seculi nostri, quod in colligendis documentis publicis, iisque ad posteritatem transmittendis multo sollicitius est, quam quidem illa fuerunt tempora, quæ ævum quondam præcessere nostrum. Non quidem est dubium, quin multa hoc tempore in fascies coniecta sint, quæ ætatem haud ferent, nec ex usu posterorum nostrorum futura sunt. Erunt tamen ex horum numero eximendi, qui publicas pacificationum, fœderum, scriptorumque aliorum huc pertinentium tabulas uno alterove fasciculo junctas ediderunt; horum namque usum ut præsentis ævi ita etiam post nostram memoriam omnis temporis historia desiderabit.

Quod autem in hoc genere ex nostris Germaniæ civibus ante hos binos annos vernacula nostra præstitit Consult. *Zinckius*, editis Voluminibus quibusdam, in quibus pactorum fœderumque instrumenta inde a seculi hujus initio complexus est, idem & nunc vadam tentat, quem præ manibus habemus, Scriptor Gallicus, cujus tamen ab illo Zinckiano quodammodo diversum institutum est. Etenim is epocham duntaxat suam in pace Ultrajectensi, anno XIII hujus seculi conclusa, figit, eandemque ad publicorum tractatum congressum, quem altera jam vice Cameraci habitum iri in destinatis fuit, deducere aggreditur. Præterea & Noster hunc ipsarum pacificationum & confœderationum apparatus longe majori scriptorum aliorum & litterarum memorialium huc pertinentium, & a diversorum Imperantium Oratoribus exhibitatum, numero locupletare instituit; gallico denique solo utitur idiomate, iis tantum in authentia sua servatis, quibus sermo latinus a prima origine fuit adhibitus.

Hac autem methodo omnem huc spectantem sarraginem tribus modicis Voluminibus complecti & absolvere Autori constitutum fuit; exhibeturque hinc Tomo Iquo 1) Pax
Baden.

Badensis 1714. 2) Tractatus limitaneus & securitatis Belgicæ (vulgo Barriere) 1715. 3) Tractatus triplicis fœderis 1717. 4) Tractatus inter Gallos & Lotharingum 1718. 5) Gimaldi literæ de irruptione in Sardiniam. 6) De eodem argumento scriptæ a Marchione Beretti - Landi. 7) Tractatus quadruplicis fœderis 1718. 8) Literæ Hispani ad Ministrum suum in aula Taurinenti. 9) Articuli Sabaudæ ab Hispanis propositi. 10) Accessus Sabaudæ ad fœdus quadruplex. 11) Declaratio Hispanica de irruptione in Siciliam. 12) Cellamarii binæ literæ ad Alberonium. 13) Regis Hispaniarum ad Regem Gallicæ, itemque Parliamentum Gallicum. 14) Declaratio Regis Hispan. Gallicæ Statibus facta. 15) Literæ supplices supposititiæ Statuum Gallicæ ad Regem Hispan. 16) Scriptiuncula Alberonii ad Cellamarium. 17) Declaratio belli ex parte Regis Galliarum contra Hispanum. 18) Literæ Regis Hispan. ad Ordines fœderati Belgii. 19) Conditiones ex parte Hispanorum pro accessione ad fœdus quadruplex propositæ. 20) Ipse accessus Regis Hispan. ad fœdus quadruplex. 21) Protestatio Papæ in congressu Cameracensi 1723 exhibita. Post hæc Supplementi loco ad calcem hujus Tomi accedunt. 1) Pax Nysledtensis inter Suecos & Russos 1721. 2) Tractatus fœderis inter eosdem 1724. 3) Pax inter Danos & Suecos 1720. 4) Inter Borussia & Suecos A. cod. 5) Transactio nova super tractatum limitaneum & securitatis Belgicæ 1718. 6) Tractatus Commerciorum inter Gallum & urbes Hanseaticas. 7) Transactio Madritensis de Tractatu commerciorum cum Britannis 1716. 8) Tractatus fœderis inter Ord. Belgii & Bernensem Helvetiæ pagum. 9) Fœdus inter Cæsarem & Regem M. Britannicæ 1716.

Tom. II comparent 1) Concessio privilegiorum Societati commerciorum in Belgio Austriaco à Cæsare 1722 data. 2) Dissertatio de jure, quod competit Belgis fœderatis adversus incolas Belgii Austriaci. 3) Monita Regis Hispan. facta Regi M. Britannicæ 1724 contra Societatem Ostendæ erectam. 4) Artic. IV & VI pacis Monasteriænsis. 5) Artic. X & XXXI pacis Ultrajectinæ. 6) Excerpta Artic. I & XXVI Tractat. securitatis

Tom. II

Belgiæ. 7) Monita Statuum Brabantæ ad Cæsarem circa privilegium Societatis Ostend. 8) Pax inter Cæsarem & Regem Hispan. Viennæ 1725. 9) Eadem inter Imperium & Hispanum. 10) Tractatus Commerciorum inter Cæsarem & Hispanum. 11) Fœdus amicitix & defensionis inter eosdem. 12) Fœdus Hannoveranum 1725. 13-35) Longa series scriptorum de jure commerciorum Belgii Austriaci, hisque affinibus inter utramque partem reciprocatorum. 36) Animadversiones in fœdus Hannoveranum. 37) Observationes ad præcedentes animadversiones. 38) Analysis fœderis Hannoverani. 39) Observationes in eandem analysin. His in Supplementi vicem subjicitur 1) Pax Passarovicensis 1718. 2) Tractatus Commerciorum ibidem. 3) Pax inter Turcam & Venetos ibidem conclusa. 4) Fœdus inter Cæsarem, Regem Britannix & Polonix 1719. 5) Pax inter Suecos & Britannum 1719. 6) Fœdus inter eosdem 1720. 7) Securitas Dano pro Ducatu Slesvicensi a Britanno præstita.

Tom III.

Tom III sistuntur 1-3) Literæ memoriales binæ Marchionis St. Philippi ad Ordines Belgii, cum responso horum ad priora. 4) Veritas juris & facti in causa commerciorum Belgii Austriaci. 5) Ejusdem Refutatio. 6) Consultatio cum Deputatis Ord. Belg. fœderati de accessione ad fœdus Hannoveranum. 7) Considerationes de fœdere defensionis contra pyraticam Barbarorum. 8) Instrumentum accessionis Cæsareæ ad fœdus Holmense. 9) Restrictiones ratihabitionis ex parte Suecorum. 10) Fœdus defensionis inter Cæsarem & Imperatricem Russorum 1726. 11) Instrumentum accessionis Ord. Belg. Fœd. ad fœdus Hannoveranum. 12) Literæ memoriales Kœnigseggii ad Ord. B. F. in causa Episcopi Leodiensis. 13) Responsum ad easdem. 14) & 15) Tractatus Wusterhusensis apocryphus inter Cæsarem & Reg. Borussix, cum elucidatione causæ Juliensis. 16) Articulus secretus fœderis inter Imperatricem Russ. & Reg. Boruss. 1726 conclusi. 17) & 18) Literæ reciprocx inter Bulovium Borussorum & Gallowinum Russorum apud Suecos Ministrum. 19) & 20) Literæ Regis Britannix ad Imperatricem
Ref.

Rufforum cum ejusdem responforiis. 21-30) Scripta amœbea & perſuaſoria ex utraque parte pro acceſſione Suecorum. 31) Suecorum ad fœdus Hannoveranum acceſſus. 32) Conventio inter Regem Britann. & Haſtæ Landgravium Caſſellanum. 33) Oratio Regis Britann. ad Parliamentum 1727. 34) Declaratio Regis Gall. in Comitibus Imp. 35) Decretum Cæſareum in Comitibus publicatum. 36)&37) Memoriales Palmii cum Literis Sincendorffii ad ſe datis. 38)&39) Stanhopii & Pozzo-buonii literæ memoriales. 40-50) Variæ conſultationes, quæ præliminares Articulos vel præceſſerunt, vel cum iisdem junctæ fuerunt, cum ipſo eorundem Articulorum tenore. 51) Ceremoniæ congreſſus Cameracenſis 1724. In Supplementis hujus Tomi exhibentur 1) Sanctio pragmatica ſucceſſionis in domo Auſtriaca. 2) Renunciationes Principum Joſephinarum. 3) Renunciatio a Cæſare pro Hispania facta. 1718. 4) Renunciatio Philippi V. ex adverſo A. 1725. 5-7) Quædam nov-antiqua ad cauſam Curlandicam ſpectantia.

Ex recenſu hoc paulo prolixiori quemlibet ſponte ſua intelligere conſidimus, quanta lux ex Documentis, in hæc Volumina congeſtis, avi præſentis hiſtoriæ accendatur; quam & Autor præmiſſa ſingulis fere partibus concinna elucidatione augere magis ſtudit. Majorem partium inter ſe ordinem forte quis haud temere deſideret; ſed ita fere cum hujusce generis ſcriptis comparatum eſt, ut autores ad editionem eorundem prouant, antequam omnia rite conquirere, ordinatimque digerere datum eſt. Præſtitit id dubio procul, ſi ad Chronologiæ juſtum ordinem una poſt alteram particula relata fuiſſet, ad quem etiam comparatus eſt Index Chronologicus, ad tres hoſce Tomos adornatus, quem tutius conſulet, qui ex tot hic occurrentibus Capitibus unum alterumque reperire cupit facilius commodiusque. Materiam laborem hunc continuandi non deſſe Autori, dies docebit, quod & Autor pollicitus eſt, ac edito jamjam Tomo IV hujus farraginis re ipſa præſtitit, in quo & porro Tomorum numerum auctum iri perhibetur. Quoniam autem hujus continuationis inſtitutum paululum a præſenti labore diverſum, nec Tomus IV cum prioribus tribus eodem Indice junctus eſt.

est, illius recensionem, usque dum plures prodierint, distulimus.

MONITUM COLLECTORUM.

A Ccepimus ab exteris, Italis præsertim, rumores apud illos feri, quasi metuendum sit, ne institutum nostrum brevi interrumpatur; qui forte orti sunt ex eo, quod Directori nostro hæcenus cum gravi morbo colloctandum fuit, e quo tamen nunc per Dei gratiam convaluit. Interim alii Menses, Majum, Junium, Julium & Augustum non modo haud infelicitè curarunt, sed & eodem quadrimestri spatio duas ultimas Sectiones Tomi IX Supplem. cum Indice prelo absolverunt; ut adeo vel exinde intelligi possit, omnia ita disposita esse, ut Diarium nostrum, quod jam prope per quinquaginta annos continuatum est, ne tum quidem, quum quid humani contigerit Directori nostro, cessaturum sit, id quod bona fide affirmare possumus. Optandum autem, ut eruditi, qui subscriptionis lege produnt suos libros, quem morem in Anglia præcipue quotidie invalescere videmus, diligenter curent, ut, si de illis innotescere Eruditio Orbis cupiant, libri ejusmodi, quibus subscribi ob distantiam locorum intra statutum tempus non potest, quique adeo extra commercium fere sunt positi, ad nos perveniant. Qua in re Anglis quidem suam operam præstabant Typographi Londinenses, Wilh. & Jo. Innes; Italis Sebastianus Coleti; Typographus Venetus, Galli, Montalant; Typographus Parisinus, quibus fasciculi ad J. B. Menckenum vel ejus Filios inscripti, & probe obsignati, tuto credi possunt. Ceteros rogamus, ut potius per mercatores quoscunque, quam Librarios, quorum fidem sæpe fallacem experti sumus, libros ad nos mittant.

E R R A T U M.

Superiore Mense Julio pag. 302 dele in margine TAB. III Fig. 3, cum nummis ibi descriptus incuria sculptoris in Tabula illa locum non invenit.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ.

Calendis Septembris Anno MDCCXXIX.

**P. PAPINII STATII SILVARUM LIBRI
Quinque. Ex vetustis Exemplaribus recensuit, & Notas
atque Emendationes adiecit FER. MARKLANDUS,
Coll. S. Petri Cantabr. Socius.**

Londini, typis Guilielmi Bowyer, 1728, 4.

Alph. 2 pag. 22.

Optime sane collocavit operam suam Vir doctissimus atque Clarissimus Jer. Marklandus, dum *Papinii Statii Silvas* singulari studio emendare & illustrare aggressus est. Adeo enim corruptæ & depravatæ illæ adhuc circumferantur, ut qui *Thebaida* & *Achilleida* ejusdem poetæ, licet neque illa opera emendatissima sint, cum voluptate quadam perlegerant, non sine indignatione in *Silvis* illis errarent, & *Papini*um suum fere nusquam agnoscerent. Hinc sensus absurdus & crebræ contradictiones, illinc nescio quid abruptum & obscurum, alibi verba dubia neque sententiæ respondentia occurrant & lectorem attentum irabant. Causa tantæ corruptionis unica hæc nobis esse videtur, quod scripti codices harum *Silvarum* sunt rarissimi, & pauci illi, quos viri docti adhibuerunt, ab nulla ætate commendantur. Neque enim MSS. Puteani, Petavii, Petri Danielis, Nic. Fabri, quibus usus est Fr. Lindenbrogius, has *Silvas* comprehendebant, quod putat optimus Marklandus, sed *Thebaida* tantum, pars etiam *Achilleida*. Idem de membranis Noricis & Thuringicis, quas laudat Zinzerlingius, habendum. De ceteris etiam, præterquam Gronovianis, non cuncto constat: ipsæ Gronovianæ in tanta corruptionum copia

Bbb

parum.

parum prodesse potuerunt. Sic omnes fere Editiones primis impressis adhæserunt, earumque vitia strenue propagarunt, Papi-
 nium autem magis magisque deformarunt, ut Silvæ ejus longe
 lateque silvescerent. Accessit huic incommodo aliud malum
 ex mala Criticorum quorundam consuetudine. Illi enim his
 locis, quæ aliter in veteribus libris leguntur, certatim imminere,
 cetera vero, sive plana, sive obscura sint, nisi singularis quædam
 conjectura stimulet, secure negligere solent. Quo pacto in ple-
 risque auctoribus, post tot notas & animadversiones, tot fœda
 vulnera remanserunt, ut bene multa reperiantur, in quibus per-
 sanandis medica manus se exercent. Eadem Papii nostri for-
 tuna fuit, & in tanta membranarum inopia esse debuit. Egerunt
 quidem Bernartius, Morellus, Lindenbrogius, Barthius, potissi-
 mum autem Gronovius, quod bonos agere oportet interpretes:
 multa tamen aut non tetigerunt, aut ita accèperunt, ut modo rei
 natura, modo latinitatis & poeticæ elegantix ratio lectoris suf-
 fragium impediât. Unde nos quidem minime miramur, si Cl.
 Marklandus aliquando in his Silvis quingenta loca non intelle-
 xerit. Quam vellemus autem Cl. Editori bene multæ membra-
 næ ad manus fuissent, quarum defectus, ut vidimus, in præ-
 statio fraudi fuit! utinam vel Parisiensis illius MS. Codicis,
 quem tractaverat Thomas Bentlejus, varias lectiones esset con-
 fecutus! Quod cum non liceret, consulit tamen Editiones Ve-
 netam 1472, fol. Parmensem 1473, Romanam 1475. & ex iis ope-
 ræ pretium tulit: Ceterum, quidquid deerat, sagacissimo suo in-
 genio implevit, & loca plusquam ter centum, quorum alii viri
 docti nullam rationem habuerunt, ex sola conjectura restituit,
 partim sensu præeunte ac necessario postulante has emendatio-
 nes, partim literis & calami ductibus ad veram lectionem viam
 monstrantibus: Has emendationes textui inseruit, alias vero
 plures textui subiecit: ex quibus tamen nonnullas pro adeo cer-
 tis habet, ut eas pariter, ac alias quasdam, ad centum fere nu-
 mero, quæ nondum in contextu leguntur, singulari tabula Statio
 restituere jussit: alias denique conjecturas in Notis, quæ sepa-
 ratim post contextum habentur, proposuit. Quædam ex his ita
 comparatæ sunt, ut quam facilis librariorum lapsus & pro-
 eor-

corruptio fuerit, statim in oculos incurrat, vel propter similitudinem syllabarum atque literarum. Sic Lib. III, Ecloga I, vers. 35, pro *gerentibus* legendum censet *ingentibus*, ubi de Hercule:

Instratumque humeris dimitte ingentibus hostem;
vulgo erat *gerentibus*, & Geuartius emendabat *rigentibus*: melius tamen *ingentibus*, cum passim inter præcipua Herculis *ἠγρόμαστα* numerentur *humeri ingentes*. Ibidem vers. 82, *sacris*, pro *sacri*:

Stabat dicta sacris tenuis casa, nomine templi,
dicta sacris, id est, rebus sacris dicata; *sacri* nullum sensum præstat. Ibidem vers. 117, vulgatæ Edd. habent:

Nec mora, conscripta formatur *imagine tela*, eaque non modo Domitius, Cruceus, Barthius, sed etiam ad Plinii Epistolas Buchnerus, ad Tibullum Brockhusius de ichnographia in *linteo* coloribus depicta accipiunt; cum tamen verba *formatur tela* eum sensum vix admittant. Clariss. Editor emendat:

Nec mora, conscripta formantur *imagine templa*, ut ex librariorum scriptura *formantur templa* vulgaris lectio originem traxerit. Eadem Ecloga vers. 110, scripsit:

Nec te quod solidus contra riget umbo maligni
Montis, & immenso non unquam excisus ab ævo
Terreat,

cum vulgo darent: *excisus ab ævo*. Obiter monemus, in Editione Veneta A. 1475, quam in manibus habemus, legi: *non unquam exævus ab ævo*, quod verbum *exævus* omnes ductus verbi *excisus* repræsentat. Id etiam obiter addimus, doctissimum Fr. Lindenbergium (qui ipse est Fr. Tiliobroga, cum Cl. Marklandus, humani quid passus, hæc duo nomina, pro duobus viris eruditis acceperit) qui hac Ecloga v. 129, *Teleboa* probavit, pro *Taurubula*, suo exemplo, quod Hamburgi servatur, propria manu adscripsisse: *Apud Zonaram Eriboli sit mentio*; quasi pro *Taurubula*, quod est in omnibus impressis vetustis, *Eriboli* recipere, aut inde aliquid extundere curis secundis voluisset. Idem Lindenbergius v. 126 emendabat:

— *validoque solum deforme bidente*

Ipsè fodit.

cum vulgo sit:

— *validaque solum deforme bipenne*

Ipsè fodit.

de quo versu nihil annotavit Cl. Marklandus; Lindenbrogius autem ad emendationem illam eo adductus esse videtur, quod non credebat *bipenne* nos *fodere* solere, cum tamen paullo latiore sensu apud Latinos verbum *fodere* sumatur. Sed hæc obiter. Eadem Ecloga v. 149 elegantissime restituit Noster:

— — *omenque Euploea carinis;*

cum ceteræ Editiones præstent: *numenque Euploea carinis.*

V. 157 olim vulgabatur:

Seu tibi dulce manu Libycas nudare palastras;

Longe venustius Cl. Marklandus:

— — *liquidas nodare palastras,*

& *nodare* verbum jam restituerat Gronovius. Idem Marklandus v. 163 corrigit:

Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras

Libamenta tuli,

cum alii darent: *nascentes lætus bacchatus ad aras*, ingrato fibilo. Veneta 1475 habet *lætus*. Ita Lib. III, Eclog. II, v. 81 nulla violentia corrigit:

Tequè super reliquos, te, nostri pignus amoris,

Portatura Celer

cum alii haberent: *Quæque super reliquos*. Teque etiam Lindenbrogius in suo libro scribendum esse monebat. Ecloga III, v. 15 commodè reposuit:

— *Si quis pulsata conscius umbram*

Matris, & inferna rigidum timet Aeakon urna,

cum vulgo contra nexum orationis legeretur: *consciis unquam*. Hujus generis permultas emendationes afferre possemus, quas, cum non longe a vulgata lectione abeant, nemo facile gravabitur. At illi certe, quibus ignotum est, qualia portenta nobis in libris vetustis reliquerint librarii, hæsitabunt, quando legent, doctissimum Editorem hoc Lib. III, Ecloga I, v. 89 pro *erubuit*

risit.

rificos Deum, reposuisse: erubuit vidisse Deum; & v. 139 pro illis: *jam fortibus ardens Fumat arena sacris*, nunc legi: *jam mitibus ardens Fumat arena sacris*. Item Ecloga III, v. 56 emendatum esse:

*Et (modo si fas est equare jacentia summis)
Pertulit Eurysthei Tirynthius horrida regis
Jussa,*

cum antea legeretur:

*Pertulit & saxi Tirynthius horrida regis
Pacta.*

& v. 79 Cl. Marklandum scribere:

*Cui superum famulo pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur?*

cum Edd. exhibeant:

Quis superos metuens pariter tot templa cet.

Hæc enim longius a recepta scriptura recedere querentur, æque ac ubi *lecto*, pro *furto*; *bibit*, pro *tulit*; *Troasni* pro *Rusticus*; *si conjux*, pro *Silva una* legi posse videbunt. Eodem forte referent locum corruptissimum Lib. IV, Ecloga III, v. 20, qui vulgo sic legitur:

*Hic scenis populi vias gravatas,
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus,*

de cura Domitii circa Viam publicam sui nominis: pro quibus ita legit Cl. Marklandus:

*Hic, cæno bibulo viam gravantæ,
Et campis iter amne detinente,
Longos eximit ambitus,*

ut in duabus lineis sex vocabula immutentur. Non minus ingeniose doctiss. Lindenbrogius in notis ineditis istum locum corrigi. Eo enim, quod in vetustis libris *senis p. v. gravantes* legitur, reponi voluit:

*Hic segnes populo vias gravanti,
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus.*

Sed quanquam istæ Cl. Marklandi emendationes paullo auda-

ciores videantur; ita tamen in notis rem gerit, ut, quæcunque tentat, rationibus etiam & autoritatibus egregie confirmet. Neque uni suo Statio adeo intentus est, ut non pro re nata de alijs scriptoribus bene mereri studeat: quin potius longum catalogum contexere possemus eorum, quæ in Virgilio, Ovidio, Lucano, Manilio, Valerio Placco, Propertio & multis præterea corrigere allaboravit: quales conatus etiam ipsa doctissimi viri Præfatio exhibet. Tot emendationes ex solo ingenio, sed agili & secundissimo; plerumque proferte solet. Ut vero fructum egregii studii ferat, quantum in nobis est, adjuvabimus: uno nempe atque altero exemplo ostendentes, in membranæ ita legi, ut ipse legendum esse ex conjectura statuerat. Nihil enim majore voluptate animum perfundit, quam si videas, conjecturam tuam ab MSS. confirmari: & nihil eruditos magis extollit, atque non plebi saltem, sed etiam melioribus admirabiles facit, quam certa ista argumenta *εὐσηχίας*. Itaque apud Virgilium (ad Statii sui Lib. III, Silv. III, v. 87) Lib. IV, Georg. v. 520 reponit:

— *Spretæ Ciconum quo nomine matres*

Inter sacra deum nocturnaque orgia Bacchi

Discriptum later juvenem sparsere per agros.

Ita demum sensus procedit, quem pervidit Asper Grammaticus, vulgatam lectionem *quo munere* exponens *ob quam rem*. Vulgo, dicimus, *quo munere* legunt; testamur autem, nos in perveltis membranæ, quæ olim Bernh. Rottendorffii fuerunt, reperisse *quo numine*, idque Cl. Marklandi *quo nomine* egregie confirmat. Idem Præfatione Pag. XII alium Virgilit locum ex Æneid. VII, v. 593, qui vulgo ita legitur:

Multa deos arasque pater testatus inanes,

Frangimur heu ventis, inquit, ferimurque procella,

levissima mutatione hoc modo constituit:

Multa deos arasque pater testatus inanes,

quomodo Maro iterum canit Lib. XII Æneid. v. 1496. Adimus nos suffragium membranarum, quæ Hamburgi in bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis servantur, in quibus discrete *arasque* exhibetur. Ad Lib. V Silv. III, v. 85 emendat Manilium ex Lib. V, v. 463:

Mille

Mille alias rerum species in carmina dacent
cum vulgatae ostentent *in carmine*. Assentiantur apud nos mem-
branz Bibliothecæ Paulinæ, in quibus aperte *in carmina*. Ad
Lib. IV Silv. II, v. 38 emendat Juvenalem in Sat. XV, v. 124:

*Qua nec terribiles Cimbri, nec Teutones unquam,
Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrsi.*

Vulgo editur: *nec Britones unquam Sauromatæque truces*. Ac-
cedunt Cl. Editori apud nos quatuor MSS. in quibus sine suspi-
cione *Sauromatæve* legitur; in aliis duobus est *Bisones*, vel *Bi-
sones*, vel *Btones*. Jam hæc felicitatem Cl. Viri in conjectando
fatis demonstrant, cum plura accumulare possemus. Noli ta-
men, lector, putare, nil, nisi emendationes in Annotationibus
hisce facere. Ubi res postulat, invenies & alias eruditas observa-
tiones sensum, historiam, aut antiquitates illustrantes. Sic ad
Lib. III, Eclog. I, v. 60 *Hecatejas Idus*, id est, Idus Augusti men-
sis, Hecateæ seu Dianæ sacras, opportune demonstrat. Item ad
Eclog. II, v. 61 erudite disquirat, cur singulatum homines dicantur
miseræ animantia, de qua re jam Gronovius, sed acutius,
quam verius, egerat. Et hujus quidem generis per multa laudare
poteramus, si latius ea de re agere animus foret. Laudare autem
debemus singularem proflus modestiam Cl. Marklandi, & infi-
guem animi candorem, qui non tantum conjecturis suis æquum
pretium statuit, paratus, ubi meliora edoctus fuerit, easdem reji-
cere: sed etiam ingenue fatetur, quæ non intelligat, ubi aqua
hæreat. Imo ipse errores suos calligat, ut illum, quem aliquan-
do in loco Flori Lib. II, cap. II admiserat, ubi pro *Africam &
Syrtes omnium imperia gentium insularum litora replevit*, le-
gebat *Syrtes & omnium* in eo mari jacentium *insularum litora
replevit*. Nunc enim verum esse agnoscit: *Syrtes & omnium* in-
terjacentium *insularum litora*, ut visum est viris doctissimis
Francisco Hare, Ric. Bentley & Daniel Walthero, qui ipsam ve-
ritatem viderunt. Eandem animi integritatem declarat verissi-
mum illud de J. Fr. Gronovio, qui in Statum scripsit, judicium,
quod habes in Præfatione pag. XV. Eo minus dubitamus uni-
cam cum Cl. Marklando observationem communicare in locum,
quem ipse in vulgari lectione explicari minime posse putavit. Est
is Lib. III, Ecloga IV, v. 12 atque ita habet: Per-

*Pergame, pinifera multum felicitior Ida!
 Illa licet sacra placeat sibi nube rapinae,
 Nempe dedit superis illum, quem turbida semper
 Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat:
 At tu grata deis.*

Hic Cl. Marklandus quis mihi, inquit, explicabit, quid sit *nubes rapina*? Ne dubites, quin scripserit Statius:

— *sacra placeat sibi laude rapina.*

Pace viri optimi dicere liceat, hic acumen consuetum desideramus in ista emendatione, quam tamen textui inmissam videmus. Nec sensus satis respondet nexui orationis. Quid enim aliud esset *Ida sibi placeat laude rapina*, quam propterea sibi placeat, quia *rapinam* quamcunque commisit? Hunc sensum omnia ab Cl. Marklando producta loca confirmant. Et si maxime in alium sensum trahi posset illud *laude rapina*, tamen eo ipso, quod alia sententia verborum facilior & magis aperta est, emendatio non parum affligitur. Vulgata lectio, ut nobis videtur, sana est, neque de commoda interpretatione desperabimus, quanquam & Heinsius ad Valer. Flaccum Lib. I, v. 706 locum non recte intellexerit. Agit ista Ecloga de *Coma Flavii Earini*, h. e. de *prima lanugine* pueri, qui Pergami natus erat, & ejus coma præfecta Pergamum mittebatur, ut Esculapio illic dedicaretur: ut solebant *in urbe* potissimum *natali* deo cuidam comam consecrare. Jam comparat *Pergamum*, urde Earinus, & *Idam*, ubi Ganymedes adolevit, primamque comam posuit. Hæc itaque sibi placet *nube rapina sacra*, h. e. coma Ganymedis a Jove rapti. Qui sensus & apertus est, & oppositioni atque toti argumento optime respondet. Fraudi fuit viris doctissimis vocabulum *nubes*, quod Statius pro coma posuit, quia caput tegere & obnubere solet. Reperimus tamen *nubem* de coma apud eundem Statium Lib. VI Theb. v. 584:

— — — *attamen illi
 Jam tenuem pingues florem induxere palastra,
 Deserpitque genis, nec se lanugo fatetur
 Intonsa sub nube comæ.*

Sic

Sic præcise *nubes* pro *caesarie* occurrit apud Lucanum Lib. VI, v. 625, ubi Erichtho:

*Mustum tecta caput squalenti nube pererrat
Corpora caesorum,*

quæ antea paullo clarius v. 518 videbatur

Impexis onerata comis.

Minus nunc dubium erit *nubem sacra rapina*, esse comam Ganymedis. Hujus generis si pauca in eruditissimis Marklandi animadversionibus hic illic occurrant, nihil tamen insigni de Statio merito detrahunt. Nos certe ingenium & doctrinam Cl. Viri admirati jam vota facimus pro felici *Propertii*, cui curæ cum maxime incumbit, editione: neque minus avide expectamus *Statii Thebaida* & *Achilleida*, quas cum MSS. comparatas pluribus locis emendatiores post Propertium orbi erudito tradet. Hæc præclara incepta ut eruditissimo Marklando feliciter eveniant, precamur, parati, quovis modo, (rogat enim viros doctos subsidia) singulatum excerptis ex optimis membranarum lectionum varietatibus conatus tam egregios adjuvare: nisi, quam faciles & ubique parabiles sint membranæ, quæ Statii Thebaida complectuntur, cognitum haberemus, ut vel solius Britannicæ Bibliothecæ Cl. Marklandum satis superque instruere posse videantur.

IN C. SUETONII TRANQUILLI DE XII
Caesaribus libros VIII Commentarii ad usum Excellentissimi
Comitis Vimiosani D. D. Josephi Portugallensis,
per PETRUM ALMEIDAM,
Soc. Jesu.

Hagæ Comitum, apud Adrianum Moetiens, 1727.

Alph. 3 pl. 7½, chart. maj.

Quando parum de Lusitanorum eruditis comperire solemus, lectori nostro haud ingratum fore existimamus, antequam ipsum opus dispiciamus, ea, quæ de ejus autore in promptu habemus, exposuisse. Est is *Pet. Almeida*, Rhetorices quondam apud suos Professor Primarius, postea Prælati, ut vo-

Ccc

cant,

cant, honore ornatus, cum aliis duobus ejusdem dignitatis viris res civium suorum Romæ egit, ac nuper designatus Protonotarius Apostolicus Supernumerarius, quod tamen munus ipse renuit propter similitudines, quæ Regi suo cum Romano Pontifice adhuc intercesserunt, quasque Nostrum Olisipontem digressum exstincturum esse, fama circumfertur. Ex præfatiuncula, quæ subjuncta est dedicationi, qua Ill. adolescentulo Comiti *de Vimioso*, cujus imaginem in æs incisam frons Operis refert, liber inscribitur, didicimus, quinque priores *Franquilli* libros Pl. Rev. *Almeida* olim edidisse. Eos nunc *uberioribus & exactioribus*, uti sibi videtur, *notis* slipatos, reliquis eadem ratione confectis, in publicum prodi e iussit. Nihil vero amplius in hac nova editione reperies de *Suetonii*, quæ supersunt, scriptis præter duodecim *Cæsarum* vitas, easque haud quidem integras, sed, obscuras de more Pontificiorum exfectis, hinc inde mutilas. Nunc de ipsa Editoris opera, quæ quid valeat, quid dare recuset, optime noveris, cum ex Præfatione hæc verba probe tenueris: *Prolixitatem redundantiæque nostram æqui bonique consulite. Quod enim eadem plurisariam repetamus, & ad unam explicandam aut sententiam aut dictionem pluribus iisque synonymis passim utamur vocabulis, in causa fuit duplex tironum, quibus unice laboravimus, emolumentum, videlicet, ut auctoris mentem assequerentur facilius, & aliquam interim Latini sermonis copiam nanciscerentur. Certe nihil verius dici poterat. Videbimus de singulis. Prolixitas redundantiæque sane est, notis suis intexere, quidquid de verbulo, quod interpretari velis, lux ei accendatur, nec ne, dici potest. Documento est nota 14 Capitis primi, in qua mentio fit *prætextæ puerorum, prætextatorum morum, prætextati sermonis, Papyrii prætextati, prætextæ magistratuum, prætextæ nigrae*. Tot res in unam notam conslipandæ erant, ut lector intelligeret, quid sit *prætextato desponsata fuerat!* Eadem deinde *plurisariam repetisse*, abunde testatur crambis non nisi summa cum lectoris nausea toties apposita de *prætextato* p. 2, 244, 263, 478, 628, 748, de *Dactis* p. 87, 172, de *repetundis pecuniis* p. 7, 84, 792, 924. *Pluribus etiam iisque synonymis passim vocabulis usus est*; tantum vero abest, ut res inde clarior facta fuerit,*

fuerit, ut potius omnia alia iis demonstrantur. Sic p. 71 n. 7, *deni & decem* ex Nostri mente sunt synonyma, cum tamen sensus verborum sit, Cæsarem singulis ex populo denas olei libras divisisse. Aliud vero est singulis e populo decem olei libras dare, aliud populo in universum totidem dividere. Nostro vero utrumque idem est. Ejusdem commatis est p. 416 n. 8, nota, *Tiberii nimiam vini aviditatem per appetentiam, sitim* explicans. pag. 67 n. 33 & 34 n. 24, pueri facilius Suetonii mentem nunc assequuntur, cum *crebro* interpretatum legerint per *crebriter*, quam vocem unde Noster acceperit, Oedipo conjectore opus est; hoc certum, latium eam nunquam vidisse. Putabamus olim inter *εφελματα* operarum, quibus hæc editio tota quanta scætet, referenda esse, quando forte litera canina exciderit, quod saltem apud Vitruvium *crebriter* legisse meminimus. Verum omnia in cassum, *crebiter* altera vice redeunte. Agnosce denique ex uno exemplo, quantæ in omnibus Nostro sint synonymorum copiarum, puta ex pag. 398 n. 10, quo loco τῶ *implicare* alleverit: *involvere, innectere, intricare, impedire, impedicare, illaqueare, irretire*. Unice etiam *tironibus laborasse*, in compilandis notulis suis, non opus erat dixisse. Puerilia, quibus eæ sunt relectæ, satis loquuntur. *Quidquid* enim, ut iterum Editoris nostri ex Præfatione verbis tecum, lector, agamus, *aut sollerter animadversum, aut perspicue interpretatum, aut apposite adjectum reperiat* hic, id fere omne Casaubono, Beroaldo, Torrentio, Sabellico, Marcilio, Babelonio, Pulmanno; Egnatio, Glareano, Lipsio, Turnebo, Ursino, Scaligero, Grævio & non paucis aliis acceptum referendum est. Quibus si Pitisci & Perizonii observationes, de quibus in Actis his Supplem. Tom. VI p. 194, & A. 1726 Mens. Ma. p. 217, actum fuit, addas, eadem præne omnia, quæ alicujus momenti, noveris. Nam ea omnia eruditionem Minellian in sapient, quæ Almeida soli tribuenda, qui, istis antea nominatis in re forte altioris indaginis silentibus, egregie itidem fileat. His quidem, quæ sub lima sunt, novis *Commentariis* ad nos olim allatis, bona spe eramus, Codices MSSos ab aliis editoribus commissos consultos, aut quid novi præstitum fore; si autem dicimus, quod verum est, ea frustrati sumus. Adeo om-

mnem operam, quantam quidem in illis perlegendis adhibuimus, perdidimus, nullibi reperientes, Editorem loca male affecta restituisse, aut foeda emaculasse, aut dubia firmasse, aut obscura illustrasse, quorum tamen omnium haud exiguum numerum noverit, qui Suetonium penitus perspexit. Ultima denique *ut aliquam interim Latini sermonis copiam nanciscerentur*, ex iis, quæ supra in commune posuimus, verbis, haud minus ac cetera rite in Nostro versaturo probe sunt tenenda. Nos ipsos, antequam ea animadvertebamus, incertos habuit, cur autoritates, quibus suam aliorumve interpretationem probet, aut nullas plane, aut, omisso libro, capite versiculoque, autorem tantummodo indicaverit. Verum postea ex modo allegatis Editoris verbis coniecimus, eam ipsi mentem esse, aliquam, id est, perfunctoriam Latini sermonis copiam sibi acquisivisse, pueris sufficere. Cæco itaque assensu credant Pl. Rev. *Almeida* pronuncianti, hoc esse Latinum, illud minus: de ea re convenire inter historicos & interpretes, in alia dissidere, nisi plus oneris quam commodi ex ejus notis capiant, cum fontes, uti fieri debet, ubique adire velint. Jam ad leges, quas Noster sibi ipse dixit, judicio nostro formato, neque Editori neque bibliopolæ injurias nos fecisse arbitramur, cum nihilo minus emtores suos liber invenerit, quo rarius Lusitania doctos sætus mittit; nec diffiteri possumus, in editione hæc, quantum ad typorum & chartæ ornatum, nihil desiderari.

OPERE VARIE CRITICHE DI LODOVICO
CASTELVETRO,

h. e.

OPERA VARIA CRITICA LUDOVICI
CASTELVETRI, *Mutinensis, nondum antehac edita,*
cum vita Autoris a LUDOVICO ANTONIO
MURATORIO descripta.

Lugduni, apud Petrum Foppens, 1727, 4.

Alph. 2 pl. 22.

Cl.

Clarissimum inter Palatinos Socios, quibus *Scriptorum Italia* voluminosum opus debetur, nomen, *Philippus Argelatus*, ut grandioris illius negotii severitatem amœnioribus studiis distingueret, consilium cepit, dum prela illis Mediolani (quam urbem hic pro Lugduno merito substituendam putamus) ex scribendis exercentur, alium quempiam humanioris argumen i scriptorem typorum beneficio in gentiliū suorum memoriam manusque revocandi, cujus studiosior lectio non utilis minus quam jucunda illis futura esset. Occurrebat inter hos præcipue *Ludovicus Castelvetrus*, magnam sua ætate vulgaris linguæ cultura non solum, sed mitioris doctrinæ universæ copia famam consequutus, & cujus scripta omnium tunc manibus circumferri consueverant. Hæc si studiose conquesta sex Tomis denuo edi curavisset, magnam se apud populares initurum gratiam esse confusus. Dum vero interim laudabile hoc institutum difficultates premere cepissent haud facile superandæ; constituit apud animum illa tantum vulgare ex *Castelvetri* ingenii monumentis, quæ nondum antehac lucem communem vidissent, & quorum copia ex amicissimi sibi Viri *Cel. Muratorii* dono facta fuisset, qui idem autoris nostri *vitam* amplo eoque luculento Commentario præfenti Operi præfixo exposuit, per summam nobis capita pro instituti more referendam.

Natus autem fuit *Ludovicus Castelvetrus* Mutini A. MDV, genere inter suos admodum nobili. Prima statim pueritiæ tempora incredibilis mansuetiorum litterarum, Latinæ præsertim linguæ, amor sibi vindicaverat, adeo non intra adolescentiæ annos imminutus, ut potius, quam Bononiæ, Ferrariæ, Patavii atque Senis, ex parentis voluntate, legum studio unice operam dicere debuisset, omisso hoc, vel negligenter saltim satis exculto, genio tantum suo obtemperaret, & solas sibi delicias liberaliores arte faceret. Quæ quidem res, quamvis famam Nostro atque Academiæ Senensis *Intronatorum* societatem mature conciliaret, ita tamen displicuit patri, ut assumpto Doctoris titulo Romam illum abire, atque in contubernio *Joannis Mariæ della Porta*, qui tum Ducis Urbinatis oratorem apud Pontificem egerat, & sanguinis illum necessitudine attigerat, aulæ negotiis ex-

pediundis vacare juberet. Sed rediit ille statim clam cognato Senas, & Bernardino Maffejo, posthæc Cardinali, Marcello Cervino, qui, Marcelli II titulo, Pontifex tandem factus est maximus, & Alexandro Piccolomineo, insigni philosopho, laborum fociis assumtis, Græcis Latinisque literis & vernaculæ linguæ excolendis noctes diesque strenue invigilavit. Posthæc, quum patris indignatio paulatim deferveret, qui jam cedendum esse naturæ filii, quæ expulsa sæpius recurreret, existimaverat, Mutinim reversus, nihil non effecit, ut cultiores Musæ apud cives suos in honore haberentur. Quem in finem tum & ipse, cum *Joanne Grilenzone*, Medico, singulis diebus domi apud se scholas instituit, in quibus tam Græci quam Latini præci ævi scriptores exponebantur, tum & hoc apud senatum urbis impetravit, ut lauto stipendio *Franciscus Portus*, Candia natus, græce perinde latineque doctissimus, & hoc A. MDXLVI Ferrarjam abeunte, *Carolus Sigonius* docendis literis, quibus ab elegantia nomen est, evocaretur; magnam utraq; re gloriam promeritus. Condidit etiam *Academia* titulo societatem eruditorum triginta numero, qui identidem, sine tamen certis legibus, conveniebant, & ad Criticæ sanctoris regulas veterum scripta communi studio examinabant; quod tamen institutum invidia non caruit. Siquidem a religiosis, quorum forte nonnunquam vitia censuerant Academici, tam graves in hoc negotio querelæ ad Pontificis aures fuerant delatæ, & illi in hæreseos, quam vocant, Lutheranæ suspicionem sive clam sive palam adducti, ut ipsius etiam integræ hinc civitatis fama cœperit periclitari. Permovit hæc res Romanam curiam, ut A. MDXLII adhibitis aliquot delegatis rumoris causas penitus inquireret; qui, intercedente maxime Cardinalis *Jacobi Sadolesi*, Mutinensis, officio, postquam singuli, & inter hos *Castelvetrus*, certæ alicui fidei formulæ ultra quadraginta articulos complexæ, subscripsissent, feliciter iterum componebatur. Ab illo inde tempore per plures annos tranquillo otio fruebatur Noster, donèc A. MDLIII ex levissimis initiis, magnum ipsi nasceretur incommodum, non nisi eundem, quem vita, finem habiturum. Scilicet scripserat *Annibal Carus*, Poëta non vulgaris famæ, neque adeo infelicis ingenii,

nii, Carmen in laudem gentis Farnesiz & stirpis regiz Francicz, ad Cardinalem Alexandrum Farnesium, cui tum fuerat a secretis; quod communi omnium applausu excipiebatur. Versabatur tunc in aula Romana *Aurelius Bellincinius*, vir doctus; & cum suo ipse hac in re diffideret iudicio, ad amicum *Castelvetrum* carminis illius exemplar trans mittebat, ut sententiam de illo suam libere secum communicaret, impense rogans. Locum fecerat familiaris precibus Noster, paucisque verbis, quodnam pretium carmini huic constitueret, significarat. Quo vix intellecto, cælum & terram movere *Carus*, & internecivum adversus *Castelvetrum* concipere odium; immo quasvis diras contra ipsum evomere editis publice carminis sui Commentariis Apologeticis; ad quorum conspectum adeo tacendum sibi Noster haud putavit, ut potius strenue reciprocan dis scriptis & tragædiæ, quam excitarent, fovendæ amplius, uterque insudarent. Interim communes amici nihil non tentare, quod conciliandis ipsorum utrinque animis facere posse videretur; sed frustra. *Carus* etenim aliam adversario nocendi viam se invenisse credebat; si suspectæ illum doctrinæ reum ageret apud Inquisitionis Romanæ tribunal, fratris Ludovici Paulo in criminis falsæ delationis societatem eo lubentius veniente, quanto magis illi pridem cum ipso simulas intercesserat gravissima. Citatur A. MDLVI Romam *Castelvetrus*, coram objectæ hæreseos notam depulsurus; ille vero non tutum existimans comparere, delituit tantisper in terris Ducis Ferrariæ, donec vita excessisset Pontifex Paulus III, ex gente Caraffa, in qua omne præsidium collocavisse *Carum*, haud ignorabat. Quo factis & Pio III ad Præfulatus maximi dignitatem everso, Romam A. MDLX concessit, & salutata sancta, quam vocant, Congregatione *Conventum S. Mariæ in via carceris* loco honestioris intrare iussus est. Dum interim more consueto causa contra ipsum agitur coram dicto tribunali, elabendi ex carcere commodam occasionem adeptus non sine maximis vitæ periculis clam in tractum Mutinensem rediit, mox Clavennam, quæ Rhætiæ civitas est, delatus, tandem Lugdunum pervenit, quod inaudivisset hæreseos se reum fuisse declaratum. Hic Commentarios in *artem poeticam Aristotelis* perfecit,

trau-

tranquillo otio tam diu usus, donec A. MDLXVII ferale bellum inter Catholicos & Hugonottas deavo exortum relicto Lugduno Genevam ipsum petere coegisset, unde Viennam Austriæ abiit, magnam ibi Imperatoris Maximiliani II, clementiam expertus. Hic aliquamdiu commoratus propter pestem, quæ Viennæ ingravescebat, Clavennam redux, non multo post A. MDLXXI a. d. XXI Febr. vitam cum morte commutavit. Insignibus ipsum ingenii dotibus polluisse nemo unus facile negaverit, quum præter scripta, quæ supersunt haud pauca, communi ore illud coævorum comprobetur. Hoc interim tam magnis virtutibus admissum fuerat dementiæ, ac vitii, quod in examinandis atque ad criticæ artis lancem ponderandis aliorum, sive veterum, sive recentiorum, scriptis tenere modum nesciverit, adeo, ut, quod fieri solet, cum naturali castigandi alios reprehendendique stimulo impelleretur, nullibi non, quoseunque legeret, crassissimos sibi errores deprehendisse videretur, saltem, quantum potest, maxime acerbo abs se perfricandos. Specimine hoc in medium producto ostendit Clarissimus *Muratorius*; ostendunt ipsa etiam hæc Opera inedita, quæ nihil continent aliud quam varias auctoris super variis veterum, Euripidis maxime, Virgilii, Terentii, Platonis &c. locis, cogitationes, quæ vel depravata restituit atque emendat, vel ad res ipsas attendens uberius collustrat aut confutat, vel etiam Etymologum nonnumquam agit, & Latinarum vocum origines indagat; in quo quidem postremo negotio quemadmodum maximam partem satis infeliciter fuit versatus, ita supersunt tamen non plane nulla, quæ lectoris attentionem promereantur, atque efficiant, ne conqueri possit, operam se atque oleum omnino perdidisse omne, dum subcivivas horas ipsarum perillustrationi impenderet.

MISCELLANEOUS WORKS IN VERSE
and Prose &c.

h. e.

JOSEPHI ADDISON, EQU. OPERA
*Miscellanea in prosa & versa conscripta, una cum vita
Auctoris, scripta a THOMA TICKELL.*

Volu-
mi-

Volumina III.

Londini, apud Jac. Tonson, 1726, 12.

Alph. i pl. 18.

CUM ingens apud suos desiderium reliquerit ingeniosissimus Addisonus, par est, ut nobis quoque indictus haud maneat. Quare lubet de ejus Operibus, quamvis nec nova sint, nec omnia (accepimus enim sacra ejus Poemata nuper seorsim prodisse cum Commentariis vitæ ipsius) pro more nostro disserere. Et quod ad vitam quidem ejus atinet, ab Editore in Præfatione præmissam, natus is perhibetur A. 1671 Millstonii, ubi tum Pater ejus Lancelotus Rectorem agebat, postea ad Archidiaconatum Coventriensensem & Decanatum Lichfeldensem translatus, ob itinera in Europam Africamque & plurima scripta inclytus. Oxoniæ deinde Græcis Latinisque literis plane immersus, mox Poeseos Latinæ specimina, *Musis Anglicanis* inserta, dedit, magno plausu excepta, etiam a Boilavio, Gallo, qui justam meditandi rationem cum majestate dictionis conjunctam magnopere in illis admiratus est. Hinc cum in Anglica pariter Poesi inclarescere cœpisset, Wilhelmi Régis sumptibus iter in Italiam suscepit, postea eleganter descriptum & Poetarum veterum locis ubique illustratum, quo finito, A. 1704 Lockio in officio Commissarii Appellationum successit & demum Secretarii status munere donatus, novos continuo ingenii sortus edidit, multaque Richardo Steele, diariis suis politiciis, *the Tatler*, *Spectator*, *Guardian*, inserenda, communicavit. Sed cum tenui sanitate uteretur, quippe inde ab Incunabulis nunquam ordinatum pulsum sentiens, asthmate ita paulatim vexabatur, ut, quamvis gravi illo munere deposito, exspiraret A. 1719 d. 17 Jun. relicta ex Comitissa Varvicensi, quam duxerat A. 1716, unica filia.

Tomo I Operum horum præter versiones quasdam, ex Georgicis maxime Virgilio & Metamorphosi Ovidii, poemata quædam Epicis proxima, *Rosamundam* drama, aliaque, in quibus & Epistola metrica, ad Carolum Com. de Halifax ex Italia A. 1701 missa, cum Cl. Salvini versione Etrusca comparet; Dissertatio in Virgilio Georgica, quam Drydenius dignatus est suæ versioni

Ddd

Geor.

Georgicorum horum præponere, quanquam nulla Nostri mentione facta; Tomo II *Cato*, Tragedia, A. 1713 primum incredibili plausu per integrum mensem singulis diebus representata, ac tum non nisi morbo Actoris cujusdam principis interrupta, & in varias linguas, Etruscam inprimis a Salviniò, translata, mox Poemata quædam Latina *de Pace reddita A. 1697, de prælio inter Pygmaeos & Grues, de Resurrectione* aliaque, Comœdia item Anglica, dicta *the Drummer*, Satyra elegans in prosa sub tit. *the late Tryal and Conviction of Count Taris*, & schedæ quædam *the Whig-Examiner*; Tomo III opera profana, Dialogus nempe de usu veterum Numismatum, Diss. de præsentis belli statu, ut & de Christiana religione, continentur. Ne nihil specimen afferramus, libet Dialogum de nummis, qui nunc primum cum Diss. de religione Christiana ex schedis Autoris prodit, paulum perlustrare, in quo Cynthium & Eugenium lepide ridere fingit studium numismaticum, quibus ipse sub nomine Philandri docte respondet, usumque veterum numismatum ordine demonstrat. Primum itaque Dialogo I ostenditur, quantum intersit ipsas facies clarissimorum Virorum vel feminarum, hominum item, quorum nullum alioquin in historia nomen, Deorum præterea apparatus omnem, ut & habitus & omne genus Instrumentorum veterum in nummis contueri. Qua occasione e re futurum censet Eugenius, ut Musæa plena vestibus veterum, vel instrumentis bellicis &c. in Academiis extruantur, quod adhibitis veterum nummis haud difficulter fieri posse arguit. Quanti vero in Historia & Chronologia sint usus nummi, Vaillantius probavit, qui Syriæ Regum historiam admodum perplexam paucorum nummorum ope luculenter explicavit, ut taceamus numeros memoriam inprimis juvare. Reddunt præterea nummi templa, palatia, statuas, etiam hodie deperditas, adeo ut inter Anglos deprehendantur, qui totam Architecturam veterem, tum florentem tum labantem, ex nummis demonstrare instituerit: nec nullus ex nummis usus ad scientias præne omnes redit. Inprimis vero ostendit Philander, quam pulchre Poetæ cum nummis consentiant, utque hi ex illis atque illi vicissim ex his illustrari optime possint. Quod ut paulo plenius exequatur, totum Dialogum

gum II huius labori impendit Autor, in Poetis quippe omnium optime versatus, triplicemque adeo producit nummorum seriem, primam eorum, qui Deas eodem modo representant, quo a Poetis decantatae sunt; alteram eorum, qui aenigma seu quoddam metaphora genus referunt, a Poetis optime revelatum; tertiam denique eorum, qui integras provincias sub feminae figura sistunt, atque hos quoque e Poetis mire illustrari, Autor probat. Dialogo III comparatio veterum & modernorum numismatum instituitur, quae tum metallo ipso, tum occasione cudendi, tum inscriptione & figuris inter se differunt. Docet itaque Noster, veteres aeri potius quam argento aut auro res maxime memorabiles impressisse, optimo consilio, scilicet quod memoria rerum in metallo sequiori, nullis quippe aurifabrorum infidiis obnoxio, diutius conservetur. Contra moderni pretium nummi in ipso metallo constituentes, auro potius utuntur vel argento; refertque Autor, se in Caesareo nummophylacio Viennae vidisse Philippum II in auro viginti duarum librarum, & miratur, modernos Principes tam parum suae famae studiosos, ut in publica moneta rerum bene gestarum memoriam adhuc neglexerint. Et quamvis Romani Imp. numismata maximi moduli, communi usui exempta, reservasse amicis credantur, ne tamen periret rei, quam exhibent, memoria, easdem inscriptiones & figuras vulgari etiam monetae impressisse, Nostro observantur. Praeterea Senatus Romanus Imperatorum suorum res non modo bello, sed & pace bene gestas inscribat nummis, non sine adulatione & procul omni satyra; at nostri Principes, qui ipsi jus cudendae monetae exercent, virtutum suarum praecones esse nolunt, satisque habent, captae urbis, vel victoriae reportatae memoriam in illis relinquere. Quod ad Inscriptiones, extollit Autor brevitatem veterum, qui duobus saepe verbis integris Voluminibus scribendis materiam praebent, ridet vero copiosas illas inscriptiones recentiorum, poeticas maxime, quas inter maxime absurdam memorat in nummo Gustavi Adolphi memoriae dicato:

*Miles ego Christi, Christo duce serno tyrannos,
Hereticos simul calco meis pedibus,*

*Parcere Christicolis me, debellare feroces
Papicolas Christus Dux meus en animat.*

Quinimo vix partem versiculi in nummo ferre potest, nisi forte sit Poetae cujusdam antiqui & feliciter accommodetur rei novae; inprimisque exagitat Germanos, patronos Chronoslicorum, quale illud in altero Gustavi Adolphi nummo: CHRISTVS DVX ergo trVMphVS, annum indicans non 1627, ut Noster ait, qui eo anno cusuin putat, sed 1632, quo primam Rex ille in Germaniam expeditionem suscepit. Ad figuras denique quod attinet, observat, nostris Principibus solenne esse, ut togam, tunicam, trabeam, paludamentum induant in nummis, cum contra Romani nunquam habitu Graeco seu Phrygia mitra se representari passi sint. Itaque indignatur, Gallos pariter Anglosque Reges quosdam Julii Caesaris habitu in nummis comparere, & modo Apollinem, modo Minervam in iisdem spectari: fieri enim non posse, quin post complurium saeculorum decursum, ceteris fere monumentis omnibus deperditis, cum soli nummi fuerint superstites, facile homines existimaturi sint Reges illos minimum semipaganos fuisse. Qua occasione minus probat Academiam Regiam antiquariam & nummariam Gallicanam, quae in Historia Ludovici XIV per numismata nunc crucem Servatoris, nunc clavam Herculis, itemque nunc Angelum, nunc Mercurium dederit, & mores Romanorum nimis presse secuta sit, ut cum bullam pinxerit, ut coloniam Gallorum in America indicaret; quanquam cetera Academicorum solertiam laudet. Magis tamen commendat Historiam Pontificum per numismata, quae ita comparata sit, ut emblemata pariter & inscriptio Ecclesiae Romanae capiti nunquam non optime conveniant.

VOYAGE HISTORIQUE D'ABISSINIE,

h. e.

*HISTORIA ITINERIS PER ABISSINIAM
a R. Patre HIERONYMO LUPO, Jesuita, peracti,
e Lusitano idioma in Gallicum translata pluribusque
Differ-*

Tomi II.

Amstelod. sumptibus Societatis, 1728, 12, ch. maj.

Tom. I pl. 15, Tom. II pl. 13 mapp. 2.

Quem sili Gallici puritas & rerum mirabilium varia narratio præcipue delectat, is librum hunc quavis laude dignum esse haud negabit. Non enim ipsum *Hieronymi Lupi* iter tantum, cujus versio vix quartam totius Voluminis partem occupat; sed Dissertationes præsertim & relationes a *Grandio* adjectæ, nitide sane & eleganter conscriptæ sunt, multaque curiosorum hominum, & quæ de longinquo narrantur avidorum, palatum excitantia continent. Quod si vero de historica veritate quis magis sollicitus sit, quam de historice ornamentis, is, vel *Lupi* vel *Grandii* narrationes usque quaque sibi satisfactorias, nos quidem sponsores non habebit. Zelus, quo uterque Societatis & Religionis suæ gloriam promovere studet, humanæ fortassis naturæ condonandus est, quæ ejusmodi maculas parum cavet: Quis vero non miretur *Grandii* audaciam? Qui cum in Præfatione hujus libri, se linguam Abissiniorum strenue ignorare confiteatur, nihilo tamen minus tot Dissertationes opponere non dubitavit excellentissimo *Ludolpho*, quo Europæorum neminem linguam istam magis calluisse, ipso *Grandio*, p. 223, idem affirmante, constat. Uter eorum rem acu tetigerit, Lectorum judicio definiendum relinquimus, quæ libro nostro continentur, summam recensuisse contenti.

Post Præfationem *Grandii*, quæ laudibus & elogiis R. P. *Hieronymi Lupi* vulgo *Lobo* dicti unice referta est, exhibetur statim historia duplicis itineris in Abissiniam a Lupo instituti, quorum primum, A. 1621 susceptum, plane irritum fuit: alterum anno sequenti inchoatum, *Lupum* quidem in Abissiniam perduxit; sed religioni catholicæ inter Æthiopes & Abissinios propagandæ parum profuit. Horum itinerum historiam excipit *Grandii* continuatio relationis de Abissinia, usque ad A. 1705.

Hanc sequuntur Dissertationes quindecim *Ludolpho* oppositæ, quarum I in genere examinat *Ludolphi* historiam Abissiniæ, II agit de Æthiopia & Abissinia, III de Nilo & litore orientali Africæ a *Melinda*, usque ad fretum *Babelmandel*, IV de Presbytero Johanne, V de Regibus Abissiniæ, eorumque Coronatione, Titulis, Reginis, Filiis, & modo administrandi justitiam, VI de Mari rubro & navigatione classium Salomonis, VII de Regina Sabæ. Hac Dissertatione Tomus primus hujus operis clauditur.

Tomus II sine ulteriori præfamine statim incipit a Dissertatione VIII de circumcissione Abissiniorum, quæ sequitur IX de conversione Abissiniorum, X de erroribus Abissiniorum circa doctrinam de incarnatione Jesu Christi, XI de Sacramentis, quibus Abissinii utuntur, imprimis de Baptismo & confirmatione, XII de Eucharistia & pœnitentiâ, XIII de extrema unctione, ordinatione Clericorum & matrimonio, XIV de invocatione Sanctorum, de miraculis, de precibus pro mortuis, item de jejuniis, imaginibus, & reliquis, XV de Hierarchia & regimine ecclesiastico apud Æthiopes.

His Dissertationibus subjiciuntur *Relationes & Epistolæ* aliquot, partim Legationem *Mourati Eben-Madeloun*, partim pericidium in *Dn. Roulium* ab Æthiopibus commissum, spectantes, quæ etsi in refutationem historię Ludolphianæ per indirectum etiam tendant; sigillatim tamen eas recensere supervacuum ducimus. Agmen denique claudit *Breve Urbani VIII* Papæ ad Imperatorem *Seguedum*, aliosque Æthiopiæ Proceres.

MEMORABILIA SCHENINGENSIA, Historię Brunovicensi passim inservientia, vetustiorum Documentorum, Diplomatum & Manuscriptorum autoritate corroborata & indice necessario instructa, expandit SIGISMUNDUS ANDREAS CUÑO, Lycæi Ducalis Anna-Sophianei apud Scheningenses in patria Rector.

Brunsvig.

Brunsvig. & Lipsf. impensis Sim. Jacobi Rengeri, 1728. 4.

Alph. 1 pl. 22.

GRati animi specimen editurus in urbem *Scheningam*, cui natales suos debet, quamque non illepide cum *Ithaca* Ulyssis patria in Præfatione hujus libri comparat doctissimus Autor, haud perfunctoriam illius oppidi, *Helmstadio* vicini, historiam edidit, eamque per octo Capita deduxit, quorum I de urbis *Scheningæ conditore*, nomine atque antiquitate inquirat, II dictæ urbis *situm* ob oculos ponit, III potiora *Scheningæ ædificia* commonstrat, IV puram in Ecclesia & Schola *Scheningensi religionem* ejusque propagatores utrobique commendat, V nobilem *Scheningensium popularem*, Archiepiscopum quondam Moguntinensem, *Wiligisum* detegit, VI mæsta *Scheningæ fata, bella, incendia & pestem* recenset, VII de *rivo* *Scheningam* perfluente, nec non *aeris* *Scheningensis* elementia, tractat, VIII vero *soli* *Scheningensis* fertilitatem & amœnitatem, *incolarum* item vitæ rationem describit. Adjecta his Capitibus *Appendix* vetustiora comprehendens Documenta & Diplomata, ipsam historiam mole sua superat.

Laudanda maxime est doctissimi *Canonis* diligentia, qua nihil non investigavit, nullum lapidem non movit, ut urbem patriam, ab aliis incelebratam, celebriorem redderet; præsertim cum admiscuerit hac occasione non pauca scitu digna & *Historiæ Brunovicensi passim inservientia*; quo imprimis referimus ea, quæ capite III de *S. Laurentii Cœnobio* apud *Scheningenses* operose recenset & in *Appendice* varie illustrat. Sicuti interim in historiis, cæte vetustis, labi facile est: ita qui nodos quærunt, etiam hic invenient. Inter alia statim in limine offensum & *cap. I §. 5* pagus *Schoningen* prope *Uslariam* in Ducatu *Gottin-* *gensi*, cum oppido *Scheningen*, prope *Helmstadium*, in Ducatu *Guelpherbytano*, manifeste confusus esse videtur. Quem eundem errorem per integrum *caput V* ne doctissimus Autor erraverit, veretur; quod non tantum omnia argumenta, quibus *Wiligisum Scheningensium popularem* fuisse probare annitur, præter vocem populi, quam hic Dei esse non contendet, admodum debilia sunt: sed in *Epitaphio* etiam *Archiepiscopi Mogun-*

guntini p. 91 ex Serrarii lib. V descripto, patria Wiligisi (quam *Schoningen*, non *Stromingen*, appellandam esse concedamus) *Saxonia Villa* vocatur: hæc denominatio vero non convenit *Scheninga* Autoris nostri patriæ; quippe quæ jam inde ab Heurici Aucupis ætate urbis vel oppidi nomen decusque gessit, vid. p. 12 optime vero *pago Schoningen*. Huc accedit, quod pagus *Schoningen* ab antiquo *Diœcesi Moguntina* subjectus fuit; oppidum vero *Scheningen* ad *Episcopatum Halberstadiensem* spectavit: ut adeo facile credi possit, jam inde a puero propiorem Wiligiso aditum ad Moguntinam, non ad Halberstadiensem Ecclesiam Scholamque præbitum fuisse.

Sed hæc, cum levia sint, minime impediunt, quia Viri doctissimi opera in gloriam patriæ suæ tam alacriter impensa, omnes laudes nostras longe exsuperet, & eruditorum applausum suo jure sibi deposcat.

LIVINI MEYERI, E SOCIETATE JESU
Poematum Libri duodecim.

Bruxellis, typis Henrici Frick, Typogr. Cæsarei, 1728, 8.

Alph. 1.

DE felici *Livini Meyeri*, in virtutum vitiorumque moralium expositione, poetandi genere, quid existimemus, ad A. 1694 in his *Actis* abunde declaravimus, cum incomparabile ejus carmen, de *Ira*, recenseremus. Idem Poeta jam nullo alio in genere se sibi inferiorem monstrat, editis hisce *Poematum* libris duodecim; nempe uno *Lyricorum*, quatuor de *Ira*, *Elegiarum* itidem quatuor, & tribus de *Institutione Principis*: quorum omnium approbationem *Censoris Hermannii Damenti* S. Theologiæ in Universitate Lovaniensi Doctoris Regentis, &c. libro huic præfixam huc transcribere lubet: *Quod Lipsienses, viri sane doctissimi, qui eruditorum opera & censent & compendio referunt, de tribus libris, de Ira, judicium pridem protulerunt, quod videlicet ad veterum Poetarum elegantiam perspicuitatemque aspiciant, si non & aliquos in his rebus superent: id jure meritisimo de novem reliquis libris, quos Livinus Meyerus,*

rus,

rus, *Vir in Theologica non minus palastra, quam in Poetica arte, excoltissimus, conscripse, censebunt omnes, qui vel tantillum de Heliconio fonte biberunt. Etenim hoc ipsi singulare est, quod ubique nisceat utile dulci, nec minus Lectores ad morum honestatem incitet, quam cantando delectet &c.* Inquam sententiam & nos pedibus imus.

Ut autem iis, qui *Livini* nostri Hexametros Pentametrosque tantum viderunt, etiam liqueat, quantum in *Lyricis* praestiterit; speciminis causa partem *Oda XII*, quae simul diligentiae & modestiae *Autoris* nostri locuples testimonium est, describemus.

Ad Amicum hortantem, ut carminum libellum quam primam luce donarein.

Quid me difficilis censor inertiae

Damnas immeritum? Parce recentibus

Uvis, exigui quas mora temporis

Maturas tibi porriget.

Curas adde graves. Non ego Tusculis

Vates deliciis rusticus immoror:

Me nec villa tenet, fontibus & sacra

Perlucens nemorum coma.

Heu! Pallas studio damnat, & artium

Divinarum adytis sollicitum implicat.

Quem Phoëbo tribnam, arius integer

Furtim surripitur dies.

Hæc te scire juvet: carmina ne putes,

Fungorum in numerum, crescere noctibus &c.

Quod reliquum est, votum nostrum, recensionis librorum de *Ira* adjectum: *ut nempe reliquas sapientiae partes, eadem vena florantissima felicitate, excolere Vir eruditissimus pergat, cumulate implevit, in Libris de Institutione Principis, quos Leopoldo invictissimi Imperatoris Carpi VI filiolo, τῷ vñ ἐν ἀγλοῖς, inscripsit.*

Istius igitur in locum, nunc aliud concipimus votum, illud scilicet, quo *J.G. Kerckberderus* epigramma suum in *Meyeri Institutionem Principis* claudit:

E e e

Occidit

*Occidit heu! lecturus erat qui carmina Princeps,
O ventas tantum qui legat alter opus!*

**CONSECRATIO ERNESTI PII SAXO-
niæ Ducis &c. interprete ERNESTO SALOMO-
NE CYPRIANO Theol. D. Consiliario Confist.
& Ecclesiastico.**

Gothæ, excudit Jo. Andr. Reyherus, 1729, fol.

Plag. 22.

ET si Panegyricos sermones producere vix patitur instituti
nostri ratio, in tanta imprimis librorum justæ molis copia,
saltem tacenda nobis non est nupera solemnitas, qua placuit sum-
mo Principi, *Friderico II*, Gothano Saxonum Duci, beatissimi
Avi sui, *Ernesti Pii*, memoriam die 26 Martii hujus an-
ni pia ceteronia & honorariæ statuz exstructione celebra-
teque sermonis panegyrici, quem hic sistimus, ut & nummis
in hanc rem culis post annos LIII, ex quo divis adscriptus est,
renovare. Ipsa statuz honorariæ Inscriptio ita se habet: *D.
O. M. S. Cui ob religionis evangelicæ tuitionem, pietatisque
studium tota Europa predicatum, ac disciplina ecclesiasticæ,
quæ rei Christianæ scipio est, instauracionem prosperam, Pii co-
gnomen grata posteritas tribuit, Germanâ virtute Princeps,
Ernestus, Saxonie Dux, Joannis Friderici Electoris, puriora sa-
cra, etiam in captivitate, & comminationibus potentissimorum
Principum confessi, pronepos, juxta cum sanctissima conjuge, Eli-
sabetta Sophia, Altenburgicâ, in hoc choro expectat resurrectionem.
Prestantissimus hic recti moris vindex sub Gustavo Adol-
pho, Succorum Rege, magis quia patria auxilium negare nequi-
verat, quam quod armorum amans esset, decies præliatus Pa-
ponhemii impetum ad Luzenam compressit, fratrisque Bernbar-
di vice Franconiam Orientalem ea animi moderacione rexerit, ut
Episcopus in pristinam dignitatem restitutus sateretur, in pu-
blica privataque re sancte ac frugaliter dispensanda se ab Ec-
nesto superatum. Pacata Germania avita regioni, fame, mi-
lite ac peste miserabiliter devastata, Bibliorum sacrorum in do-
mor,*

mor, Catechismi in templa, iustitia in curias inductione, paucis annis fecunditatem, opulentiam, vitam cultum honestat. vque dedit, in æconomia, in arte rectoria, in pietate, in omni virtute Princeps, egestateque ac calamitatum publicarum usu, ditescendi rationem perdoctus Fridensteinii conditor, esvium suorum paterque pater, pensitator meritorum, remunerator laboris, eruditorum hominum illustrator magnificus, natura & sacra scriptura indefatigabilis scrutator. Toto imperio sic floruit consilii autoritate, ut controversiarum inter Principes maximos arbitrer nominaretur a Casare, eligeretur a disceptantibus, idemque sonaret per Germaniam, sapienter imperare, & Ernestum Gothanum imperando imitari. Obiit autem anno LXXV orbis redempti MDCLXXV in arce Fridenstein, tota vita expertus, quod janti in beatâ immortalitate cumulatus experitur, pietatem ad omnia utilem esse. Avi optimi pios cineres veneratus H. M. P. Fredericus II, Dux Saxonie Gothanus. A. O. R. MDCCXXIX. Neminem vero pœnitebit ipsam Panegyrim legere, quæ rebus non adeo vulgaribus refertissima est, & notis curiosissimis illustratur; nec sine voluptate legi merentur, quæ seorsim ultimo loco accessere. *Adversaria historica*, quibus Bernhards Magni Ducis Saxonie Vinariensis, qui Ernesti nostri frater fuit, vita & Germanici Suecorum belli funestissima periodus illustrantur, ex Tabulario Gothano a Celeb. Cypriano edita; quibus non solum suorum Regum ac Principum, Ferdinandi III Imp. Christianæ Reginæ Sueciæ, Christiani IV Dan. Reg. sed & Virorum illustrium, Oxensieruæ, Savelli, Grotii, Baneri aliorumque Epistolæ aliaque monumenta, ad Bernardum spectantia, continentur.

SUPPLEMENTUM NOVUM PURPURÆ

doctæ, seu vitæ, Legationes, res gestæ, obitus, aliaque scita ac memoratu digna eorum S. R. E. Cardinalium, qui in tribus Purpuræ doctæ Voluminibus hinc inde desiderati, nunc vero restituti sunt, in Libros IV divisi, ac collecti

Ecc 2

per

per **GEORGIUM JOSEPHUM AB EGGS**,
 SS. Theol. Doct. Cesareo - Archiducalis Collegiæ Eccl.
 ad S. Martinum Rheinfeldæ Canon. Senior.
 & Custodem.

Augustæ Vindel. & Græzii, sumptibus Phil. Mart. & Jo. Veih
 hæredum, 1729, fol.

Alph. 4.

Qui Pontificum doctum, seu vitas Pontificum Rom. qui eru-
 ditione & scriptis inclaruere, usque ad Clementem XI
 Col. 1718, fol. & quinquennio fere ante *Purpuram doctam* seu
 vitas, legationes & res gestas S. R. E. Cardinalium DCXXI
 qui ab A. 540 ad nostram ætatem eruditione & scriptis incla-
 ruerunt, Libris VI, qui tribus Voluminibus compingi solent, Mo-
 nachii 1714, fol. non sine plausu edidit summe Rev. Autor, ex eo
 tempore animadvertens, non paucos in hoc præcipue Opere ad-
 huc desiderari Cardinales eruditos, Supplemento hoc collegit
 prodiditque prope quadringentos, sibi antea ignoratos, de quibus
 Romæ ac aliunde varias suppetias accepit, ordine quidem sibi
 recepto, ut ad annum sedulo respiceret, quo quilibet eorum ad
 purpuram assumtus est; eundemque sub Promotore suo Ponti-
 fice collocaret. Cum verò hic multi inprimis locum invene-
 rint, qui postremis annis decessere, in quibus ultimum locum
 occupat Gozzadinus, superiori demum anno mortuus, non dif-
 fitetur Autor, se pleraque de eorum vita ex eruditi Conlinii
Roma Sanctæ, paucis admodum immutatis descripsisse. Con-
 secratum est hoc Supplementum Eminentiss. Cardinali *Wolfgan-
 go Annibali* e Comitibus *de Schrattenbach*, Protectori Germa-
 niæ, Episcopo Olomacensi, S. R. I. Principi, cujus & pulchram
 Iconem præfert, unde Nostro nata occasio, ejus vitam & acta ex
 fidissimis tam domesticis quam publicis documentis seorsim
 præmittendi; e quibus nonnulla hic notata non indigna repe-
 tere lubet. Singularis munificentæ Schrattenbachianæ docu-
 mentum affert Autor, dum eum Cesaris Romæ Legatum A. 1713
 natum ei primogenitum Leopoldum magna pompa nuntiasse
 refert, eundem testatur gaudio plenum L. nobiles virgines Ro-
 manas,

manas, parentibus orbas & opibus honestis matrimoniis suo ære collocari curasse, singulis earum congruam dotem CL florenorum assignando. Dum de Corcyra servata obiter agit, non solum observat, Divi Spiridionis, quod ibi colitur, corpus, cum instante obsidionis metu alio transferendum esset, nulla vi externa, nulla arte e sua statione dimoveri potuisse, sed etiam huius tutela factum, ut Jupiter imbres & fulmina mitteret in hostes, eoque huc tractum Aufonii fuisse versum, qui annum 1715 comprehenderet:

p. 11.

De Cælo VVLnera Missa pVtes.

Mox & notat, Temeswariz 1716 d. 12 Oct. a Cæsareis occupatæ portæ præcipuæ ad rei memoriam lapidi inscriptum:

12.

teMesVar oCCVpata a Deo & EVgenio est.

Ceterum quæ Prorex feliciter per triennium & amplius gesserit in Regno Neapolitano, pulsa fame & ditato ærario, quanta cum laude interfuerit A. 1721 Comitibus Apostolicis, pro nova Pontificis electione Romæ indicis, quam prudenter denique Olomucium redux Episcopatum in hunc diem rexit, Eminentiss. *Schratzenbachius* apud Autorem legi meretur.

13.

Gelehrtes Pommern,

h. e.

POMERANIA DOCTA, SEU SYLLABUS
alphabeticus quorundam doctorum Virorum, in Pomerania natorum; Autore AMANDO CAROLO VANSELOW, L. L. C.

Stargardiz, sumptibus Autoris, 1723, 4.

Plag. 26.

NON inutilem laborem suscepit Cl. Autor, quando in Posenii & Jac. Colbergii locum fere succedens, vitas doctorum Pomeranorum, quas illi nequicquam promissere, in lucem tandem edere tentavit. Produxit hic eruditos prope CCCL, in quibus sunt quidem mediocriter docti, de quibus prolixius agit Noster, cum contra de Viris celeberrimis aliquando parcius agere

Ecc 3

coactus

- coactus fuerit, quod documentis melioribus destitutus esset. Jucundum vero erit, hinc passim cognoscere de Operibus anecdotis, maxime quæ ad Historiam Pomeranicam vel vicinam pertinent, cujus rei speciem dabimus. Ita *Jo. Fridericus Chemnitzius*, Bogislai Philippi, qui Historiam belli Sueco-Germ. tricennalis dedit, frater, *Chronicon Meclenburgense* duobus Tomis in sol. nec non *Epitomen Geneal. historicam omnium Principum Meclenburg. e regia Obotritarum prosapia ortorum*, & *Genealogiam Ducum Meclenb.* reliquisse dicitur, quæ in Archivis custodiuntur. *Thomam Kanzow* multa, testatur Autor, de rebus Pomeranicis collegisse, quæ moribundus A. 1542 transcripserit amico suo *Nicolao de Klemptow*, hunc vero ea digessisse & continuasse sub titulo *Pomerania*, quo libro vernaculo multa continentur, quæ Cramerum & Micælium latuerunt. *Ottone* quoque *de Rammin*, Jo. Friderici Pomeraniæ Ducis Cancellarium, *Chronicon Pomeranicum* ineditum composuisse refert, de quo viro præterea observat, quod intra octodecim menses plus quam bis mille milliaria Germanica confecerit, nunquam capitis dolores senserit, nec unquam somniaverit. Præterea feminas quoque doctas e Pomerania producit Cl. Autor, *Euphrosinam Auin*, Colbergæ 1677 natam & 1715 inortuam, Græcæ, Latinæ, Gallicæ linguæ callentissimam & in Poesi Germanica valde exercitam; *Apolloniam Elisabetham de Massow*, Priorem Monasterii Stolpensis, quæ hymnos vernaculos multum pietatis spirantes reliquit; & *Sibyllam Schwarziani*, quæ jam anno ætatis decimo tertio, Poetas sui temporis prope omnes vernaculi carminis venustate superasse fertur, præmature fato, anno nempe ætatis decimo 1638 rebus mortalibus erepta, cujus Poemata M. Sam. Gerlach edidit Dantisci 1650 in 4.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE, &c.
h. c.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBRIS
in Rep. literaria virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum a quoque scriptorum, de iisque judicium.

Tomus IV.

Tomus IV.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium; 1728, &
Alph. 1 & pl. dim. 12.

Hic exhibetur Vita triginta trium ingenio celebrium viro-
rum, annexo librorum ab iis compositorum Catalogo.
Primum locum tenet vita Petri *Abelardi*, mortui 1142, ac simul
indicatur, scriptorem *Vita Abelardi*, a nobis A. 1721 p. 263 re-
censitæ, esse Abbatem *Gervasium*. Non autem hic exhibetur
simplex epitomè libri *Gervasiani*, sed suo ingenio usus hæc de
vita & libris *Abelardi* diligentissime congescit *Papillonius* qui-
dam. Idem Auctor est *Vitæ*, quæ sequitur, *Jacobi Amioti*, (m.
1593) ac initio miratus, nec *Belium* nec *Sammarthanum* inspe-
xisse vitam *Amioti* ab ipsomet conscriptam, summa diligentia &
fata ejus & libros eorumque editiones persequitur. Sequitur
vita *Marcelli Malpighii*, m. 1694, *Thomæ Hobbesii*, m. 1679,
Sam. Sorbierii, m. 1670, *Scipionis Ammirati*, m. 1600, *Phil. Ver-
beynii*, m. 1710, *Jo. Wilkinsii*, m. 1672, *Francisci Hedelini d' Au-
bignac*, m. 1676, *Petri Poireti*, m. 1719, *Germani de la Faille*, m.
1711, *Laur. Begeri*, m. 1703, *M. Zuerii Boxhornii*, m. 1653, *Jo. Ju-
stini Ciampini*, m. 1698, *Nicolai Lemery*, m. 1715, *Ant. Maglia-
becchii*, m. 1714, *Casp. Sagittarii*, m. 1694, *Jo. Bapt. Cotelærii*, m.
1686, *Barth. Carranzæ*, m. 1576, *Thomæ Linacri*, m. 1524, *Ca-
roli le Coïnte*, m. 1681; (Hæc vita a *B. D. L.* scripta & hic pri-
mum edita singularem laudem meretur,) *Jac. Barnagii*, m.
1723, *Joan. Alberici*, Gallice *Aubrey*, m. 1700, *Joan. Serrani*, m.
1598, *Ant. Urcei Codri*, m. 1500, (observatur hic, hujus viri vi-
tam haud bene confectam esse a *Belio*.) *Joan. Bapt. Thiersii*, m.
1703, *Josephi Pittoni Turnesfortii*, m. 1708, *Raph. Fabretti*, m.
1700, *Joannis Claudii*, m. 1687, *Joach. Kuhnii*, m. 1697, *Gabr.
Fallopii*, m. 1562, *Josephi Salvatoris*, m. 1716, *Barthol. d'Herbe-
lot*, m. 1635. Quinti Tomi recensionem proxime dabimus.

SCHURTZFLEISCHIANA, EX SCHOLIS
celeberrimi illius Polyhistoris collecta, editore
IRENÆO SINCERO.

Vitem.

Vitembergæ, ex officinâ Schlomachiana, 1729, 8.

Tom. I pl. 4½, Tom. II pl. 4, Tom. III, pl. 4½.

Sarciniana celeberrimi *Schurtzfeischii*, fervente adhuc ætate conscripta, Auctori suo magnam eruditorum & invidiam & gratiam conciliarunt. Mirum quantum sit mutatus *Schurtzfeischius* ab illo, libelli ab *Irenæo Sincero*, nescio quo, divulgati, tituloque *Schurtzfeischianorum* ornati, aperte fati testantur. Multum superbit Editor nomine admiratoris *Schurtzfeischii* etiam post mortem perpetui, ut & olim auditoris. Sed melius forte de præceptore suo meritis fuisset, hæc si *Schurtzfeischiana*, vel omnino non vel culta magis politaque, in lucem emisisset. Per nostrum testamur animi candorem, paucissima notatu digniora, in legendis hisce libellis, a nobis detecta fuisse. Crambe bis, imò centies, cocta, denuo magna cum nausea apponitur, quum tamen certo certius teneamus, *Schurtzfeischium* in scholis suis ea sæpe auditoribus tradidisse, quæ alibi aut nusquam aut raro admodum apparent. Quin etiam, privatos inter parietes tam candide de libris eorumque auctoribus judicavit, ut majori utique laudi fuisset Editori, si familiares hos sermones edere & potuisset & voluisset; idque vel propterea, quia a libris in *Ana* desinentibus, singularia ejusmodi desiderant omnes. Quæ nunc divulgavit, trita nimis sunt, nec debita animi attentione calami-que velocitate excepta. Miramur profecto, beate defuncto viro subinde adscribi, quibus olim adversum tenuit: Cujus id factum sit culpa, scribæ an editoris, nostrum non est dijudicare; id unum tuti affirmamus, genus scripturæ *Schurtzfeischio* dignum satis non esse. Accedit, quod ipse in lectionibus pleraque lingua vernacula exposuerit, quæ hic, latinitatis jure donata ab editore, leguntur. Quod si quis majorem assiduitatem adhiberet, nec, ut moris est, paleam tritico anteponeret, certe multa ex MSS. Vinaris & alibi passim servatis addere posset. Denique nequaquam tolerandum est, candorem dicendique libertatem *Schurtzfeischio* olim propriam, nusquam fene apparere, unde quis omnia aut forsan immutata quædam suspicaretur. Pauca igitur, & ea notatu digniora lectoribus nostris referemus.

Tomo I sententiæ, quas Schurtzfeischius de scriptoribus

anti-

antiquis & recentioribus tulit, continentur sexaginta quinque. Peculiarem de Symmacho fovet opinionem p. 13, ac si male seculo sexto adscribatur, quum quarto floruerit: id quod tribus potissimum rationibus comprobare studet, α) quia ad Ausonium Poetam literas dedit, β) Prosper in Chronic. idem testatur, & γ) filii indoles eandem conjecturam confirmat. *Jo. Lud. Vivem* filii æquabilitate superasse Erasmum Roterodamum, censuit p. 17. Num hic editor satis sincere egerit, & *Schurtzschii* animum rite olim perceperit, vel propterea dubitamus, quia in prælectionibus MSS. ad Schraderi Tabul. Chronol. aliter plane judicat. Insetta est ab editore Georgii Agricolæ epistola a p. 18 ad p. 28, de imagine Christi cruci affixi, quam Senatus Zuickavien- sis servat: quæ eisi lectu dignissima, nescio tamen quo fato suo inter Schurtzschiana locum reperiat suum. De *Jo. Chryso- stomo* p. 36 ita judicat, ut contrariam prorsus sententiam defendat in prælectionibus MSS. ad histor. Eccles. Gothan. De *Mar- co Lycama*, eei singulare quidpiam p. 38 refertur, quod vinum Campanum habuerit pro pessimo, quæ omnium fere una vox fuit unaque opinio. *Janus Doufa* annales Batavos edidit, quibus *Schurtzschius* notas manu sua adscripsit, quas tamen lucem nondum vidisse, perhibet editor p. 40. *Phil. Camerarii* horas subcivitas & laudat & taxat p. 41, sed *Sim. Majoli* dies canicula- res concionatoribus; oratoribus & philosophis utiles existimat p. 42. Reprehendit & ibidem in *Seb. Castaliæ* cum aliis mul- tis, quod, compositum scribendi genus nimis affectans, gravita- tem S. Scripturæ per omnia haud fuerit assequutus, & a rerum majestate longe discesserit; imprimis ad Cantici Salomo- nei librum, pingui Minerva usum, judicioque & prudentia la- psus, opinatur. *Bened. de Spinoza* moribus anhelasse De- um, refert p. 50. *Justum Lipsium* a doctrinæ præstantia com- mendat p. 52, nimio tamen poetico studio filii jacturam fecisse, omnibusque imitationem Lipsii dissuadendam judicat.

Tomo II p. 2 expertem linguæ Græcæ *Dupinium* autumat. Nec honorifice magis de *Nizolii* thesauro Ciceroniano p. 12 sen- tit, Ciceronianæ dictionis naturam eum haud fuisse assequu- tum: Cujus asserti contrarium denovo ex prælectionibus MSS.

In histor. liter. patebit cuilibet. *Q. Curtii* historiam, trecentis abhinc annis, ab Italo fortasse quodam erudito compositam, vel ideo p. 42 affirmat, quod a nullo veterum excitata fuerit. Postea p. 47 editionem Gruterianam Opp. Ciceronis, quæ Hamburgi A. 1618 prodijt, omnibus præfert, & a Gronovio juniori repetitam asserit: quo ipso, vel *Schurtzseischius* vel auditor ejus, humani quid pallus videtur, cum inter omnes constet, Gronovium editionem Gruterianam cæu longe mendosissimam rejecisse, hisque de causis novam parasse.

Tomus III complectitur *Schurtzseischii* sententias, de Homero, Hesiodo, Æschylo, Euripide, aliisque latas scriptoribus Græcis, qui vel soluta vel adstricta scribendi ratione usi fuere. Quæ hic de Nilo Autorum proferuntur judicia, quæque de vitis eorum annotata sunt, maximam partem digniora videntur *Schurtzseischio*, quam quæ duobus prioribus libris continentur. De *Aristaneto* p. 48 paucissima editor nobiscum communicavit, quam tamen ex Actis Literariis *Schurtzseischianis* constet, ipsum in Epistolas Aristaneti notas composuisse, quarum partem edidit frater ejus *Henricus Leonardus*. *Mart. Polorum*, vitio quorundam hominum, in historia Pontificum, nominatim in historia Joannis Papæ, ad sæculum nonum pertinentis, corruptum valde & mutilatum fuisse, memorat p. 54. In *Dominici Baudii* induciis belli Belgici, sub nomine *Latini Pacati* vulgatis, desiderat momenta prudentiæ civilis, p. 55. Reliqua aut vulgarem sapiunt doctrinam, aut in ceteris, qui prostant, *Schurtzseischii* libris plenius ornatusque deducta leguntur.

GRATIANI ASCHPANI DE SUPERSTITIONE erulita seu literaria libellus.

Coloniæ 1728, 8.

Plag. 8.

Ingens inter eruditos malum est superstitio, atque adeo late patens, ut non rudiores tantum aut literarum vel plane expertes, vel infimum saltem inter eruditos locum tenentes, ridiculos ea sese dederint; aut qui sectatorum nomine invis, nihil
rectum

rectum, nisi quod antiquitatem sapiat, aut cum aliorum institutis conveniat, putant; verum ii quoque, qui autoritate doctrinae que flore ceteris antecelluerunt, vitio hoc fuerint infecti.

Quæ literariæ hujus superstitionis indoles sit, quæve ejus facta fuerint, exponere, tum quibus ex fontibus ea sit derivanda, quæ mala eam sequantur, & quâ ratione obviam illi eundum sit, docere hocce Opusculo Cl. Autor constituit. Scilicet per superstitionem eruditam intelligit illud intellectus voluntatisque humanæ vitium, quò affectu, quam par erat, propensiore, &, quæ hinc provenire solet, præpostera exsultatione & res literarias & literatos vitos prosequimur. Hæc ita accidere copiosis exemplis ex antiqua recentiorique historia petitis comprobatur. Atque hoc ordine Capituli I Sectione, generatim de superstitione erga viros literatos agit, & docet, ab Ebraeis, Ægyptiis, Persis atque Indis itæmque Græcis ad Ecclesiæ patres eam esse translata: post ad Scholasticos doctores pestem hanc mansisse; quorum Philosophia eversa, in scriptores quosdam cum antiquos tum recentiores, quin imò in feminas quoque eruditas, nominatim Westmanniam & Schurmanniam latos esse supersticiosos eruditionis admiratores. In hunc censum imprimis venit Aristoteles; cujus cæca admiratio non integras solum pervasit civitates, sed quosdam eam etiam adduxit, ut inter sanctos eam retulerint; divinitusque ad scribendum crediderint adactum; qui sane extremus eruditæ superstitionis gradus est.

Sectione II, de superstitione erga viros literatos speciatim, diversa, quibus ea sese prodidit, genera enumerantur. Quo pertinent imprimis tituli, qualibus olim Judæorum Rabbini, post Scholastici Doctores, denique superiori & hac nostra ætate haud pauci sunt compellati; itinera ad eruditos inepte ac sine legitimo fine suscepta; inepta morum, vocis, stili nominisque imitatio, a qua stultitia vindicantur Lutherani a B. Luthero nomen indepti. In defunctos etiam sese exserit cultus iste signis nimis lætus, vitarum descriptionibus, quibus levissima quævis annotantur; vitia silentur, laudes in cælum evehuntur, aliisve modis. Superstitiosi hujus cultus speciem imprimis ferunt libri in *Ana-* desinentes, ut Menagiana, Scaligeriana: ex eo enim factum est,

ut singula viri cujusdam celebrioris acute dicta in hos libros fuerint congesta. Cum vero non personis solum eruditis, sed rebus etiam ad eruditionem pertinentibus cultus hic præstitus sit, hinc Sect. III, quæ de superstitione erga res literarias agit, primo loco ponuntur libri, qui scilicet eruditæ superstitionis materiam præbent, si quando literati viri unum reliquis anteferrunt omnibus, quo familiariter utuntur, quem neglectis spretisque reliquis solum, qui legatur, dignum judicant: vel si librum ab erudito usurpatum quovis cimelio majoris æstimant, vel si splendidius, quam par est, libros exornant. Eadem facta experiuntur interdum eruditorum supellex & res aliæ, quæ his fuerunt usui, operose a nonnullis conquistæ conservatæque; nec non Manuscripti Codices, nummi ac lapides itemque autores antiqui: atro imprimis calculo notantur ii, qui in Latina lingua omnem eruditionem positam esse, existimant, adeoque neglectis bonis doctrinis huic studium suum unice tribuunt.

Quæ causæ & effectus sint eruditæ hujus superstitionis, Capite II exponitur. Est enim duplex ejus fons, alter ab idololatriis, ab idolis eruditis alter derivandus: & in his quidem varia momenta externa in oculos, sensusque incurrentia valent ad præposteram eruditorum existimationem aliis excitandam. Multum hac in re potest corporis forma habitusque vel magnificus vel neglectus; ætas vel juvenilis vel ingruens, munera satis ampla & copiosa cum præclarâ eruditione conjuncta, obscurum scribendi genus, ac plura hujusmodi alia. Ex parte idololatræ eruditorum in horum temperamento pleræque causæ hujus superstitionis querendæ sunt: nam qui sanguineo gaudent, non solum gestibus & verbis, sed adulatione etiam aliorum amicitiam querunt; qui melancholico instructi sunt, eos sibi conciliari curant, quos sibi vel obscuros vel profuturos vident. Acceptorum quoque beneficiorum cunivulus facile efficit, ut gratum animum clientes declaraturi, in extrema delabantur. Ejus denique effectus sunt, ut negligantur officia erga Deum, dum honor soli creatori debitus, creatis rebus hac ratione tribuitur: erga homines alios, dum iis, qui superstitione coluntur, ad fastum aliorumque contemptum sternitur via: atque erga se ipsum, quan-

doquidem fieri non potest, quia in præjudicatam autoritatis vel propriæ dissidentis opinionem se ipsum præcipitet perverfus eruditorum existimator. His malis paratur medicina.

Cap. III de Remediis superstitionis eruditæ partim generalibus agit; ubi cogitandum esse monet, vel eruditissimos viros homines esse, eorumque scientiam, modo non scientiæ gloriolam affectent, multis laborare imperfectionibus, quam tamen sibi comparandi omnibus, quæ modo cunque desiderari poterant, mediis, nonnunquam illicitis etiam minusque honestis, fuerint instructi; partim specialioribus, ut singuli superstitionis eruditæ fontes Capite II expositi præcludantur, caulæque, ex quibus ea proveniat, removeantur.

SINGULARIA DE VIRIS ERUDITIONE
florulentibus, ex scriptis tam Latinis quam externis collecta,
& juxta ordinem Alphabeticum disposita ab
ANTONIO MUSA.

Wittenbergæ, apud Christian. Theophil. Ludovici, 1728, 8.

Plag. 10.

Superstitionis literariæ genus esse paullo ante vidimus, cum levissima quævis de viris eruditis annotantur, vitia eorum silentio prætermittuntur, atque contra laudes in cælum tolluntur. In hujus vitii suspensionem præsens tractatus venire non potest, qui eruditorum mores eorumque præcipuas cum virtutes tum vitia libere ac ingenuè enumerat; singularia itidem fata; quibus isti usi sunt, exemplo Vincentii Paravicini, Itali, qui singularia de viris eruditis publici quoque juris fecit, magno eorum subsidio, qui historiæ literariæ addiscendæ cupidi sunt, percenter; quem laborem in Præfatione continuaturum se pollicetur. Equum enim est, ut quum ad summum fastigium hodie eversa sit historia literaria cum omnis, tum virorum eruditione clariora plenior cognitio, non in qualicumque generali horum notitia acquiescamus, sed ad ea ante omnia advertamus animum, quæ plane singularia ipsis acciderunt. Ad hunc ergo modum virorum quorundam eruditorum vitas secundum ordinem Alphabeticum

Fff 3

per-

percurrit autor, v. c. In litera A Nicolaus Amsdorffius, nobill
 stirpe oriundus, raro exemplo Theologiæ operam dedisse, Cor-
 nelius Agrippa magis a quibusdam accusatus, Rudolphus Agri-
 cola natura negligentior & inciviliior fuisse, Johannes Arndius
 vitam his verbis refertur finivisse: Wir sehen seine Herrlichkeit.
 Ex litera B v. g. Johannes Bertrandus singulis diebus domiicis
 sacra Eucharistiæ communionem usus, Balch. Bebelius Wittebergæ
 inter orandum in suggestu apoplexia tactus, Bened. Balduinus
 ex sutore celebris Theologus factus, Buceri ossa Mariæ Angliæ
 Regiæ jussu effossa & cremata, Dominicus Baudius ebriofitate
 mortem sibi accelerasse narratur. Ex litera C Conradus Celtès pri-
 mus ex Germanis manu Imperatoris Friderici III in arce Norim-
 bergensi Poeta Laureatus coronatus esse, legitur. Atque eadem
 methodo per singulas literas reliquas, eruditorum singularia per-
 censentur.

JO. GÖTTL. HEINECCII, JCTI, CONSIL.
Aulæ Regiæ Pruss. & in Ill. Viadrana Pand. & Phil. Rat.
& Mor. Prof. P. Ord. Elementa Philosophiæ Rationalis &
Moralis ex Principiis admodum evidentibus justo ordine
adornata. Accessere Historia Philosophica & Index
locupletissimus.

Francof. ad Viadrum, impensis Jo. Godofr. Conradi, 1728, 8.

Alph. 1 pl. 42.

PRÆTER opinionem accidit, ut a Jurisprudentiæ studio ad præ-
 stinos amores, Philosophiam aliis tradendam, revocatus sit
 Excellentissimus Heineccius. Quæ mutatio ejus appulit quoque
 animum ad emitenda hæc Philosophiæ rationalis & moralis
 elementa. Et hanc reliquasque editionis hujus causas, & quid In-
 stitutionibus hisce præstitit, ipse uberius in Præfatione exponit.
 Id nimirum se egisse, commemorat, ut in Logica quidem omnia
 præcepta, omnis nugis Scholasticorum, ad finem unice refer-
 ret; inveniendam scilicet, dijudicandam, communicandamque
 cum aliis veritatem: quam ob rem doctrinam de ideis accuratius
 imprimis tractavit, ostenderitque, quomodo quilibet comparatis
 sibi

sibi ideis claris, distinctis atque adequatis, definitiones ac divisiones rite formare, ex earum comparatione varias propositiones, axiomata, postulata, theoremata, problemata, corollaria elicere, inventam denique experiendo, legendo, meditando disputandoque veritatem cum aliis communicare possit: quæ præcepta in scholijs subjectis non paucis iisque perspicuis illustrantur exemplis. In morali doctrina methodo Medicis multisque Philosophiæ ac Theologiæ moralis Doctoribus familiari, mentis humanæ naturam, hominum mores & vitia, horum signa & characteres, naturam boni cum generatim, tum sigillatim summi ac præstantissimi boni, & denique media ad hoc pertingendi explicasse se docet. Subjectæ notæ convenientiam hujus philosophandi rationis cum aliorum Philosophematibus, quin & cum divinâ revelatione exhibent.

Præmissa his doctrinis est Historiæ Philosophicæ epitome, in qua de Philosophia generatim primum agit, quam per cognitionem veri & boni ex recta ratione derivatam & ad veram hominis felicitatem comparatam, describit: unde fluit divisio Philosophiæ in instrumentalem, quæ ad veri cognitionem præparat; Theoreticam, quæ cognitione illa imbuit, & practicam, quæ ad verum bonum perducit. Ipsam Historiam Philosophicam traditurus, dividit eam in antiquam & novam. Antiqua complectitur traditionariam Philosophiam, Barbaricam ab alijs appellatam; quod sapientiam a majoribus acceptam sancte custodierint Barbari; & Græcanicam, a traditionaria ideo separandam, quod solam rectam rationem secuti sint, vel sequi saltem voluerint Græci. Hujus quatuor rursus occurrunt classes, Poetica, Italica, Jonica & Eleatica; quarum origo, autores, instituta, methodus, affectus, scripta, sectæque hinc præcedentes ea, qua fieri potest, perspicuitate ac brevitate recensentur. Ex quibus Platonis potissimum placita & purgatorium ad antiquos Ecclesiæ Patres, post Aristotelis nugæ ad sequioris ævi Scholasticos transmissas esse, monstrat. Historia Philosophica nova Scholasticorum Aristotelicorumque in primis fata ante & post Ecclesiæ emendationem, tum recentiora quoque Systemata Cartesianum ac Myllico-Chymicum exhibet.

Nos in priori statim subsistentes, quod paullo uberius istam tractarit, Philosophiæ traditionariæ faciem ex Ido Capite sumus ostensuri. Primum Sapientiæ locum in hac sua quodam jure sibi vindicant Hebræi admodum antiqui: quorum tamen scientia ad mōres potius, quam ad Physicas speculationes fuit comparata. Quare non probatur eorum opinio, qui Patriarchis eximiam in omni genere tribuunt eruditionem. Quum Hebræi aliis fere gentibus contemptui fuerint, hinc nec illi audiuntur, qui Pythagoram & Platonem suam ab his Philosophiam hausisse perhibent: quin potius hos procedente tempore Græcorum dogmata sua fecisse, vero simile est. Hi enim a veteri simplicitate post Babylonicum exilium recesserunt, Græcorum principia suis sensim admiscentes: unde natæ sunt Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum sectæ; quarum istam, Stoicis; illam, Epicuri; hanc vero, Pythagoræ partibus fuisse, res ipsa comprobat: cujus mixturæ Philosophicæ in Judæorum Cabbala hodieque superest documentum. In hunc ordinem referuntur porro Ægyptiorum, Chaldæorum, Persarum, Arabumque Philosophemata; quibus, & imprimis Sabæis, suos Magos fuisse, meminit Plinius H. N. L. XXX C. 1. Hinc quum Arabia ab Hebræis Oriens subinde vocetur *Gen. X, 30, XXV, 6, 18, Job. I, 3: τὸς μαγὸς ἀπὸ ἀραβίας* Arabes fuisse, admodum probabile est. Indi denique ac Sineses, Phœnices quoque, Galli, Germani, Thracæque nominantur.

Logica definitur Cap. I, quod sit scientia de invenienda proponendaque veritate. Agitur ergo primo de natura intellectus humani; deinde de natura veritatis; ac denique quomodo ea invenienda proponendaque sit, disquiritur. Quod ad Caput II ejusque Sect. I, de natura intellectus, attinet, experientia comprobabat, nos cognitionis omnis expertes in hunc mundum prodire, atque postea demum rerum materialium ideas nobis acquirere, a quibus deinde ad conceptus rerum immaterialium abstrahimur. Eadem experientia docet infantes sensim binas idearum istarum inter se comparare, atque tandem tertia assumpta novas veritates reperire. Est ergo intellectus facultas mentis, quæ percipit, indicat, ratiocinatur. P. 76 ideas quasdam ad imaginatio-

nem

nem pertinere ostendit, quoties scilicet mens ideam objecti materialis absentis contemplatur. Hinc imaginatio varia sortitur ingenii, iudicii, reminiscentiæ & memoriæ nomina, cum ista ideas varias componimus, discernimus, revocamus, retinemus. Et cum ea, quæ componit ingenium, non revera semper existant, ideæ istæ vocantur entia rationis, cum non-entibus non confundenda; utpote quæ non sunt objectum mentis, quum de istis nihil cogitari possit. In Sect. II, quæ agit de Ideis, generatim idea definitur, quod sit objecti cuiusvis genuina imago, quam mens immediate contemplatur, vel quælibet de re quavis cogitatio. Modus acquirendi pro varietate objecti varius est. Rerum immaterialium ideas per abstractionem & conscientiam v. g. tristitiæ; materialium per sensationem acquirimus, quæ sub diversis circumstantiis repetita, experientia vocatur, & si rite insinuat, quum sensus non fallant, fallere non potest. Inter reliquas idearum divisiones, occurrit ea, quæ vel simplices sunt, in quibus nihil mentè dividere possumus, quales omnes fere perceptiones sunt colorum, sonorum, odorum: vel compositiæ, in quibus varia separare & dividere licet per abstractionem mentis: ex quo id in primis sequitur, ut ideæ illæ simplices claræ quidem sint, sed non distinctæ. Porro ideæ sunt vel substantiarum, vel modorum, vel relationum; ubi utilia multa immiscentur. Aliæ præterea ideæ sunt singulares, aliæ particulares, aliæ universales. Universalis idea vocatur genus; particulares, quæ sub universali continentur & sub se habent individua, vocantur species: idea universalis, quæ primario ad essentiam rei pertinet, differentia; quæ secundo, proprium; quæ rei quidem inest, sed non ad essentiam eius pertinet, accidens dici solet. Cui doctrinæ sequens Sect. III de definitionibus & divisionibus est superstructa, ubi ostenditur, definitiones reperiri vel experiundo vel per abstractionem, circumstantias quasdam omitendo, vel mutando, vel novas quasdam addendo: in duobus prioribus modis rem definitam existere, negari nequit, at in posterioribus demonstrandum est, rem definitam existere. Quare definitiones prioris generis sunt fundamentum demonstrationis, posterioris non, nisi definiti existentia demonstrata sit. Ex quo colligitur, quid de Cartesiana Dei demonstratione ex idea entis perfectissimi sit sentiendum. Sectione

IV ubi de Enunciationibus disputatur, post varias istarum species referuntur termini Mathematicorum, qui propositiones, quæ immediate ex definitione fluunt, si theôreticæ sint, axiomata; si practicæ, postulata; quæ ex plurium definitionum comparatione nascuntur, si theôreticæ sint, theoremata; si practicæ, problemata; & denique eas, quæ ex axiômate, postulato, theoremate & problema te sequuntur, corollaria vel consecutaria; quod verò propositionem aliquam illustrat, id scholion vocant. Quum ex una propositione plures elici possint, illud fit vel conversione, vel oppositione, de quibus rite instituendis accuratæ leges eadem Sect. suppeditantur; vel denique Sectione V Syllogismo: cujus doctrina perspicue admodum traditur, & certis superstructa fundamentis, in quibus ista quodque est regula, suspecta aliis visa, quæcumque eadem sint un tertio, eadem esse inter se, paucis præterea & adæquatis generalioribus specialioribusque regulis exornata, exquisitis illustratus exemplis. Longum nimis esset, reliqua Capita æque multis verbis excerpta exhibere. De Morali Philosophia pauca quædam addere liceat.

Cap. II Sect. II Temperamentorum varietas non modo ex dissimilibus sanguinis partibus, phlegmate, oleo, sale & terra, ut plerumque fit, sed ex pulsû quoque vasisque non iisdem derivatur. Fibræ tenuiores & admodum tensæ, angustiora vasa, pulsus celerior & vehementior, & copiosior materia oleaginosa vel sulphurea, temperamentum constituunt Cholericum: fibræ duriores, vasa capacia, pulsus magnus sed tardior, materia terrestris, Melancholicum: fibræ nec laxæ nimis nec strictæ, vasa mediocria, pulsus mediocris, particule salinæ, Sanguineum: fibræ denique spongiosæ & laxæ, vasa tenuiora, pulsus parum vehemens, sanguis phlegmate inundatus, Phlegmaticum efficiunt temperamentum. Fibrarum quoque qualitati tribuitur temperamenti mutatio; unde fit, ut in pueris phlegmaticum, in juventute sanguineum, in viris cholericum, & in senibus melancholicum præ reliquis sese exerat.

Cap. III Sect. II, qua de summo bono agitur, ideam hujus sequentia suppeditant axiomata, esse illud debere possibile omnibus obtentu; mentem præcipue conservare ac perficere, voluntatem quoque perficere, nihil supra se habere, & constans atque perpetuum esse

esse debere: ut pro summo bono habendum non sit, in quod omnia illa attributa essentialia non cadant. Ad examen hinc revocantur Cyrenaici, voluptatem corporis; Epicurus, voluptatem animi & indolentiam pro summo bono habentes. Neque vero divitiarum, honores, scientiarum, sanitas, libertas, virtus, hoc nomen merentur. Tum argumento a necessario & contingenti colligitur, esse ens necessarium, quod non ab alio & reliquorum omnium causa sit, hoc est, Deum: cujus essentia & attributis cognitio, non potest esse non pro summo illo bono a nobis reputari. Sect. III de effectibus summi huius boni generatim notandum est, jucundum, honestum & utile a vero bono nunquam posse separari. Summum igitur bonum effectum itidem habet jucundum, summam animi tranquillitatem; honestum, virtutem, quæ per se non nisi una est, & in diverso respectu diversa sortitur nomina; ac denique utilem, amicitiam bonorum cum bonis. Cap. III Sect. I cognitio sui ipsius commendatur tanquam medium summo bono potiundi; qua homo se suumque statum vel comparate cum reliquis animantibus vel absolute debet considerare. Quomodo hæc consideratio ad summum bonum appetendum impellat, Sect. II monstratur: non potest enim non, suam miseriam ac contra summi boni præstantiam summamque felicitatem inde pendentem contemplatus, quum voluntas per se a malo ad bonum tendat, ad summum bonum ferri. Denique quomodo Philosophia atque moralis hæc doctrina ad Theologiam nos ducat, eleganter atque perspicue sub finem libri ostenditur.

DESCRIPTIO COMPARATA MUSCULORUM corporis humani & quadrupedis. Auctore JAC. DOUGLASS, D. M. Versio Latina.

Lugd. Batav. apud Gerard. Potuliet, 1729, 8.

Plag. 14.

Constat inter omnes Anatomicos, Jac. Douglassum omnium accuratissimam *μυολογίαν* A. 1707 Londini luci exposuisse. Eadem ergo neque nostra nunc egebit laude. Vertit eam in Romanum sermonem Jo. Frid. Schreiberus, Doct. Med. Collega noster honoratissimus. Dicemus ergo tantum de hac ultima editione.

Ggg 2

In-

Inscripsit libellum interpres *H. Boerhaavio* & *B. S. Albino*, fidissimis scilicet suis Doctoribus grates acturus publicas. In Praefatione annitur ostendere, plerisque Physiologis, circa locomotivam, historicam tantum esse cognitionem. Ut ergo cujusque musculi plena actio intelligatur, requiritur 1) in separatione musculorum ab invicem naturæ, prout eos vel conjunxit, vel divisit, vestigiis inspicendum esse. Quum enim singulo musculo sua ab Anatomicis adscribatur actio; patet, ubi contra naturæ institutum, vel multiplicatur musculus, vel diversi pro uno habentur, aut actionem compositam resolvi in simplices, aut singulares quorundam musculorum actiones haberi pro una composita. Poscit 2) musculum trahendum esse, cadavere in omnem situm disposito. Nam quæ musculus efficit in hoc situ, eadem non potest in alio, vel plane diversa. Notat ibidem, terminos, origo & insertio musculi, esse plane inanes. 3) Inde vult reperiri *antagonistas*. De quibus sane pauca scimus. 4) Attendendum esse, ait, singulari musculorum cohesioni: ubi ab incumbentibus vel musculis vel aliis machinis comprimuntur. Tandem desiderat *teleologyam* musculorum: h. e. sufficientem rationem situs, magnitudinis, cohesionis, figuræ, ceterorumque, quæ in musculis observantur. Jam ad ipsum librum, cujus textui, locis convenientibus, appendicem, quæ in Autoris Editione ad calcem libri fuit, inseruit Noster. Ad quosque musculos optimas Anatomicorum citavit figuras: præcipue *Eustachii*, tum & *Casserii*, *Vesalii*, *Bidlo*, *Couperi* &c. In explicatione vero Eustachii tanto gratiore in omnibus se suscepisse laborem sibi persuadet: quanto manifestiores passim esse putat *Lancisii* hallucinationes. Ubi ossium mentione facta est; ubique citavit *Albini* descriptionem eorundem, cum, quia hic accuratissime illa descripsit, tum, quia optimas citavit figuras, imprimis *Vesalii*. Tandem annotationes addidit Anatomicas. Percurramus hæc omnia paululum. Sic notat, ligamentum *Pouparti* tantum fingi ab Anatomico, dum vagina, femur vestiens, ubi sese musculis abdominalibus, obliquis ac transversis, obducit, absconditur. Describit *musculum semitunarem*, quem delineavit *Eustach.* T. 41 f. 1, 3; ut & alium *αγογος*, *elevatorum labii superioris*, quem idem depinxit *Eustach.* ead. T. 1. Vult tamen, quod in ipso libro non reperitur, omnes per nos

p. 30.

40.

44.

monde-

moneri, cephalo-pharyngæum musculum esse partem fibrosam crico-thyreo-pharyngæi retrodirectam: ut & se Cl. *Hambergero*, circa intercostalium actionem, falsam tribuisse sententiam. Dixit nempe interpres, Cl. *Hambergerum* singulari machina demonstrare; intercostales musculos contractos, contra omnium musculorum naturam, fieri longiores. Id sane vel publice excusari meretur. Ita nimirum, ope sictæ cujusdam machinæ, Vir quidam doctissimus ipsi persuaserat Leidæ, jam vero, & visa apud illum ipsa machina, & lecta erudita ejusdem Dissertatione de *respirationis-mechanismo atque usu genuino*, fatetur interpres, illam sententiam *Hambergero* non sedere. Veram ergo *Hambergeri* sententiam in altera editione enarrabit. In progressu notat interpres, nullibi bonam reperiri diaphragmatis figuram, quæ & difficillima. Explicat musculum anteriorem ani *Riola*: depictum *Eustachio* T. 37; quem pauci sane intellexerunt. Quantum ad cervicalem descendentem *Diemerbr.*: moneri vult omnes, eundem, licet sic putarent quidam, ab *Eustachio* T. 37, non depingi. Descripsit & semispinatum *Bidloi* p. 101, & mentionem fecit parvi cujusdam coraco-brachii. Ubi de *perforato manus* locutus est, addendum omisit, vix notatum ab aliis, quod vero nunc monet, illum, in lata sua origine, duas quoque fascias musculosas a radio recipere, ut modo detexit *Albinus*. Interosseorum veram fabricam primam ab *Habitato* traditam contendit, prout ingenue falsus erat *Winslow*; & quæ sunt alia. Sufficit exempla quædam protulisse. Tandem adjecit ordinem, quo natura in musculis ponendis usa fuit: Anatomici enim, pro more *scholæ*, musculos, parti cuivis proprios, colligunt in unum caput.

SPIRITUS NERVOSUS IMMERENS EX-
ful, pristinis laribus restitutus, ac ab iniquis imputationibus
Cel. A. OTT. GOELICKII, Med. ac Prof. Francof. ad
Oder. denuo absolutus, per JO. PHILIP. BURGGRA-
VIUM, D. M. Francof.

Francof. ad Mœn. apud Frid. Wilh. Fœrsterum, 1729, 4.

Plag. 10½.

Neminem latet, qua ratione nervosissimi quidam scriptores,

Ggg 3

Back,

Backius, Bidlous, Galickius ac *Goblius*, alique Spiritus animales ex foro Medico relegare hodie conati sint. In primis *Galickio* opposuerat se *Clar. Burggravius A. 1725*. Respondit ad hæc *Galickius*: quam responzionem, in præfenti Dissertatione, Autor noster refellit. Usu sane inter eruditorum disceptationes venire solet, ut a quo nitandem fiat æqualis reactio: ut, quæ ingenti impetu in alterum vibrantur, in vibrantem eadem pari repressione recidant. Sed quum hæc ipsis, qua eruditis, propria non sint: iis recensendis, nostris in Actis, plane super sedemus. Addimus tamen, *Galickio* ad omnia respondisse Autorem nostrum. Adseruerat olim Autor noster, omnia solida tandem componi ex nervis. Id *Advartov* videbatur *Cl. Galickio*; quia quævis pars est id, quod est: unde ab omnibus specificè differt: hinc glandula non est musculus: hic non est cartilago &c. Regerit ad hæc *Cl. Autor*, utique mensam non esse sellam, hanc non esse scamnum &c. omnia tamen hæc constare ex ligno. Immo adhuc propius accedit, dicendo: truncum arboris non esse folium: hoc non esse gemmam: & ita porro: & tamen omnibus eandem esse fabricam, demonstrante *Malpighio*. Diversitatem vero partium deducendam scribit Autor ab arteriarum diversitate in figura, reptatu ac accepto motu, aliisque diversis. Putat tamen *Adversarius*, id fieri non posse, quum arteriæ semper maneant arteriæ, id est, sanguini ferendo dicatæ. Utiq; arteriæ manent plerumque tales: sed non semper manent sanguiferæ: sed ex his fiunt serosæ: ex his lymphaticæ: ex his laticem ferentes: ex his aliæ; donec tandem perveniatur ad arterias nerveas, id est, in toto corpore minimas. Docent morbi, erysipelas, phlyctæna, podagra &c. Ita sane respondendum fuit *Burggravio*, defensori *Boerhaavii*. Jam merito quæreretur ex *Galickio*: dic sodes, quid sunt ergo illi funiculi, quos nervos dicimus? Unde oriuntur, si non ex medulla oblongata & spinati nascantur? Respondet ergo cum *Goblio*, esse membranarum cerebri productiones: nam cerebrum, tensionis tonicæ quippe expectis, quis mox rigescere concipiat? Jam hic annotat sequentia *Autor*, tensionem tonicam esse evantiationem, in qua prædicatum idem cum subjecto, quoad verba; nisi quod alterum sit Latinum, alterum Græcum. Duplicem vero in C. H. largitur *tonum*: alterum a compactione fibrarum majore vel minore: alterum

ab influxu liquidi arteriosi in villos musculares. Rigiditatem vero nervorum deducit a rigiditate membranarum, infinite parvas fibrillas nerveas involventium. Protulit *Gælickius* exempla abortuum, *ἔγκυαλῶν* & spinali medulla destitutorum, & tamen aliquantum viventium. Sed provocat defensor ad *Tulpium*, qui in quinquenni pūero tantum *ἰσχυροφάλον* reperit, ut, consentibus adstantibus, nullum *ἔγκυαλῶν* vestigium adfuerit. *Tulpius* tamen, qui Vir fuit accuratissimus, id totum detexit, sed a comprimente aqua plane difforme. Immo, ait, deficiente *ἔγκυαλῶν*, vitam largitur medulla spinalis. Devolvitur ad *Gælickii Institutiones secundum principia mechanico-organica reformatas*. Ægre ferens hæc verba *Burggravius*, explicat terminos *machina* & *organum*: sicque deducit, omnem machinam esse *ἔργον*, sed non contra: illam gaudere aptitudine ad utiliter edendos inde motus, hoc vero carere illa aptitudine; ergo contradictoria vel in his terminis, ex *Burggravii* sententia, ibi latere. Ultimo notamus, *Gælickium* scripsisse, novas has suas sententias multum profuturas Philosophis: quam utilitatem sicut his non invidet, ita respondet *Burggravius*, Medicinam Philosophiæ non contradistingui, sed hujus potius partem esse. Quin & putabunt alii, multum potius detrimenti Philosophiæ ex *Gælickiana* sententia ominandum, quum negata ratiocinandi ratione a plenis effectibus ad sufficientes verasque eorum causas, tandem Medico, enōrmi fœli, deveniendum sit ad voluntatem Dei immediatam, ad quam provocare non licet i-a scientiis. Cetera melius ex ipsa lectione, quam ex nostra recensione dicentur. Recte *Seneca*, inquit *Burggravius*: *Non aliquando castigatio necesse est? Quid ni? sed hæc sincera, cum ratione. Non enim nocet, sed medatur, specie nocendi.*

NOVA LITTERARIA.

Neapoli emanavit anno superiori in vulgus liber Pseudonymus, Italiano scriptus sermone, duobus constans Tomis in 4, cui titulus: *Eusebii Pliopatri Animadversiones morales ac Theologica in Historiam Civilem regni Neapolitani, pluribus duum amicorum literis publico expositæ*. Latet sub tecto hoc nōmine Josephus Sanfelicius, homo mordax, e Jesuitarum sodalitate, nomine quidem Patricius, sed temere, ut cognovimus, in hunc ordinem aditus. Coloniam urbem præfert titulus libri; sed certius constat, Romæ excusum. Turpissime in eo impetum fecit Autor in Jctum Neapolitanum planè egregium, *Petrum Giannonium, Civis illius Historiæ*, cujus Tom. I recensimus Supplement. Tom. IX Sect. V p. 194, scriptorem, cui ita insultatum hic videas, ut convicia atrocissima, calumniæ scommata, omne denique injuriæ ac contumeliæ genus, in unum quasi cumulum hic congesta compareant. Male eum habuit, nullum a *Giannonio* Inquisitioni Ecclesiasticæ, quam ex Pontificiis prudentissimi quique tanquam pestem omnium funestissimam detestantur, pretium statutum, nec ad eam excitatos civium animos; unde unice hoc egit, ut perversissimis consiliis, pietatis colore insueatis, Ordinibus regni admittendam eam suaderet, urgere, contenderet. Liber furtim primo vendi quamplurimo cepit apud janitorem majoris Collegii Societatis, mox penes librarios duos, Patrum studiosos, in conspectu totius civitatis venalis habitus. Interea de nefaria merce

rumor

rumor per omnem Italiam circumlatus, pervenit ad aures Principis Illustrissimi, qui Imperatoris in regno illo vices gerit, Comitis *de Harrach*, qui confestim explorari librum, ac de eo ad se referri iussit. Praestitum id a prudentioribus illius aulae, quorum eo rediit sententia, ut librum vituleris dicerentis probrisque tam in privatos, quam in ipsam rempublicam affatim respersum esse, quin & in sacra principum jura proterve involare decernerent. Quo factum est, ut non solum proscriberetur usique hominum interdiceretur liber, sed Autor etiam, tunc temporis Romae commoratus, ditionis Caesareae sinibus exulare juberetur. Eam in rem missus jussu dicti Comitis ad Praepositum Jesuitarum Regiae Jurisdictionis scriba, qui eum admoneret, ut si unquam P. Sanctificus huc accederet, protinus ea de re Proregem certiores faceret. Mox Romanam datæ literæ ad Eminent. Cardinalem *Cinsuegos*, Augustiss. Imp. Legatum ad Pont. Max. quibus rogabatur, ne liberi itineris tesseram eidem inde discessuro concederet. Vetita dein libri lectio publico typisque excuso Senatus Decreto, mense Aprilis hujus anni Neapoli dato, & in omnibus illius regni civitatibus promulgato, quo ipso libelli istius tanquam famosissimi lectione, usu aut quavis alienatione universi Imperii cives, cujuscunque sint status aut conditionis, prohibiti sunt, illisque, qui secus fecerint, si nobiles sint, relegationis, si plebei, remorum poena constituta. Eodem etiam die altera Sancto pragmatica publicata est a Comite *de Harrach*, qua veteres leges, sive sermo exoletæ, quæ de imprimendis in regno libris, deque exterius huc comportandis, salubriter statuerunt, ne scilicet quæcumque horum fieret sine regia autoritate, eorumque, quibus ea cognitio incumbit, examine & concessu, renovatæ penitus sunt ac restitutæ. Ea res omni populo regni que proceribus fuit gratissima, & Comiti imprimis memorato communem omnium amorem plausumque conciliavit. Hæc autem ad se quoque pertinere cum intelligeret venerabilis Deputatio, ut dicitur, Sancti Officii, nonis Majis in sedibus S. Laurentii conventum super ea re celebravit. Nam inter cetera mendacia, quibus venenatus libellus a capite ad calcem scatet, haud ultimum illud est: *Horrendum Inquisitionis tribunal, vulgo Sancti Officii, quod, ut a majoribus per manus accepimus, propter extraordinariam, hoc est, abnormem, ac vesaniam agendi judicandique methodum, fidelissimo huic nostro communi pernicioso quavis clade odiosus semper fuit, paucorum solummodo, privataeque conditionis civium pertinacia fieri, quo minus his pedem figat.* His animadversis Ordo ille æquum censuit, adiri Proregem, cumque doceri, quales in ipsum sint civium animi, quamque constans semper ac perpetuum fuerit Neapolitanorum adversus Inquisitionem odium, simul & gratias eidem agi de prohibitione libri, universo regno perniciosissimi. Ac ne forte hæc nobilium tantum videretur sententia; placuit eidem Collegio in proximo conventu habito X Kal. Jun. rogari tribuam plebis, ut opportunam a Prorege horam comiter eliceret, qua ipsi præsentî gratias persolvere possent, interprete *Piccolomineo* Vallensium Principe. Humanissime exceptus ille a Prorege, compellendi veniam ex voto impetravit. Igitur omnia publice & solenniter peracta, vicesque oratoris *S. R. Piccolomineus* egregie sustinuit. Ita, ex publicis Actis ex Italia ad nos transmissis, fide omnino dignissima, Lectioribus nostris scitu non injucunda fore existimavimus.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXIX.

CHRONICON HISTORIAM CATHOLICAM complectens, ab exordio mundi ad Nativitatem D. N. Jesu Christi, & exinde ad annum a Christo nato LXXI, ex sacris Bibliis, ceterisque probatæ fidei Autoribus seriem Historiarum omnis Ævi secundum tempora digestarium, EDWARDUS SIMSONIUS, S. T. D. Collegii Sanct. ac individue Trinit. in Acad. Cantabrigiensi quondam Socius, contextuit in septem partes distributam, &c. additur in universas Chronici partes Index alphabeticus. Omnia recensuit, & Animadversiones adjecit
PETRUS WESSELING.

Lugduni Batavorum, apud Johannem van der Linden, 1729,
fol. maj.

Alph. 10 plag. 6.

CL. Wesselingius de Edwardi Simsonis, historiarum antiquarum apprime docti, Chronico, jam olim 1652 Oxonii in fol. edito, egregie meritus est. Non enim librum tantum multis, eruditissimis etiam, Viris hactenus haud satis cognitum, & inventu difficilem, omnium manibus restituit: sed eum quoque novis ubique vel eruditionis suæ, vel aliorum, luminibus illustravit, atque adeo ætati hodiernæ attemperavit. Erat omnino Edwardus Simsonius linguis Orientalibus, Græcæque ac Latina, rebus item Chronologicis, Astronomicis & Geographicis mirifice excultus; quibus instructus subsidiis, tantæ molis Operi concinnando suffecit ipse, si quisquam alius, egregie. Neque res solas

H h

eccle.

ecclesie enarravit hic, ut forsitan aliqui crediderint, sed Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, Macedonum, Græcarum imprimis rerum publicarum, & Romanorum, gesta quæcunque ordipe chronologico complexus est. Apprime vero illis, qui *Ufferii* Annalibus adsueta sunt, prodesse videtur; cum & eandem pæne habeat rationem chronologicam usque ad Christi æram, scilicet annos IV 613 III, uno nempe ex *Ufferii* computo deficiente; & illius amplissimum sit in multis arnis supplementum. Græca enim, a Varrone *μυθικά* dicta, imprimis quantum fieri potest accurate exposuit; in Persicis vero, Macedonicis, Romanisque amplior est, quam ab Annalium scriptore expectari possit. Pari modo ipsi ad sermonis cultum, vim ingenii, rerumque delectum nihil defuit. Interim tamen æquum erat medio superioris sæculi tempore suscepto labori, quem inde ad nostra usque tempora pertinaci studio eruditissimi Viri persecuti sunt, colophonem, quem dicunt, addere. Neminem enim fugit, quid Marmorum Oxoniensium cultores, deinde *Marshamii*, *Perizonii*, *Pagi*, *Dodwelli*, *Lloydi*, *Vaillantii*, & alii innumeri hac in re moliti sint: quorum inventas, historię veritates novas brevissimis, ut par est, verbis Cl. *Wesselingius* ubique adscripsit. Deinde plurima etiam de sua penu ipse addidit: quorum specimen dabimus. Primum enim citata ab Autore, & non satis accurate allegata, veterum loca diligenter evoluit, & cum rebns ipsis contendit. Cui *Simfonius* Platonem in Protagora carnis comese tellem citaret, qua antiquissimi hominum vesci fuerint soliti, ostendit *Wesselingius* tum in Protagora non extare locum, tum etiam ex L. VI, de Legib. contrarium videri posse. Potuisset autem *Simfonius* id ipsam autoritate Diodori Siculi evincere, qui *Ægyptios* antiquissimos & carne & pellibus usos L. I p. 54 diserte dicit. Deinde sæpius inventam ab *Simfonio* veritatem, novis, & quidem suis, argumentis munit; quemadmodum verbi causa in Colossi Rhodiorum casu factam; quem ad annum V. C. DXXV contra sententiam Orolii, Hieronymi, & Scaligeri, *Simfonius* retulit. Cum enim illi eundem anno V. C. DXXXI insigniverint, Cl. *Wesselingius* ostendit, id fieri non posse nisi insigni *παράχρονον*. Id enim temporis Seleucum Callini-

linicum non amplius superſuiſſe, qui tamen Autore Polybio Rhodiis ob hunc motum plurima condonaſſet. Hac occasione corrigi etiam *Leontis Allatii* errorem, qui Cololum Veſpaſiani tempore inſtauratum dixerat. Eiuſmodi conatus innumeris aliis locis reperiuntur. Porro etiam appoſitiſſime data occasione novas ſententias proponit ac tuetur. Inſtrumenta Muſica orta eſſe magna probabilitate exiſtimat in commodum paſtorum, ut tempus, dum pecus ducunt, fallerent: Aſſyriorum regnum arctioribus, quam ſolet, limitibus recte circumſcripſit. Ante Medorum deſectionem quingentos & viginti annos cum Herodoto, ex Mſtis reſtituto, numerat, e Diodoro Siculo evincit, & Cteſiæ fidem rejicit. Inprimis ex Abrahami & Jacobi hiſtoria urget, fertiles Cananæ & Meſopotamiæ agros magna ex parte incolis fuiſſe vacuos. Quo magis miratur, unde tanti exercitus ex Oriente & Septentrione eo tempore conſcribi potuerint, quos Cteſias habet. Cedarlaomerum Perſam non Aſſyrium fuiſſe; Davidi vero fines regni ad Euphratem extendenti nullum ſeregem Aſſyrium oppoſuiſſe oſtendit. Contra *Iſaacum Voſſium*, duas particulas ejuſdem ſenſus in uno commate repeti in utraque lingua, in hebraica etiam, poſſe monet. Num vero Cecropi Aegyptio plane ignotæ fuerint horrendæ hominum immolationes, ut Cl. *Weſſelingius* ex Pausania colligit, dubitamus. Ad Oſtrid's enim ſepulchrum Aegyptii antiquiſſimis temporibus longe ante Cecropis ætatem ruſi coloris homines, Typhoni ſimiles, immolant, ut Diodorus Siculus L. I. p. 79 teſtatur, quod Cecrops Aegyptius neſcire non potuit. Forſan tam frequentibus animantium omnium immolationibus ſtudere eos prohibuit, ne ex inſuſu temporis hominum immolationes orirentur. Eundem enim Cecropem nulla animantia immolaſſe conſtat: licet permulti ex Eufebio Chron. L. I, bovem a Cecrope immolatum eſſe confirmant. Erat vero hic bos, βῆς, ſpecies libi, cornua habentis, autore Heſychio & Polluce. Interim Cl. *Weſſelingius* de Jephthah recte obſervat, quod filiam non immolaverit: cum ipſi ejuſdem generis immolationem ante Trojanam obſidionem non uſque adeo in uſu fuiſſe apud reliquas gentes, ſi modo Aegyptios & Phœnices excipias, aſſentiente Porphyrio, veroliſſime putemus. Æ-

P. 54.

81, 83, 85 &
459.

92.

98.

320.

- p. 83. gialeum Sicyoniorum regem Mofi *ὄνυχρον* facit assentientibus plurimis Patribus ecclesie: sed forsitan illi errore Josephi, qui contra Apionem contendit, egressum Israelitarum ex Aegypto mille annis bello Trojano, esse antiquiorem, seducti sunt; quem
106. tamen errorem recte Eusebius confutavit. Ex Argivorum vero Regum serie recte Apidem Cl. *Wesselingius* rejicit: quod tamen etiam Marshamum, in Chron. Sæcol. VI fecisse noverat. Ceterum in Autoris errores, quando quidam occurrunt, humaniter animadvertit, eruditeque eos corrigit: difficile enim in tantis antiquarum rerum tenebris non aliquando impingere. Emen-
- 217, 299, 337, 405, 449, 451, 572 &c. 1408. davit & quodammodo monumenta veterum, ut inscriptionem illam in *Edm. Chisbull Antiquit. Asiat. p. 146: ΚΑΙ ΙΕΡΕΩΣ ΘΕΟΥ ΕΥΜΕΝΟΥ ΑΡΙΣΤΑΙΟΥ*; ex qua patere arguit *Chisbull*, Eumenem Pergami regem a successore suo Attalo Deorum numero fuisse adscriptum: at Noster pro *εὐμενῶ* reponit *εὐμενῆς*, ita ut de solo Aristæo benigno, ab Arcadibus culto, sermo sit. Dissensum quoque suum Cl. *Wesselingius* ab aliis eruditissimis Viris solidis argumentis vindicat. Ita M. Titium ab *Montacutio* male ex Præsidum Syriæ catalogo expunctum restituit; *ἑγκαν* Minervam esse, ex Scholiastis etiam & aliis autoribus contra Seldenum monet. De Eclipsi Solis in plenilunio tempore Christi facta, erudite disputat; & circa Phlegontis Tralliani testimonium varia dubia movet, imprimis contra eos, qui libenter hujus & Sinensium testimoniis tanti momenti argumentum fulciunt. In hac enim causa non e re Christianorum esse videtur autoritas paganorum: præsertim cum de universalitate hujus Eclipseos non satis constet. Nuperrime constituerat quidam eruditus nodum controversiæ de Hellenistis, cum solvi non possit, tandem aliquando secare; eumque in finem in *Act. VI* pro *Ἑλληνιστῶν* legerat *Ἑλενιστῶν*, quibus eos Judæos designabat, qui cum Helena Adjabenorum regina sacra faciebant.
1556. Hic ostendit *Wesselingius*, Helenam postea demum Claudio imperante ad Judæorum sacra accessisse. Hæc speciatim ad animadversiones Cl. *Wesselingii* cognoscendas sufficiant. Generatim vero nosse proderit, plus soliditatis eas, quam molis habere. Vi-
1622. am enim aperuit, qua Lector incedere tuto possit, & plura meditando occasionem paucis verbis suppedavit.
1624. Hic ostendit *Wesselingius*, Helenam postea demum Claudio imperante ad Judæorum sacra accessisse. Hæc speciatim ad animadversiones Cl. *Wesselingii* cognoscendas sufficiant. Generatim vero nosse proderit, plus soliditatis eas, quam molis habere. Vi-
1623. am enim aperuit, qua Lector incedere tuto possit, & plura meditando occasionem paucis verbis suppedavit.

MENSIS OCTOBRIS A. MDCCXXIX. 429

HISTOIRE DE LA VILLE DE PARIS,

h. e.

*HISTORIA URBS PARISIORUM, COM-
posita a Dom. MICHAELE FELIBIEN, revisa;
aucta & publicata a Dom GUIDONE ALEXIO
LOBINEAU, utroque Benedictino a Congregatione
S. Mauri.*

Volumina V.

Lutetia Paris. apud Guil. Desprez & Jo. Desfessartz, 1725, fol. maj.
Alph. 45 pl. 18, Tabb. æn. maj. 36.

Jam pridem desiderata fuit justa urbis Parisinæ historia. Nam quæ antehac Corrozet & de Bonnefons, tum du Breul, le Maire, ut & Germanus Brice, cujus quidem Descriptio lectu non injucunda atque ideo omnium plausu excepta est, quod tot ejus novæ auctæque editiones novam continuo lucem urbi afferrent, & Malingre, cujus Annales satis prolixo debitum cultum postulant & non nisi ad A. 1640 pertingunt, tentarunt (ut taceamus Virum apprime eruditum *La Mare*, qui in opere de Politia urbis hanc quidem historiarum partem magna doctrinâ absolvit) pleraque intra mediocritatem subsistunt. Optime itaque consulit patriæ illustrissimus *Bignonius*, qui cum esset Mercatoribus Parisiensibus præfectus, illis persuasit facile, ut *Michaëli Felibien*, edita Abbatæ S. Dionysii, in qua vivebat vir religiosus, Historiarum elegantissima celebri, Historiarum Parisiensis condendæ provinciam demandarent. Aggressus is est opus hoc A. 1711, eoque labore per octennium continuato, rem deduxit ad A. 1661, cum oneri tandem succumbens d. 25 Sept. 1719 quinquagesimo sexto ætatis anno decessit, & tum hanc Historiam, tum alia, ut vitam S. Anselmi, quam editioni parabat, reliquit oppido imperfectam. Hinc Lutetiam evocatus A. 1719 Cl. *Lobineau* alacriter continuandam limandamque suscepit Historiam illam, Viro docto de *Varigni*, quo olim & Felibienus Secretario usus fuerat, per triennium opitulante. Ita frigentibus licet paulatim civibus, quod calamitati temporum imputant, opus urbis Lobinavius, tanto qui-

Hhh 3

dem

dem magis, quod publicè spem facerent typographi quidam de edendis Cl. Viri *de Sauval* Antiquitatibus Parisiis, quas hæc-
 tenus in MSto delitescentes frequenter in suos usus converterat *Fr.
 libtenur*. Prodiit ergo opus elucubratisimum, quod non typo
 modo & charta, sed & tot figuris bellissimis, antiquitates inpri-
 mis, ac novos urbis prospectus, per aliquot tabulas quandoque
 continuatos, ut & ipsam urbis topographiam satis luculentam
 representantibus superbit. Præmissæ sunt Historiæ ipsi, quæ
 duobus nunc Voluminibus comprehenditur, duæ dissertationes,
 altera, documentis etiam rarissimis instructa, de origine Curie
 & corporis municipalis Parisiensis, Autore *le Roy*, rerum harum
 periculissimo, altera, quæ, ni fallimur, ab ipso *Lobinavio* addita est,
 eleganter exponit antiquitates nonnullas A. 1711 demum in urbe
 detectas, quam legisse neminem pœnitebit. Additus quoque sub
 finem Historiæ Index Chronologicus Regum, ac præcipuorum
 magistratuum ac officialium Parisiensium, quem excipit Index
 rerum alphabeticus ita nova plane ratione dispositus, ut simul
 sit chronologicus, & singulari adeo lectori usui esse possit. Quæ
 vero supplenda, edito jam libro, reperit Cl. Editor, ea in Præfa-
 tione addidit. Ceterum accessere tres omnino Tomi selectissimis
 documentis inde ab A. 918 ad nostram ætatem pleni; & facile
 plura addi poterant, nisi rescissa ab Autoribus fuissent longe plu-
 rima, quæ alibi jam exstabant. Interim non dissimulatur, quos-
 dam morosiores in conferendis symbolis fuisse; quantum vero
 e Bibliothecis, Coisliniana, Harlajana, S. Germani de Pratis, & vi-
 rorum doctorum, Maillardi & de Fontenèux, subsidii allatum
 fuerit, ex Præfatione singulari Tomis his præmissa patet. Ha-
 bes hic non modo diplomata vetustissima eaque magni momen-
 ti, sed & alia quædam, ad quæ in Historia aliquando provocatum
 est, qualis est Dissertatio, quæ primo statim loco exstat, de *Iside
 & Cybele*, occasione nòminis Parisiorum; cumque in diploma-
 tibus, Latinis maxime, multa verba & phrasæ obsoletæ occu-
 rant, egregiam operam præstitit, quisquis Glossarium eruditum
 subtexit, quod utique magno fructu cum monumentis ipsis
 contuleris. Sed hæc, quæ ad historiam libri pertinent, Lectores
 nostros ignorare nolumus; speciminibus quidem proponendis

eo lubentius superfedentes, quo serius ad nos liber quantivis pretii allatus & quo magis omnibus de Duumvirorum celeberrimorum, *Felibieni & Lobinavii*, viribus & doctrina cognitum est & perspectum.

COMMENTARIORUM ACADEMIÆ SCIENTIARUM IMPERIALIS PETROPOLITANÆ TOMI I. RECENSIO
continuata.

Conf. Acta E cud. M. Augulli hujus Anni pag. 337.

Mathematica in Opere augusto contenta nuper recensuimus: nunc de Physicis & historicis, dicemus. In *Physicis* nova quædam plantarum genera exhibet *Buxbaumius*. De directione corporum gravium in vortice spherico & figura nuclei disserit *Büllfingerus*. Experimento probat, in vortice spherico circa axem rotato corpuscula, quæ ab impulsu fluidi vorticosi à peripheria versus medium pellantur, non coire in nucleum sphericum, sed cylindricum: unde porro infert, pro judicanda directione vis centrifugæ particularum fluidi circa axem rotantium considerari debere illud planum, quod æquatori parallelum est, non vero planum meridiani, vel alterius circuli in spherâ maximi. Cum adeo hinc certum esse existimet, per vortices *Cartesianos*, generari nucleos cylindricos; porro inquit, quid fieri debeat, ut nuclei exsurgant spherici. Quoniam vero ea de re peculiarem Dissertationem conscripsit, quæ ab Academia Scientiarum Parisina præmio affecta Parisiis prodijt; de ea dicemus, quamprimum ad nos perlata fuerit. *Joan. Georg. du Vernoi* vasa chylifera describit. Reperit autem valvulas intestinales originem dare omnibus vasis chyliferis, quorum oscula in summa valvularum crepidine sive sine detexit. In limbo valvularum orificia ea ratione disposita esse observavit, ut totum ambitum compleant. In vasis chyliferis insunt valvulæ chyli regressum in intestina impediens. Ceterum notatu dignum est, quod spiritus ardentis ex frumento destillati, affusione chylus colore rubente tingatur. Persequitur deinde Autor incessum chylifero-

rum, duplicem in conspectum producens eorum ordinem a nemine adhuc observatum in quacunq[ue] intestini parte. Observat porro, intestina cum crassa, tum tenuia, istiusmodi vasis gaudere, eorumque numerum versus finem intestinorum continuo decrescere. Describit denique eorundem in mesenterio incisum & faciem, monens, quod a nemine hactenus observatum, duplicem in eodem illorum seriem adesse, unam quidem supra septum, alteram vero inferius infra septum. Addit alia multa de receptaculo chyli & ductu thoracico rerum naturalium curiosis gratissima futura. *Daniel Bernoulli* exhibet tentamen novæ de motu musculorum theoriz. Fibras longitudinales, quibus figuram cylindri cavi tribuit, a fibrillis transversalibus in plures machinulas dispesci arbitratur. Fibrillis transversis contractis, has a figura cylindri recedere & dolii figuram induere. Contracti autem fibrillas spirituum animalium influxu, cum exigua contractionis opus sit, ut in longitudinalibus magna producat. Exiguam autem sufficere spirituum copiam, quia cavernulæ illarum minuz sunt. Et spiritus in eas deferri posse, quod sint mera nervorum propago. Describit deinde experimentum pro inveniendis maximis contractionibus musculorum rectorum oculi. Postquam Physicum egit, Mathematicum quoque agit varias dilucidationes geometricas in præcedentem theoriam exhibens. Quatuor potissimum demonstrantur theoremata, nimirum 1) curvam, quam singula filamenta faciunt, durante machinula inflatione semper esse elasticam, cujus axis coincidat cum axe machinulæ: 2) musculum contrahi non posse ultra quintam longitudinis suæ naturalis partem; 3) ut musculus, quantum fieri potest, contrahatur, requiri ut longitudo machinulæ sit ad eisdem diametrum in ratione majori quam 100 ad 77: denique 4) si longitudo machinulæ muscularis habeat ad eisdem diametrum rationem minorem quam 100 ad 77, nunquam ad quintam partem decurtari musculum posse, & quò minor fuerit ratio longitudinis ad diametrum, eo minores contractiones requiri fibrarum transversalium pro similibus contractionibus fibrarum longitudinalium. Idem recenset experimentum circa nervum opticum, cui ansam dedit quod extat in

his

his Actis A. 1683 p. 68. *Bullfingerus* prolixè admodum commentatur de variis barometris sensibilibus & eorum nova specie ac usibus. Primo loco recenset, quid hæcenus inventum sit ab aliis, *Cartesio, Hookio, Hugenio, Amontonio, Philippo de la Hire, Jo. Bernoullio, Hauksbejo & Stephano Gray*. Deinde scopum & structuram novi barometri describit. Scopus est habere barometrum, quod variationes gravitatis etiam minores indicet; nihil a tubi inæqualitate incommodi patiatur; nihil a diversitate ascensus & descensus Mercurii; quod expansiones & condensationes a calore & frigore oriundas discernat ab effectu gravitatis; quod non indigeat mensura diametrorum in tubis; in quo oscillationes minimum impediunt faciant; quod ab exhalatione, putredine, congelatione &c. nihil patiatur; quod paratu non sit difficile; quod denique examen suæ exactitudinis secum vehat. Constructionem his verbis docet: Assumatur barometrum vulgare simplex recurvum: annotetur in illo locus supremæ altitudinis. Attendatur autem, ut non plus Mercurii sit in tubo & vasculo, quam ut ille in parte recurva attingat locum tribus minimum lineis inferiorem vasculo, quando ad summam possibilem altitudinem ascendit. Potest autem loco illius altitudinis assumi quæcunque nonnihil major illa, quam Mercurius ad summum attingit. Affigatur hic tubulus tabulæ tenæ latitudinis non multo majoris, quam est ipse tubus. Dividatur illa in pollices & gradus, incipiendo a loco illo, qui tribus minimum lineis vasculo inferior paullo ante constitutus est. Excavetur etiam hæc tabula, ut tubus eidem quasi immitti possit, non omnino tamen, sed pro sui dimidio, sic ut tubus ubique stringat divisiones ex utroque sui latere in tabula factas. Immergatur tabula cum tubo v. gr. in aquam, donec Mercurius attingat locum summæ possibilis altitudinis & notetur, ad quam profunditatem tubus sub aqua immersus sit. Si fiat: uti gravitas Mercurii ad gravitatem aquæ, ita altitudo aquæ supra lineam infimam ad profunditatem Mercurii sub linea supremâ; hæc quarta proportionalis a tota altitudine sublata relinquit veram Mercurii altitudinem, ad quam dato tempore per atmosphæræ gravitatem suspensus hæret. Inquit tandem *Bullfingerus* in usum barometrorum sensibilibus.

rum. Rejécto igitur usu eorum in præcognoscendis tempestati-
 bus, eadém comméndat, ad montium altitudinem & metallifo-
 dinarum profunditatem investigandam, & in variatione refra-
 ctionis a diversa atmosphæræ gravitate veniente, si talis dari
 possit, nec non ad cognoscendam naturæ consuetudinem in transi-
 tu ab uno gradu gravitatis ad alium, ac observandas varietates
 gravitatis a vento pendentes. Suum imprimis comméndat pro
 cognoscendis eodém tempore diversorum liquorum gravitatibus
 specificis. *Du Vernoi* describit cisternam & ductum thoraci-
 cum catopardi, phocæ & elephantis primum a se detectum.
 Catopardi sectio a Parisiensibus etiam facta offert varia, quæ
 pro supplemento descriptionis Parisinæ hujus animalis haberi
 possunt. Cisterna in hoc animali est vesicula simplex, parva,
 oblonga, transparentis, digiti minimi apicem vix admittens, cu-
 jus situs ordinarius, factoque 9 linearum itinere ductus thora-
 cici formam assumens. Canalis thoracicus triquetram laternam
 referens ex tribus tubulis in medio distantibus ac denno infra &
 supra coeuntibus constat, hæcque conformatio tribus in locis
 perspicue apparet. Duo hinc formantur canales diversæ capa-
 citatis, distantia aliquot linearum separati, qui juxta latus sini-
 strum aortæ super radices costarum usque ad cordis basin ince-
 dunt tandemque coeunt, ut unus efficiatur ductus straminis
 crassitie, qui prope arcum aortæ incipiens & jugulum versus sub
 carotide sinistra ad venam jugularem contendens, atque ultra
 vasa sub clavia notabiliter excurrens, tandemque ad medium
 fere cervicis perveniens, facta levi inclinatione in venam jugu-
 larem internam sinistram desinat. In phoca hæc singularia an-
 notavit. Inferiorum partium vasa lymphatica ad cisternam
 contendunt vix ultra pelvim ascendunt. Cisterna, quæ pro-
 xime ad pelvis confinita ortum suum habet, ampullam valde
 amplam oblongamve simulque pellucidam seu hydatiformem
 refert. Canalis huic continuatus una bifurcatione in principio,
 altera prope extremitatem cum duplici ramo ad venam axilla-
 rem contendente præditus est. Ejus amplitudo excedit pro-
 portionem corporis & arcus, quem format, prorsus singularis
 est, cujusmodi exemplum antea nunquam visum. In elephanto
 nulla vasa lactea, nullas glandulas mesaraicas illorum comites

per-

perpetuas in animantibus aliis in toto mensentrio, amplo licet ac vasto, deprehendit. Cisternæ loco nihil præter quatuor canales ductui thoracico appensos invenit. Ductus ipse admodum simplex erat, sed magnitudine sua elephanto respondens. Ejus longitudo fere 4 ped. diameter 4 lin. Nullas in eodem valvulas deprehendit. *Majerus* lucem borealem describit, quæ in borealibus istis oris tam frequens est, ut nec vulgus eam amplius admittetur. Duplicem constituit speciem. Prima vulgaris est, sub arcus forma septentrionem occupans, radios sive virgas lucidas ad verticem mittens & luce quieta splendens. Altera rarior eam in versus omnes plagas occupat, in partes divisa, quibus brevissimæ aut nullæ ut plurimum virgæ adherent, splendor ejus ut plurimum undulare videtur. In prima specie altitudinem arcus, cuius concavitas horizontem respicit, nunquam 40 gradibus majorem, nec amplitudinem crurum ultra semicirculum observavit. Arcus quo depressior, eo regularior ejus rotunditas. Novi sæpe arcus generantur vel altiorem, vel humiliorem priori; sed qui semper cum priori coalescunt. Spatium intra arcum & horizontem conclusum semper est tenebrosissimum; stellarum tamen radios clarissime transmittit. Arcus margo interior plerumque obscurus, exterior lucidus. Virgæ & interdum latiores tractus lucidi in longum expositi margini exteriori insistent ac debilius lucent, omnes recta ad verticem tendentes, quem sæpe contingunt, interdum trajiciunt. Virga quælibet ejusdem fere latitudinis in fine ac in principio, splendoris fere æqualis. Duratio unius incerta, ordinariè 10 circiter minutorum secundorum. Ortus & interitus ut plurimum subitaneus. Interdum, sed raro, integræ non sunt, sed in frusta quasi dissectæ. Moventur plerumque aut versus ortum, aut versus occasum, mox tardius, mox celerius, ita ut sese mutuo assequantur, vel cursu antevertant. Interdum raræ sunt, interdum nullæ, interdum copiosæ, arcu existente eodem. Stellæ ubique apparent, excepto obscuro arcus margine inferiore. Nubes subinde sunt luce boreali altiorem, subinde eadem inferiores. In secunda specie primo aspectu cælum flammis conflagrare videtur. Lucidæ nubeculæ hinc inde dispersæ; quæ

mox accenduntur, mox extinguuntur. Tandem accensæ manent ac virgæ prioris speciei. Nubeculæ a vertice remota projiciunt interdum virgas lucidas, sed breviores, quo vertici propiores. Fulgura quandoque cærulea iisdem interspergi ex relatione aliorum narrat *Majerus*. Species hæc auroræ borealis semper fere sociata est primæ. Utraque autem apparere solet ab æquinoctio autumnali usque ad vernale, æstate nunquam. Apparet autem cælo plerumque sereno aut semisereno. Levi vento movetur in plagam contrariam, versus quam ventus in inferiore aeris regione spirat. Duratio variabilis, sæpe pernoctes sunt, sæpe & paucatum horarum. Dûas istas species non nisi apparet et differre ex phænomenorum collatione colligit *Majerus*. Inde ulterius probat virgas lucidas generari reflexione radiorum emissorum a materia lucida, quæ ibi non existit, ubi virgas videmus. Locum materiæ lucidæ esse in regione nubium. Materiam ipsam in aere dispositam esse secundum parallelum terrestrem & in nubeculas lucidas dispersam esse. Virgas oriri a reflexione lucis, quæ in nubeculis lucidis existit, dum nimirum hæc nubeculæ radios sursum projiciunt in planities vaporum superiminentium subtilissimorum, a quibus deinde reflectatur sub forma virgarum. Generationem materiæ lucidæ his verbis declarat. Sole in regionibus borealibus versante, vel ventis calidis spirantibus, aerem calefieri, vapores aqueos subtilissimos in aerem attolli miscerique spiritibus inflammabilibus; recedente sole ad meridiem frigus succedens in eodem climate æqualiter distributum spiritus inflammabiles aqueis mixtos in nubeculas subtilissimas colligere, ex quibus spiritus inflammabiles sensum sese expediant & supra illas congregentur, quorum sufficiens copia collecta flammam concipiat & deflagret, quæ consumpta nova colligatur & accendatur, fabulamque hanc tamdiu ludi, quam possibile sit. Hæc convenire existimat, quæ *Cel. Nolfius* de causa hujus phænomeni tradidit in peculiari de eodem Tractatu in Actis A. 1716 p. 365 & seqq. recensito, dum idem pro fulgure imperfecto habet *loc. cit.* p. 368. *Michelottus* rari ac prope inauditi ex utero morbi historiam recenset, quæ ibidem legi potest. Sub finem denique observatio-

nes

nēs quædam anatomicæ exhibentur de tumoribus vesiculosis, de ruptione lienis, hæmorrhagia omenti, hæmorrhagia stomachi, utraque lethali, atque de notis & impressionibus fulminie. Notabilia sunt imprimis, quæ de ruptione lienis commemorantur. Vir juvenis pugnis cum altero sese exerceas subito cum mortuus esset, abdominis tegumentis vix incisis, tanta cruoris exiit copia, ut pelvis omnes præsentis vix sufficerent. Hæmorrhagiæ hujus lethalis causa deprehensa est ruptione lienis in medio ea parte, qua stomacho obversus est.

In Classe Historica comparent Orationes tres *Theophili Sigeridi Bayeri*; quarum prima est *de Origine & prisca sedibus Scytharum*, recitata in Academia Scientiarum Imperiali Petropolitana M. Mart. 1726. Occupatus est in hac Clarissimus Autor, in restituenda veteri gentis Scythicæ origine atque memoria, definiendisque sedibus, quod etiam haud infelici successu præstitit. Nec dubitandum, omnibus doctis hanc operam fore probatam, quia ex ista imprimis terrarum regione, in qua olim Scytharum nomen maxime viguit, res nobis illorum illustratæ traduntur. Ante omnia Autor sibi cavendum existimavit ab errore, omnibus ferè, qui de rebus Scythicis commentati fuerunt, communi, qui nimium nomen Scythicum, vastissimis quoque spatiis, extenderunt, gentesque inter se invicem mire miscuerunt. Ideoque nequaquam ex eorum stirpe Sarmaticas, Russicas & Slavonicas gentes, aut Hunnos veteres, nostrosque Hungaros, aut denique Tartaricos populos repetit, sed Lithuanos, & veteres Prussiæ incolas, Curones, Livones, Ælios, Fennos, Lappones, paucosque alios. Non cum *Samuele Bocharto* a Magogo Japeti filio Scythicam gentem ortam patat, sed ostendit, Josephum, primum hujus sententiæ autorem, ex male intellectis *cap. 38 & 39 Ezechielis*, qui terram Magog inter Tanaim atque Volgam collocat, eam hausisse, cum tamen idem ille plane contrarius sit huic opinioni. Profiteatur Clarissimus Autor, non liquere satis de primis Scytharum parentibus; id tamen argumentis haud levibus conjici posse, majores eorum ex Armenia descendisse, ac demum instantibus aliis populis ad mare Caspium, Septentrionem versus, & ad Volgam, Massagetas juxta & Issedones degisse.

Fabulam apud Herodotum de Targitao, Scytharum patre, Jovis & Borysthenis fluminis filia nato, inde originaem traxisse arbitratur: nimirum patrem Targitai Pappæum quendam, & matrem e Cimmeriis, ad Borysthenem fluvium, regia domo oriendam dici: & cum Pappæum summum Deum vocaverint Scythæ, Jovem suum putasse Herodotum. Ceterum quia ipsi Scythæ mille ante Darii expeditionem annis ortos sese tradiderunt apud Herodotum, initium Reipubl. Scytharum Autor, si Darii expeditio ante annum periodi Julianæ 4200 (A. M. 3486, A. C. 486) collocatur, circiter annum 3200, (A. M. 2486, A. C. 1486) ponit, extremo tempore servitutis Israelitarum in Ægypto. Universos se *σκολότες*, τῆ Ἑσθλητῆς ἐπινομίην, Scolotos, quod Regum cognomentum est, appellasse scribit: Scythas a græcis dictos, qui id nominis, quo ii saltem inter eos, qui arte sagittandi excellebant, vocabantur, toti deinde genti tribuerint, hodieque adhuc Lituanis Szanti, jaculari, & jaculatore[m] significare, Livonibus Skyta & Kyta seu Kyt. Observat Autor, Araxem, ultra quæ[m] prisca fuerit Scytharum regio, non esse istum Mediarum Araxem, uti Herodotus putaverit, sed Volgam, cui vetustis temporibus & nomen Araxes sive Rus, Ros & Rhas fuit. In fine addit, eundem hunc Araxem debere intelligi, ad quem Cyrus male res gessit contra Massagetas, neque cum Herodoto in Media querendum, neque cum H. Vossio, & qui hunc secutus, Cellario, Oxum esse substituendum.

Dissertatio altera est de Scythia situ, qualis fuit sub ætatem Herodoti, recitata M. Majo 1726. Quæ hic proferuntur, ita sunt comparata, ut facile Autoris tam ingenii felicitis quam iudicii vires prodant. In definiendo Scythiæ situ, ut & in locis ac regionibus singulis populis assignandis multam operam navavit. Observat, Onomasticum Aeschylumque jejuna multa atque stultitia asserere, ac permiscere omnia cum ingenti fingendi pruritu. Inhæret priori sententiæ, Scythicarum rerum ignorantiam usque ad Darii expeditionem duravisse: sub hanc vero regiones inter Borysthenem & Tanajm Scythæ tenuisse: ipsamque deum Scythiam post diligentem dimensionem, atque computationem stadiorum atque dierum intra 45 & 57 gradus longi-
tudi-

tudinis, & 47 & 55 latitudinis gradum sitam fuisse statuit. Dein recensentur flumina, quæ ex Scythia decurrunt in Istrum; Porata, nunc Pruta, in quem multi alii incidunt, uti eos narrat atque exponit eruditissimus Princeps Demetrius in histor. Moldaviz MSCta, Tianantus, nunc Alaut, Naparis, Ararus, qui Ptolemæo Hierastus; Constantino Porphyrogenetæ *σέπετος*, & nunc Siretus ac Moldava quibusdam dicitur, Maris, nunc Marosch, qui ad Segedinum amisso nomine Tibisco miscetur, Tiras, Constantino Porphyrogenetæ Danastris, nunc Dniester, Hypanis, Borysthenes, cujus fontes non in montibus Alaunicis cum præcis geographis, sed cum Matthia Miechovio Canonico Cracoviensi in Sendomiriensis agri planitie ponit, Tanais, nunc Tan & Don, Araxes seu Volga &c. Cum duo maria Pontus Euxinus & Caspium mare notiora sint, quam ut de iis quidquam dicendum esse videatur, id saltem monet, quod recte Herodotus Caspium mare, non ut nostrum nonnulli quadratum, sed longius porrectum tradat. Postquam Clarissimus Autor maria, flumina, montes, quos sine nomine Herodotus describit, suis in locis accuratè terminavit; pergit his adjumentis ad describendas suis regionibus gentes: ubi Tiriatae sistantur ultra Maria fluvium, Olbitæ supra Hypanim, Geloni & Budini: indeque Odini migrationem ad sinum Bothnicum & in ipsam Scandinaviam illustrat. Melanchlænis, genti non Scythicæ agrum assignat, in quo nunc Moscua: supra Budinos Neurosque Herodotus deserta collocat, sed monet Autor, Venedos insulasque Electridas ad mare Balticum, atque Eridanum fluvium nota ei fuisse nomina, ibique ponenda, uti ab ipso in Dissertat. *de numo Rbadio*, ad quam provocat, ostensum fuerit. Hoc imprimis operæ pretium fecit, quod in compendio quasi, recensent, quam vage populos istos *Olaus Rudbequius* per omnem Septentrionem, ultimasque Scandinaviæ oras serat: notatur quoque in fine *Nicolaus Vitfenius*, qui in prima editione *Septentrional. & Oriental. Tartaria* P. I de regionum harum antiquis incolis egit, Herodotumque produxit, sed nunquam explicuit, in altera vero editione partem eam prorsus omisit. Adjecta est tabula æri incisa, in qua facies ac situs Scythiæ veteris, qualis Herodoti ætate fuit, exhibe-

hibetur. II, quibus studium Geographiæ antiquæ, præsertim Orientalis atque Septentrionalis, cordi est, hic multas delicias offendent, atque antiquos Geographos, Herodotum, Pomponium Melam, Ptolomæum &c. sæpe notatos atque emendatos magna cum voluptate legent.

Disseratio tertia *de Muro Caucasæo*, recitata est M. Octobr. 1726. Durante bello Persico, Russisque orientales intrantibus terras montes isti ingentes Caucasæi, communiti castellis & muro vasta longitudine porrecto a Caspio mari usque ad Pontum, obviam fuere. Cumque fama hac occasione muri illius celeberrimi incensus fuisset Princeps Moldaviæ, Demetrius Cantemiricus, jam alias ingenio ac virtute sua notus, murum videnti cepit consilium: in perlustrando varia notatu digna in schedas conjecit, quas filius Antiochus Cantemiricus paternæ gloriæ æmulus cum Autore nostro communicavit. Has igitur tabulas elaborandas sibi suscipit Clarissimus *Bayerus*, easque, ut dimensus fuit stadiis Ruthenicis, atque consignatas reliquit ipse Demetrius, æri incidi curavit, neque quicquam ex conjecturis immutavit. Eo ordine progreditur Autor, ut loca, prout ea in schedis inventi, recenscat, & ab urbe Derbento, ex qua egressus Demetrius, incipiat. Refertur vero a Principe, se Derbento profectum per septem stadia Ruthenica murum explorasse, certo tamen constare, murum ad fontes Ihrani fluvii in finibus Georgiæ per quadringenta & quinquaginta stadia produci. Autor, cum fluvii istius mentionem nullibi in Georgiæ limite consignatam deprehenderit, censet ex dimensione & situ ipso fluvium esse Yori, ad 63 gradum longitudinis & 44½ gradum latitudinis. Præterea montes Caucasi esse præruptos, asperos, virgultisque confitos, ac nonnunquam in cacumine in planitiem abire, inque convallibus vineas esse: per juga montium ruinas spectari muri, turresque quasdam cum portis adhuc integras, Moscoviensis urbis, turribus haud dissimiles: crassum murum orgyiam, ruthenicam unam, lapidesque *κογχυλιάρεις*, struendi arte atque politura sela sine ferramento aut cæmento ita conjunctos ac compositos, ut vix rima appareat. Hæc sunt, quæ Autor schedis Demetrii debet. Pergit jam ea, quæ de Caucasæo
Cau-

Caucaſeoque muro memoria tenet, promere atque explicare. Ad Græcos ſcilicet ſerius, quam ad alias gentes perveniſſe Caucaſi notionem, hinc, quod in regione longinqua, fabulis aptum creditum fuiſſe ab iis, ut ideo Prometheum in Caucaſum relegatum a Jovē ſinxiſſent, tanquam in locum, quo nemo liberatum eum veniret: parum quoque Caucaſum notum per Alexandri M. expeditiones, imperiumque Lyſimachi, cum illorum res maxime in obſcuro jacerent: Pompejum e Romanis primum ad Caucaſea clauſtra perveniſſe: ex hoc tempore clauſtra duo Caucaſi, ad orientem Caſpia, ad occidentem Caucaſea innotuiſſe, temere conſuſa a ſcriptoribus, ſicque perperam Lucanum in Pharfal. L. VIII, v. 222, Pompejum inducentem Caſpia vocaſſe, cum tamen ea Pompejus, aut Romanus quiſquam Imperator nunquam attigerit. De portis Caſpiis Caucaſeisque, quales fuerint, aſſert loca ex Plinio, atque Procopio Caſarienſi in bello Gothico & Perſico: notat ſimul, etiam Procopium veteri errore Caſpium dicere, quæ Caucaſea fuerit, huncque errorem adeo infeſiſſe omnes ſcriptores, ut cum nomine memoria ipſa Caucaſearum portarum paulatim abolita ſit. Jam ad murum accedit Clariff. Autor, verum fatetur, neminem ex omni vetuſtate, ſive Latinum, ſive Græcum ſcriptorem muri iſtius mentionem injicere: Arabes contra & Perſas murum hunc celebrare ſcriptis & nomine, quorum teſtimonia in medium profert. Obſervat Gregorium Malatiemſem probabiliora habere ceteris, non ſine fabulis tamen, cujus ſententiam de ſitu regionis explicat atque illuſtrat. Inquiret porro, quod opinionibus & ſermonibus orientalium populorum vulgatur, in conditorem muri Alexandrum M. ipſas addit ſcriptorum hæc de re aniles fabulas, & dum ſuam, quid de autore muri ſentiat, dicere vult opinionem, in tam obſcura antiquitate, monumentisque incorruptis deſtituta re, mavult convellere popularem ſententiam, quam certi aliquid ſtatuerent. Se tamen, ſi quis Medos fundatores credere velit, non adverſarium eſſe, cum nulli genti ſumtuofiſſimis ceſſerint operibus: id veriſimile videtur Autori, ante Selæucum Nicatora nullum murum in Caucaſo ductum fuiſſe, ex Plinii loco, qui L. VI, c. 11, Clodium Cæſarem a Cim-

rio Bosporo ad Caspium mare CL millia prodidisse, eaque perfodere cogitasse Seleucum, scribit. Quod Seleuci consilium Autori non tantum videtur pertinuisse ad utriusque maris conjunctionem, verum etiam ad munimentum regni adversus barbaras gentes: concludit igitur ex his, si ab Antiocho Sotere, aut Antiocho Theo murus primum sit ductus, non mirum esse, quod Alexandri dicatur, cum quædam, quæ ejus *ἐπιτομῆς* gesserint, ipsi adserbantur: interim murum eo tempore, cum devictis Ponti Regibus in Romanorum ditionem pervenisset, jam concidisse, inde credibile esse, quia mentio ejus nulla apud illos, qui portas tamen Caucafeas non ignorarunt, injiceretur.

Ad calcem Operis subjicitur Diarium observationum astronomicarum: id quod & in Tomis sequentibus observabitur, eo potissimum consilio, ut tempus suppetat recipiendis exterarum regionum observationibus, respondentibus illis, quæ quolibet anno fient Petropoli in Observatorio Imperiali, aut aliis in locis imperii Russici. In primo hoc Tomo non recensentur nisi observationes Satellitum Jovis, quorum ope stabilita fuit differentia meridianorum Petropolitani & urbium totius Europæ celeberrimarum. Observationes istæ factæ sunt a fratribus *Josepho Nicolao de L'Isle & Ludovico de L'Isle de la Croyere*. Differentia Meridianorum Parisiensis & Petropolitani temporaria inde colligitur 1 h. 51' 50": unde cum R. P. *Feville* per observationes in insulis Canariis A. 1724 habitas longitudinem Parisiorum respectu partis maxime occidentalis in insula *Ferri*, inveniit præcise 20 graduum, vera longitudo Petropoleos a primo meridiano per insulam *Ferri* transeunte in gradibus elicitur 47° 57' 30". Differentia Meridianorum Petropolitani & Bononiensis temporaria prædit 1 h. 16' 0"; differentia vero temporaria Petropolitani & Ulyssipponensis 2 h. 38' 7" seu in gradibus 39° 31' 45".

JO. FRIDERICI WEIDLERI OBSERVATIO
Eclipsis lunæ totalis facta Vitembergæ Saxonum, mane
diei IX Augusti A. 1729, Telescopio Astronomico VI
pedum Gallicorum.

Initium

H. M. S.

I nitium sub Grimaldo, 9 Aug. temp. ver. vulg.	—	—	0, 1, 30
Umbra attingit Galileum	—	—	— 3, 45
— — Aristarchum	—	—	— 6, 0
— — Keplerum	—	—	— 11, 0
<p>Postea nubes tegunt lunam, albæ quidem & raræ, quæ tamen minorum macularum conspectum, & observationem appul- sus umbræ ad easdem impediebant. Hora 0, m. 40 dissi- patis nonnihil nubibus, portio lunæ umbræ immersa co- lorem referbat rufum, sed tanta caligine permistum, ut non nisi maculæ majores dignoscerentur. Minores om- nes erant absconditæ. Umbræ periphæria hispidosa & inæquabilis cernebatur.</p>			
Novem digitos obscuratos reticulo filari reperi	—	—	— 44, 30
Decem digitos mensus sum	—	—	— 48, 30
Mare Crisium dimidiû occultatur	—	—	— 54, 0
M. Crisium totum in umbram immergitur	—	—	— 57, 0
Immersio totalis, inter Langrenum & M. Crisium.	—	—	1, 1, 0
<p>Umbra clarior versus occasum, obscurior versus ortum spe- ctatur. Partem disci lunæ verticalem, umbræ portio cali- ginosior, fumo densiori non absimilis hora 1 m. 21 tenuit, donec circa eclipsis medium, hora 2, eadem prope cen- trum disci lunæ hæreret. Et quoadiu durabat obscuratio totalis, luna instar prunæ rubuit.</p>			
Emersio dubia sub Grimaldo	—	—	2, 39, 0
Emersionis initium certum	—	—	— 40, 30
Incipit emergere Galileus	—	—	— 43, 30
— — Aristarchus	—	—	— 45, 0
— — Keplerus	—	—	— 49, 0
— — Copernicus	—	—	— 54, 45
— — Plato	—	—	— 55, 30
— — Digit. IV.	—	—	— 58, 15
— — Timocharis	—	—	3, 1, 30
— — Digit. V	—	—	— 2, 30
— — Manilius	—	—	— 4, 0
— — Digit. VI	—	—	— 7, 30
	Kkk 2	Totus	

Totus Tycho emergit	—	—	—	8, 30
Incipit emergere Menelaus	—	—	—	10, 30
— — Plinius	—	—	—	13, 0
— — Cleomedes	—	—	—	18, 0
M. Crisium & una M. Nectaris emergere incipit	—	—	—	23, 30
M. Nectaris totum emergit	—	—	—	29, 0
M. Crisium totum emergit	—	—	—	31, 30
Incipit emergere Langrenus	—	—	—	34, 30
Finis dubius	—	—	—	38, 30
Finis certus, umbra exeunte inter Langrenum & Petavium	—	—	—	40, 0
Duravit igitur deliquium	—	—	—	3, 39, 30
Mora lunæ intra umbram	—	—	—	1, 39, 30
Duratio ab initio ad immersionem	—	—	—	— 59, 30
Duratio ab emersione ad finem	—	—	—	0, 59, 30
Medium	—	—	—	1, 51, 15

Numeros indicavi summa fide. Temporis emendatio pluribus ante & post eclipsin diebus facta. Quoniam autem in ædibus meis intra urbem, ob humilem lunæ situm, eclipsin contemplari haud poteram, contuli me in villam meam suburbanam, ubi liberrime, a principio usque ad finem, raro spectaculo jucunde frui datum fuit. Interim cum horologium oscillatorium ex Museo eodem mecum portare nollem, ne periculo erroris, qui in specula Parisiensi plurimis experimentis detectus est, teste *Hirco* de Usu tabul. Ludovic. p. 102, inè exponerem, adhibui in ipsa observatione horologium parvum exploratæ virtutis Londinense, idemque cum oscillatorio correcto, ante & post eclipsin diligenter comparavi. Atque eam ob causam, non nisi diavidiam vel tertiam partem minutæ unius temporis, superioribus numeris significare licuit.

A SURVEY OF THE ANCIENT HUSBANDRY and Gardening.

h. e.

h. e.

**DESCRIPTIO OECONOMIÆ ET HORTI-
culturae Veterum, ex Catone, Varrone, Columella, Virgi-
lio aliisque præclaris Autoribus, tum Græcis, tum Latinis,
desumpta &c. Autore ROBERTO BRADLEY, Bo-
tanices Prof. publ. in Academia Cantabrigiensi & Regiæ
Societatis Membro.**

Londini, apud B. Motte, 1725, 8.

Alph. 1 pl. 2, fig. æn. 4.

Liber hic Illustrissimo Vice - Comiti de Townshend, Poten-
tiss. Magnæ Britannia Regis Ministro & Secretario Status,
inscriptus est ab Autore, qui in Præfatione, de utilitate pariter ac
necessitate horti Physici in Anglia, præsertim Cantabrigiæ, in-
struendi, aliquam multa differit; in introductione autem hujus
Operis conqueritur, cum de eo, quod olitoribus & villicis An-
gliae Oeconomia veterum nondum satis perspecta sit, ob defici-
entes versiones scriptorum *Columellæ, Varronis, Catonis, Palladii,*
ceterorum, tum quod hortulani istius nationis adeo sint indocti, ut
scripta commemorata, sine translatione in vernaculam, ipsi lege-
re, vel intelligere nequeant; cum tamen in illis multa lateant ex-
perimenta curiosa, quæque rei familiari haud parum conducunt.
Induxit igitur animum *Cl. Bradleus* modo laudatos Autores, &
si qui alii veterum de re œconomica & hortensi quid memoris
prodiderunt, non quidem ad verbum in Anglicum sermonem
transfere; sed optima quævis eorum præcepta in hoc libro,
quasi in nucæ, exhibere & ad usum soli patrii applicare. Quem
in finem *Capite II* sistit Kalendarium Romanum, cum direc-
tionibus *Columellæ & Palladii*, idque per singulos anni menses,
cum temporis ratione sub climate Anglico, curiose comparat.
Capite III seq. de diversis agris stercoreandi modis, ad ductum
Columellæ, Varronis & Palladii, tractat. *Capite VII seq.* agit de
variis frumentis & leguminum generibus, qua occasione non
tantum de *Robo, Siligine, Amylo & Hordeo*, de *Pis, Fabis, Len-
tibus & Cicere*, sed etiam de *Cannabi & Lino*, præsertim vero de

Kkk 3

Medica

Medica Dioscoridis quamplurima notatu digna in medium affect. *Capite XV seq.* varias regulas generales ad œconomiam spectantes, ex Varrone, Palladio, Columella & Virgilio depro- mit, atque integrum quidem *Caput XVIII* explicationi Libri I *Georgicorum* Maronis destinat. *Capite XXI* & ultimo autem de cura avium pecorisque differit, & ista omnia multifariis annota- tionibus illustrat, adeo, ut doctissimus libellus non possit non perplacere, quibuscunque Oeconomiam studium curæ est: nisi fortasse pretium unius libræ Anglicæ, seu quinque thalerorum cum dimidio, quod nimis avare Bibliopolæ ipsi statuerunt, quos deterreat, ne tanti hanc lectionem emant.

EPISTOLÆ DIVERSI ARGUMENTI,
maximam partem ad Lucam Lossium, Lycei Luneburgensis
Pro-Rectorem, tum etiam ab aliis ad alios exarata, partim
excerptæ partim integræ ex autographo descriptæ. In
lucem protractæ & Dissertationem de multiplici Erudito-
rum studio Epistolis hæcenus impenso præmisit ADAMUS
 HENRICUS LACKMANNUS.

Hamburgi, apud viduam T. C. Felgineri, 1728, 8.

Alph. I pl. 16.

QUOD alii plures sibi faciendum esse crediderunt, ut ex museorum latebris vicorum doctorum Epistolas protraherent, multum adjumenti ad omnem eruditionem, tum etiam ad historiam literariam integritatem allaturas; id etiam Cl. *Lackmannus* est exsecutus, ex longe plurimis ad *L. Lossium* celebrem Lycei Lunæburgens. Pro-Rectorem quondam conscriptis potiores seligendo, iisdemque ab aliis ad varios conscriptas adjiciendo. Qui in hac re versatus sit, & quid in illa præliminari dissertatione dixerit, ipse titulus satis loquitur. Epistolarum ad *Lucam Lossium* scriptarum sunt centum & octo, auctoribus viris doctis, sed inter clarissima nomina non habendis: his succedunt
 p. 212. Beckerorum nonnullæ, Lossi una ad Philippum, Martini Un-
 225. dermarckii, Jacobi Schalleri, Jo. Melletii, Jo. Duzæi, Jo. Reinbo-
 227. thi, Balthasar. Bebelii, Lucæ Stolteifothi, Jo. Henichii, Christiani
 Korthol-

Kortholti ſingulæ, Bernhaldi Langedelii, Medici Hamburgeniſis, plures, ut & Jo. Henrici Bœcleri plurimæ, quas Portnerianæ nonnullæ ſane eximix, Berneggerianæ & Freinſhemianæ ſubſequuntur. Non facile quenkam pœnitebit, hæc etiam Syllogem per otium evolviſſe, ad quod faciendum cohortaturi, ex more uno alterove ſpecimine utemur. P. 17 de M. Joannis Frideri Rugienſis Superintendentis litibus nonnulla narrantur. Non injucundum erit, quod de feſtivalibus ſpectaculis Torgæ a D. Mauritio editis p. 48 relatum legitur. P. 94 de Georgio Majori quædam. Pag. 98 non poteris non ridere Conſtantis Rodenborgii ineptam arrogantiam. Pag. 145 Jo. Bugenhægius d. 19 Aprilis deceſſiſſe ſcribitur, quod vulgo ad ejuſdem menſis XX refertur. Quis fuerit D. Philippi ſenſus de S. Cœna cum Luthero vivo, tum eo mortuo ex Jo. Sthenii Epistoſola p. 184 clariffime addiſcere eſt. Jo. Henr. Bœcleri inconſtantiam animi loquuntur, quæ p. 352 de ſua Belli Danieliſtoria tradit, collata cum illis, quæ ſp. 370 exſtant; antiqua fuiſſe Bœclero cum Jctis Argentinenſibus barbaræ patronis certamina indicant, quæ p. 360 ipſe conqueritur. Quibus auxiliis Berneggerus ſua publicæ luci expoſuerit, vide p. 363, quem modum Bœclerus ſequi cupivit, ſed incallum, conf. p. 383, 386; de Libello: *Motus animorum in Europa & Aſia ſuper bello Polonico*, & Harsdörfferi intemperie p. 401; de captatoribus Gallis, Argentinenſiumque in eodem ſtudiis quædam p. 466; de Bolneburgii captivitate nonnihil p. 489; is enim eſt Mæcenæ Germanicus in Aula Moguntina. Comitiorum Germanicorum iſta tempeſtate navos graviter deſcribit Portnerus p. 511. Idem de ſua cum Jacobo Puteano amicitia præclare p. 519; meriti Marix Cunitix laudes p. 528. Sed hæc nos obſervavimus, alii alia, quibus hoc præire ſpecimine fuit noſtrum.

p. 269.
350.
499.

CHRISTIANI GOTTLOB HALTAUSII,
Lipſ. Calendarium Medii Œvi præcipue Germanicum, in quo obſcuriora Menſum, Dierum, Feſtorum ac Temporum nomina

nomina ex antiquis monumentis tam editis quam MSS. eruuntur, multi etiam errores modeste corriguntur in usum Historiæ ac Rei Diplomaticæ.

Lipsiæ, apud Jac. Schuster, 1729, med. 8.

Plag. II.

Qui de Festis Christianis eorumque origine & rationibus exposuerunt, plures recenseri possunt autores, in vulgus noti, & inter ineditos *Godofr. Imannus*, cujus autographum est in Bibl. Mencken. sed qui hoc argumentum ad studium diplomaticum German. accommodaverit, nominari potest nemo. Hinc operæ pretium fuit & labor homine Germanico dignus, in eo vires & industriam exercere; quod Cl. Autor hujus scripti præstitit. Dividitur illud in Calendarium Generale & Speciale; in illo nomina Mensium, Dierum, Hebdomadis, Quatuor Temporum, Vigiliarum &c. proferuntur; in hoc vero peculiaria nomina Dierum ac Festorum anni. Eximius nominum illorum numerus, quibus Germani quondam in designandis temporibus usi sunt, proponitur & explicatur; quorum ratio sæpe ita est abstrusa, ut Viros Clarissimos aut fugerit aut in errores induxerit. Exemplo est *Dominica Circumdederunt*, *als mē die Meyde verbutet*, quam quidem B. Tenzelius aliis relinquit explicandam, Autor verò de *velaudis montalibus* interpretatur, addita per digressionem vocis *Butteil* derivatione; item *der weise Sonntag*, quam omnes pro Dominica in Albis habent, sed loca clarissima diserte probant, esse Dom. *Invocavit*; porro *unser Frauen Latern-Tag* non Festum Candelarum seu Purif. est, sed Nativ. Mariæ. Unde satis intelligitur, quam facilis error atque confusio sit in ejusmodi nominibus; quod amplius etiam ex multis vocabulis *der Fastnächte* demonstrari posset, ad quæ Nasonis verba *Met. II, v. 13 seq.* leviter mutata pertinent:

— — *Facies pane omnibus una est,*

Sed diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Nihilominus hæc omnia solícite distinguit Autor, nec tamen
(quod

(quod ingenne fatetur) omnes eluctari potuit difficultates. Relinquit iudicio eruditorum, annon *der wenige Rinn-Abend* ad diem Jovis ante *Eslo Mihi, Aller-Mann-Fastnacht* ad Dom. Invo-
cavit, *unser Fr. Mittel-Messe* ad Fest. *Visit. Mariæ* sint refe-
renda? Petit item a Lectoribus, ut vel novis nominibus vel me-
liore jam propositorum ordine aut explicatione auxilium sibi fe-
rant, quo copiosius & accuratius aliquando adornari possit Ca-
lendarium. In Praefatione speciali agitur de anni Epochâ Ger-
manorum in Medio Ævo usitata, unde scilicet non antiquissimis
solum temporibus, sed introducta etiam religione Christiana ma-
jores anni duxerint exordium; qua in re singularum gentium &
nationum mira fuit diversitas & variatio. Ritus Ecclesiastici,
qui passim adinſcentur, valent & ad jucunditatem & ad usum;
sicut præcipue ad diem SS. Innocentium *Episcopatus ille Pucro-
rum*. Atque ita breve hoc quidem est, sed diffusæ disquisitio-
nis Opusculum, nec in trivio conceptum (ut Autor ait), sed ex ra-
rioribus & vastissimis libris, monumentis item MSS. quorum
insignem copiam per Patronos & Amicos nactus erat, concin-
natum.

Steine des Anstossens, durch Unmerkungen u.

h. e.

LAPIDES OFFENSIONIS OPE OBSER-
vationum in dicta quædam Scriptura, que partim diffici-
lia videntur, partim in deteriorem partem rapiuntur, e-
via populi Dei submoti a JO. WILH. DE LITH,
Ser. Marchionis Brandenburg. a Consiliis Ecclesiasticis, &
Consistorialibus, Pastoreque Onoldi Primario.

Pars II.

Onoldi, apud Jo. Wilh. Rönagel, Bibliop. Norib. 1729, 4.

Plag. II.

QUI priorem hujus Opusculi partem, una cum hac denuo in
lucem jam revocatam, excepit, bonorum virorum docto-
rumque applausus, alteram, quæ nunc primum prodit, videtur

provocasse. Illa concionibus decem totidem nobilia Scripturæ S. dicta ab objecta difficultatum & δυσεμπνευστων nube vindicaverat; hæc observationibus XXVII singulas S. Codicis sententias, brevius quidem illas, sed non minus solide modesteque tum explicat, tum a profanorum hominum abusu liberat, quæ posterior ratio non multum a Speneriana abhorret. Operæ pretium est referre quædam pii & eruditi laboris specimina. *Prov. XVI, 4* versionem, quæ Deum omnia ita facere ait, ut inter se quadrent, unumque alteri respondeat, concinnitate quidem sententiæ sapientissimò numine dignæ commendari; ac cum Latini potius quam Hebræi sermonis indole convenire censet, vocemque *אָנָה* interpretatur ex significatione radicis *אָנָה*, quæ non semper *respondere*, sed interdum simpliciter *loqui* significat, v. g. *Pf. CXIX, 172*; unde etiam *אָנָה* *Mich. III, 7* verbum B. Lutherus noster reddidit. Nominalem significationem indicat, ipso iudice, patâch articuli sub *ה* cum dagesch proximæ literæ impresso. Sententia autem emergit ejusmodi. *Facit Deus omnia ex verbo suo*, h. e. ex voluntate sua sanctissima, qua rebus qua verbis declarata: *impium* etiam facit, h. e. *constituit ad diem malum*, seu ad pœnam scelerum, sua malitia non divino nutu perpetratorum justo tempore laendam. Hic modeste indicat S. Rev. Autor, curiosas de origine mali, & causas, cur Deus tot mala fieri permittat, disputationes vetitam sibi arborem cognitionis boni & mali videri, cum satius sit digito compescere labia, & cogitare ad rationem quidem Deo reddendam nos obligatos, non illum nobis. *Matth. IV, 5-8* illam tuetur sententiam, quæ negat *portatum raptatumve* per aera a satana optimum salutis nostræ autorem, sed *assumptum* docet, sive *deductum* ut *Luc. XVIII, 31* &c. quam quidem sententiam recordamur etiam a B. nostro *Godofrido Olecrio* ita defensam, ut simul profanam & impiam *Bouhoursii* versionem, *le diable l'emporta*, abominaretur. Commendat hac occasione S. Rev. Autor in disputatione circa potentiam diaboli inmoderationem mediam inter errores Beckeri & crudelitatem eorum, qui falsa magiæ suspitione irritati in innocentes sæviunt; laudatque notabilem B. *Calovii* sententiam, quam ex *System. T. IV p. 338* huc etiam repetere non

abs re fuerit, multa magis & veneficis eveniunt, qua vere ipsi agere sibi videntur. v. g. formam lupinam assumere, per aerem vehi &c. cum meræ sint prestigiæ Satanae, phantasmæ & sensus turbantis, oculos fascinantis &c. Matth. XX, 1 sqq. vexata, infinitis prope interpretum & concionantium sententiis, parabolæ scopum ex his, quæ præcedunt, eruit eum, ut ostendat Christus, qui prius ad se vocati venerint, non ideo prærogativam quandam habere præ his, qui serius accesserint. Prævidisse optimi servatorem, quod postea evenit, futurum nempe, ut Paulo, aliquando serius ad gratiam & ἀποστολήν vocato, præferrent quidam Petrum & ceteros, primum illi sanctissimo muneri admotos: quia de re non uno loco, in epistola præsertim ad Galatas, Paulum queri, constat. Hoc igitur sibi velle parabolam, si quis serius vocatus multa feliciter administruerit, successuque laetos habuerit, non esse, quod invidéant alii, potius unicuique videndum, uti vocationem & electionem ipse suam non reddat irritam. Ad Marci III, 28-30 coll. Matth. XII, 31, 32, it. Luc. XII, 10 βλασφημίαν & βλασφημίαν generalius intelligi vult, quam versio B. Lutheri indicare videtur, qui vertit Gotteslästerung; & porro peccatum in filium hominis ab his commissum, qui, quod ipsi etiam Paulo usu venit, tenui statu & conditione misera Jesu Nazareni offensi Messiam illum esse negarent: calumniæ autem in Spiritum S. eos fuisse Phariseos, & horum similes, qui conspectis, malitiose tamen spreto miraculis divini Spiritus; Christi sanctitatem atque potentiam demonstrantibus, unde evidentissimum argumentum de veritate religionis Christianæ ducere poterant, nullent illa impuro Spiritui & Beelzebubō tribuere &c. Dicitur 1 Cor. III, 15 explicans originem fabulæ ignis purgatorii refert ad conjecturam Augustini, qui cum primus enchir. ad Laurent. c. 69 quæstionem, an nonnulli fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salventur? attulisset; posteri, quod ille sine ulla affirmatione dubitanter proposuerat, pro certo putarunt. 1 Cor. XV, 29 οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν sunt S. Rev. Autori, qui ex Sirac. XXXIV, 25 (al. 30) dici possant βαπτίζομενοι ἀπὸ νεκρῶν, ex lege Mosaica Num.

XIX, 18, 19. Ablutio illa & submersio resurrectionis mortuorum symbolum erat, quod satis docet ipse Apostolus Rom. VI, 4, 5. 2 Cor. V, 16 negat idem se adhuc *γνωσκεν χειρὸν κατὰ σάρκα*, h. e. negat se provocare velle, adversus Cephanos; qui crepabant magistri sui longissimam cum *θεῶν θεῶν* in terris consuetudinem, ad visum a se corporea specie servatorem. Sed si excerpere singula velimus, quæ observari merentur, brevitatis nostræ terminos, quos jam videmur migrasse, plane relinquere opus fuerit.

Ausführliche Kirchen-Historie von Erschaffung der Welt bis auf Christum ic.

h. e.

HISTORIA ECCLESIASTICA PLENIOR
*a Creatione mundi usque ad Christum, una cum Chronologia
 ex optimis Autoribus diligenter composita; Autore M.
 JO. HIERONYMO WIEGLEBIO, Pastore
 Glauchenst.*

Tomus III.

Halæ Saxon. sumptibus Orphanotrophii, Tom. I, 1726,

T. II & III, 1729, 4.

Alph. 13.

Illud in luculentiori hac ecclesie Dei historia potissimum agendum existimavit Venerabilis ac solertissimus Autor, ut res omnes memoria dignas, non ut in Compendiis fieri solet, concise & abrupte, sine rerum nexu & eorum, quæ circumstant negotia, accurata declaratione percurreret; sed explanatori sermone eorumque omnium, quæ ad intelligendas res gestas necessaria sunt, solida enarratione solum ordinemque historicum secutus traderet, ideoque & temporum seriem, Usserii Calvinique præstantissimorum Chronologorum computandi rationem tenens, in ora paginaarum adderet, & cuncta patrio sermone terro & perspicuo usus in clarissima luce collocaret. Eo fine libros biblicos antiquissimam œconomie divinæ rerumque gestarum

starum memoriam complectentes ordine, quo se excipiunt, historico in hoc Opere recensitos, eorum præcipua momenta annotata, plurimisque in locis face accensa opus habentibus earatione, qua *D. Majus* in *Oeconomia Vet. Test.* & *Gurtlerus* in *Theologia Prophetica* usi sunt, illustrata dedit: addita singulis clarissima introductione & uberiori Auctorum, a quibus libri illi sunt profecti, argumentorum, quæ tractant, & temporum, quibus scripserunt, rerumque status notitia, complemento etiam eorum, quæ sacri vates jussu instinctuque Dei longo ante tempore prædixerant; sive ad ecclesiam Dei sive ad publicam rem civilem pertinerent, eo, quo evenerunt, tempore subjuncto. Civilem enim in hoc Opere cum ecclesiastica historia pro mutuo utriusque nexu influxuque conjunctam; adductosque, quos penes rerum fides sit narratarum, Auctores gravissimos hic ubique reperias: qua quidem re & sacrorum librorum fides frequentissime antiquissimorum scriptorum, *Diodori Siculi, Herodoti, Plutarchi, Justinii, Curtii, Nepotis, Arriani, Strabonis, Taciti, Josephi*, aliorum narrationibus firmatur, illorumque dictis lumen & ratio a divina pendens voluntate accenditur: cujus rei luculentissima ex iis, quæ *Ezechiel* ac *Daniel* vaticinati sunt, ac ingens ad rerum commutationem publicarum momentum habuerunt, petere exempla licebit. Præcipuum imprimis finem suum & quem præstitutum historię omni scripturęque scopum agnoscit, utique ante oculos habet, summoque animi nisu studioque sequitur S. Rev. Autor: divini scilicet regiminis in propaganda tutandaque ecclesia modum, sapientissimasque servandę illius tot in adversis Dei vias, ut ubique rimetur ac admiretur sacreque lectorum admirationi patefaciat, observationi commendet, in memorię inculcet. Inde ostendit ubique, per quem tot obflaculis disjectis, tot impedimentis superatis, finem istum obtinuerit Deus, *humani generis Servatorem*, a lapsu inde eidem promissum, tot Levitici cultus victimis ceremoniisque adumbratum, ultra hominum captum tandem Judæorum rebus ad incitas redactis a virgine editum: hunc vere divina saluberrimaque doctrina, stupendis omnemque naturę virtutem superantibus miraculis, hominum bono perpetratis; morte denique & ad

gloriosam vitam resurrectione potentissime declaratum Dei filium asserit, illaque opera hunc suum laborem finit, ut addita Part. III, p. 419, a. §. 146 efficacissima *ἀπεδείξει, quod Jesus sit verus Messias* ostendat, & hoc velut optatissimo laboris sui fructu suum Opus obsignet & ad finem us- coronet. In quibus cum sæpe gravissimi momenti quæstiones que incidant, ea illas animi moderatione & *ἀκριβεία* tractat, ut adductis Lutheri, Brentii, Herbergeri, Calovii, Seb. Schmidii, Buntingii, Dapperi, Carionis, Strauchii, Maji, Lundii, Grotii, Ufferii, Spanheimii, Bocharti, Huetii, Ligistoti, Burmanni, du Jean d. Espagne, Momma, Gurtleri, Witsii, Perizonii, Mascampii, Clerici, Cavei, aliorumque sententiis optimam veritatisque ac rebus ipsis convenientissimam lectori suo commendat; cujus rei specimina ex istis capere licet, quæ Parte II p. 556 ad dubia circa sanitatem Regi Hiskia a Deo restitutam mota ab eruditis; quæ Parte eadem inde a pag. 145 sqq. ad Zachariae prophetica oracula commentatus est; quæ denique Part. III, p. 96 §. 11, de Codicis Ebraei interpretatione græca LXXII Senioribus Judæis ab Aristea attributa collatis eruditissimorum Virorum sententiis docte & accurate disquirat: ut plurima alia ex ipsa libri lectione non sine certissimo commodo benevolo lectori cognoscenda relinquamus.

**SCRIPTORUM HISTORIÆ MARCHIÆ
Brandenburgensis Volumen. Cum Præfatione JO. GOTT-
LIB. KRAUSII, Hist. in Acad.**

Vitemb. P. P.

Francofurti & Lipsiæ, impensis hæred. Godofr. Zimmert-
manni, 1729, 4.

Alph. 11.

Nihil adhuc ab ayito antiquitatum patriarum studio remississe Germanos, præter editos in lucem his proximis annis tot Commentarios novos; satis evincunt & veterum de rebus patriæ nostræ autorum dudum vulgatæ collectiones, nuper denuo prelo subjectæ & novo cultu auctæ ornataque; & alii gentis nostræ aut inediti, aut reperiendi hæud temere scriptores historici, nunc de-

demum in unum corpus coacti. Atque nunc quidem in ornanda consimilibus collectionibus, earum cumprimis, quibus Marchiarum, id est limitanearum nomen a Cæsarium veteri limitum Imperii tuendorum insitito hæsit, Provinciarum historia versari eruditos Germanicarum rerum cultores, observat in Præfatione Operis, quod præ manibus, Cl. *Krausius*. Siquidem prolatis ab Ill. Francofurtensis Acad. Antecessore Christ. Gottfr. Hoffmanno decennium abhinc in publicum Lusaticæ Marchiæ Historicis, superiori anno secuti sunt Cel. Menckeni nostri beneficio Misnensis Marchiæ Scriptores; quos nunc excipiunt, qui Marchiæ Brandenbûrgicæ illustrandæ operam addixerunt. Horum itaque Volumine primo, quod proditum est nuper, quid mercedem venditum erudito lectori editores, paucis nunc a nobis est exponendum.

Bini scilicet rerum Marchicarum scriptores, vel sola raritate admodum commendabiles, hoc Volumine continentur; ineditus alter adhuc, alter dudum typis exscriptus, sed tam raro integer obvius, ut raritate sua ipsos Codices MSS. provocare potuerit. *Nicolaus Leuthingerus* is est, cujus de Marchia & rebus Brandenbûrgicis Commentarii in instructissimis etiam Principum Bibliothecis desiderati sunt hucusque, quanquam pars Operis una aut altera passim inter cimelia custodiretur. Cum enim partes illæ XXX, quibus universum Opus absolvitur, neque tempore eodem, neque eodem loco prela fatigarint, prætereaque non sumitibus bibliopolarum, sed vel auctoris, vel eorum, quorum nominibus inscriptæ leguntur, typis expressæ fuerint, factum est, ut variorum in sereniis negligentius habitæ, difficillime reperiri atque in unum locum conferri possent. Quamobrem cum & locupletissimi, inde ab initio sæculi XVI usque ad annum ejusdem nonagesimum quartum, rerum in Marchia gestarum annales haberentur Leuthingeriani, & insigni candore veritatisque studio, pertinaci in perquirendo diligentia, usque rerum & varia doctrina, sibi denique elegantia se commendarent; passim pro restituendo in lucem Opere præstantissimo vota huncupata sunt, manum etiam admoventibus maximo suo tempore in aula Brandenbûrgensi literarum Mæcenate Ottone L. B. de Schwerin, & post eum
Chri-

Christophoro Hendreichio, Potentissimo Borussia Regi non ita pridem a Bibliotheca; præter ceteros autem Ernesto Martino Plarrio, eidem Serenissimo Regi a Consiliis aulæ & bellicis. Hic enim non tantum a se collecta & cum diversis exemplaribus collata, præmissis quoque argumentis illustrata & secundum annorum seriem collocata Leuthingeri Commentaria aliaque ejusdem Opera editurum, sed etiam vitam & adversas censuras malevolorum vindicias, notulasque breves & indicem locupletissimum additurum se recepit.

At enimvero tot egregiis destinatis non favit fortuna, neque satisfactum est desideriis eruditorum, donec consilium edendi Scriptores rerum Marchicarum caperent hæredes Zimmermanni; qui Tomum hunc primum emendate, typisque recentibus nec detritis descripsi & nomina locorum diverso a ceteris caractere, quem cursivum vocant, hominum vero nomina majusculis literis exprimi curarunt. Leuthingeri libros singulos argumenta non tantum præcedunt, sed etiam, pro commodiore legentium usu, in marginæ suo quæque loco adjiciuntur: anni vero, quorum historiam exponit Autor, ad oram singularum paginarum signantur. Diversis alio atque alio tempore, quod collatio variorum exemplarium docuit, partes Operis, epistolis præmissis, inscripserat Autor, quas, ne quidquam desideraretur in hac editione, quod legebatur in priori, singulas atque universas ad calcem Operis conjunctim exhibere visum est. Ordinem non eum, quo primum partes Commentariorum suorum ediderat Leuthingerus, aut quem numeri partium indicabant, sed quem poscebat rerum gestarum series, secuti sunt editores: quamobrem Topographia utraque, quam in partem septimam rejecerat Autor, reliquis nunc est præmissa. Ut autem qui priori editione usi sunt, aut ab aliis ex illa prolata in recentiori hac evolere cupiunt, commodius invenire possent quæsitæ, Tabula in limine adjecta, prior illa cum hac recentiori confertur. Ceterum, ut omnia ejusdem Autoris scripta eodem Volumine haberentur, neque Carmina Leuthingeri omissa sunt, præsertim cum pleraque historici sint argumenti. Accedit vita Autoris, a viro industrio & erudito conscripta, e qua simul pluribus discere licet,

quæ

quæ ad rationem Commentariorum horum, eorumque laudes, censuras, vindiciasque spectant: & observationes quædam Celeberr. *Menckenio* nostro, cum obiter eosdem evolveret, natæ; qui prolixiori collectionis hujus commendatione, cujus spem publice fecerat, usurus erat, nisi graviores occupationes eum ab instituto revocassent.

Leuthingeriana comitantur *Zachariae Garcai* successiones familiarum atque res gestæ Illustrissimorum Præsidum Marchiæ Brandenburgensis, ab A. 927 ad A. 1582; Opus, ut diximus, nunquam antehac in publicum edicum, & vel eo nomine commendandum, quod præter descriptionem regionis & incolarum, universam Principum Marchiæ Brandenb. historiam ad sua tempora, brevi concinnoque compendio persequatur Autor. Ad fideri Operi conciliandam, observante in Præfatione Cl. *Kraviso*, facit, quod ab aliis accepta pleraque ipsis autorum verbis recitet, atque diplomata, principumque rescripta, epistolas & alia monumenta, integra & illibata, eadem, qua consignata sunt olim, lingua, in medium proferat, neque numerorum etiam testimonium, & carminum, quibus prisco more illustrium heroum egregie fortiterque facta canebantur, sibi duxerit esse negligendum. In temporum rationibus subducendis (eodem iudice) diligens cum primis est, & accuratus, Principumque familias etiam schematicis adjectis illustrat, neque quidquam omittit, quod rebus lucem scenerari lectorumque commodo inservire possit. Impenderunt huic scriptori non minorem curam atque Leuthingero editores, atque binis inprimis usi sunt exemplis calamo exaratis, quæ majori præ ceteris fide digna multisque locis locupletata esse deprehenderunt, e quibus excerpta sunt, quæ in aliis deerant, illique adjecta, cui major fides suo merito tribuebatur quam iis, quæ manibus variorum teruntur. Videri autem poterat pars melior deesse concinno huic historiæ Marchicæ compendio, nisi ad nostra usque tempora narrationis filum perditum esset; quapropter id muneris dederunt docto cuidam viro bibliopolæ, qui quidem eo consilio hanc provinciam suscepit, non ut universa, quæ a laudatis Principibus prudenter fortiterque perpetrata sunt, silo verbisque exprimeret, sed ut præ-

cipua tantum rerum illis temporibus gestarum capitâ levi pen-
cillo adumbraret. Equidem optat in Præfatione Cl. *Krausius*, ut
huic Opusculo accedere potuissent notulæ, quas codici suo ad-
jecerat vir Clarissimus atque historiæ patriæ, si quisquam alius,
scientissimus, *Martinus Fridericus Seidelius*, quas in museo Il-
lustris cujusdam viri custodiri constat; sed operarum, ob
nundinas instantes, festinatio his comparandis locum minime
concessit.

Habes, quæ ad Operis historiam spectant. Superest, ut de vi-
ta utriusque autoris nonnulla, pro instituti brevitate, subjicia-
mus. Et *Leuthingerus* quidem lucem adspexit in oppido Veteri
Landsberga, A. 1547, patre Nicolao ibidem oraculorum divino-
rum mysta. Cum prima literarum tyrocinia in ludo patrio, Ber-
naviensi deinde & Spandaviensi posuisset, in illustrem scholam
Misenensem, civibus alioquin tantum dicatam, singulari indul-
gentia Augusti Saxonie Electoris admissus est, annos natus qua-
tuordecim, tantumque ingenio & industria profecit, ut anno
tertio in illa palæstra nondum exacto, paterno jussu in Acade-
miam Wittebergensem evocaretur. Sed paulo post, cum Jo. Ge-
orgius Elector Brandenb. edixisset, ne Marchiæ cives in exteris
musarum castris militarent, Francofurtum concessit, ibique
Theologicis, oratorijs, historicis, philosophicis poeticisque stu-
dijs operam dedit, eo successu, ut anno ætatis undevicesimo
summis in philosophia honoribus iavitus ornaretur, & forman-
dis variorum juvenum nobilium moribus studiisque per quia-
quennium cum laude præset. Crosnam deinde accersitus,
scholam non ultra annum cum dimidio rexit, incredibili cupi-
ditate captus, peregrinas regiones videndi, quam tamen cohi-
buit optimis sæpe ingenij inimica egestas, atque ut animo re-
pugnante scholæ Spandaviensis regimen susciperet, virum ade-
git. Sed neque hic diutius, quam Crosnæ, subsistit, recusatoque
sacro munere, a Fürstenwaldensibus primum, tum etiam a
Trebinensibus oblato, & conjugii vincula averfatus, clam patre
Wittebergam abiit & paulo post Germaniam superiorem, par-
tem Italiæ & Insubriam perlustravit. Redux Wittebergam A.
1580, Carminibus editis, favorem sibi Joannis Georgii Electoris
Bran-

Brandenburg conciliavit, ejusque commendatione sacrum munus Landsbergæ obtinuit: quo tamen post triennium se abdicavit & Wittebergam repetiit A. 1583, indeque partem Italix, Gallix, Hispanix, Angliæ, Belgii, Norwegiæ, Daniæ, Sueciæ, Prussiam, Livoniam, Poloniam, Bohemiam, atque regna peragravit, neque usquam sedem figere voluit, laudis etiam hinc inde conditionibus invitatus. Danicum autem iter ei maxime fuit honorificum: libro enim Carminum Friderico II Regi consecrato, Fridericiburgi laurea poetica & ordinis equestris dignitate est condecoratus. Neque sic tamen peregrinandi desiderium expleverat. Quanquam enim Wittebergæ iterum rediit A. 1587, in ordinem redigeret in itineribus a se collecta, atque nonnullas Commentariorum suorum partes publici juris faceret; anno tamen 1592 iterum in Italiam demigravit, atque in Academia Senensi agens, absens Wittebergæ, in turbis illius temporis, irreparabilem jacturam Bibliothecæ, tanto labore, tantisque sumptibus collectæ, fecit. Ab eo tempore plurimam otii partem Wittebergæ historiæ scribendæ impendisse videtur: neque tamen studium peregrinandi, etiam ætate ingravescente, deposuit. A. 1603 enim in Galliam abiisse, 1608 Silesiam perlustrasse, 1606 & 1609 Prussos adiisse, 1610 ad Juliacenses, & 1612 in Daniæ demigrasse legitur. Quoties in his itineribus in vitæ discrimen adductus sit, quos carceres, depredationes, vulnera, inquisitiones, expilationes atque pericula subierit, e vita Operi præmissa discere lectorem, quam hic pluribus commemorare malimus. Continuis hisce peregrinationibus tandem confectus, e vita discessit Osterburgi in veteri Marchia A. 1612, natæ annos 64. Quæ de animi ejus indole, de Carminibus, Orationibus & Commentariis imprimis de rebus Marchicis, prodeoque tantum Operis, quod animo destinaverat Autor, plenioris atque perfectioris, ejusque fautoribus, editionibus, raritatis causis, stilo, laudibus, invidiis & adversariis, censuris iniquis atque vindictis fufus persequitur Autor vitæ, quæque in notis nonnullam prolixioribus ad notitiam virorum eruditorum Leuthingero eorumque facientia profert; ea hic repetere instituti ratio non permittit.

Zachariae Garcae de rebus pauciora ad nos pervenerunt. Natus is erat Prizwaldi, haud ignobili Prignitiae oppido, atque optimis artibus in ludo patrio imbutus. Wittebergam contenderat, juris disciplinae, sacris praeterea rebus, philosophicis & philologicis operam daturus. In quibus cum per aliquot annos versatus esset, scholam patriam praefectus est A. 1571. Sed cum ad externos excurrere decrevisset, muneri scholastico, quarto, ex quo id susceperat, anno valedixit. Peregrinatione tamen, ob turbas publicas, non ex voto succedente, veteris urbis Brandenburgi scholam regendam accepit A. 1575, annoque sequenti senatui Brandenburgensi adscriptus, Syndici munere functus est aliquantidum, donec inter Scabinos ejusdem urbis locum consequeretur. Quousque vitam produxerit, perinde atque cetera viri, ignoratur: nisi quod conjectura sit, eum longius producturum fuisse. Opus, quod nunc in lucem profertur, historicum, si post A. 1582, in quo illud desinit, diutius supervixisset. Neque, si ab hoc Opusculo discesseris, aliis ingenii monumentis innotuit, praeter Orationem sub initium muneris scholastici Brandenburgensis recitatum & typis tum temporis expressam.

Ceterum publico nomine rogamus editores Operis hujus bibliopolas, ut, pro amplissimo apparatu Scriptorum Marchicorum, qui ipsis, ut ex Praefatione discimus, ad manus est, quamprimum plures hujus Collectionis Tomos luci exponant, atque praeter Chronicon Leninense, hucusque inter deperdita relatum, Fastidios quoque, Schoeckios, Becmannos aliosque, quorum spem facere videtur, Cl. *Krausus*, in scenam producant.

FRIDERICI HOFFMANNI MEDICINAE
rationalis systematicae Tomus Quartus; quo specialis morborum pathologia & huic superstructa solida therapia cum medendi methodo, cautelis clinicis & morborum enarrationibus, adjuncta epicrisi adhibentur, Pars prima, doctrinam de omni generis febribus, tam intermittentibus, quam continuis & acutis inflammatoriis perspicua & demonstrativa methodo tradens.

Halae.

Hala Magdeburg. in officina Reuegeriana 1729 A.

Alph. 3. pl. 6.

Citius sane spe nostra impensissimis eruditorum precibus exorari se passus est Illustris Auctor, atque nec gravissimis negotiis, nec magistratu, quem per annum gessit, Academico, nec ingravescentis senectutis incommodis obstantibus, quartum hunc Medicinæ systematicæ Tomum, sive partem ipsius prioris lûci publicæ commisit, quæ omnis generis febrium pathologicam & practicam specialem disquisitionem cum cautelis & observationibus clinicis, nec non morborum curationumque historiis complectitur. Ipsam ergo in genere febrem intermittentem prudenter definit, quod sit spasmodica universi systematis nervosi & vasculosi affectio, juncta cum omnium in corpore functionum læsione, orta a causa nervosas partes ad intentionem contractionem irritante, ita quidem, ut accedente ipsa, fluida vitalia primum ad interiora, cor & majora vasa ab externo ambitu agantur, & postea aucta cordis & articularum systole, celeriter cum æstu per strictiora vasa iterum extrorsum pellantur, donec spasmo laxato, excretionibus succedant & febris desinat. Speciatim deinde ad tertianam transiens, veram ipsius sedem constituit in biliariis hepatis ductibus & duodeni flexura; causam verò in materia excrementitia salido-sulphurea & activa indolis; in indicationibus curatoriiis eo respiciendum suadet, ut biliosi humores temperentur & per poros evacuentur, spasmi in paroxysmo mitigentur, sordes primæ regionis acidæ obtundantur, biliosa & viscida corrigantur & per inferiora evacuentur, & debiles denique partes roborentur, quod per corticem chinæ in substantia exhibitum optime fieri posse asserit. Quartanæ porro eosdem cum tertiana natales assignat, hæc saltim intercedente differentia, quod tum materiam illi activam & causticam acrimonia imbutam nupta sit materia altera ex pancreate ad acidam viscidam indolem accedens, quam hinc diuturniores dare inducias, nec tam cito colligi & ad spinalis medullæ membranas tardius appellari arbitratur. Ad istius vero contumaciam expugnandam præter alia multa commendat imprimis binam a se inventam probatissimi usus medicamenta, infusum nempe

M m m 3

Sect. I.
proleg.

Cap. I.

II.

Cap. III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

pe vinosum, ut vocat, & pulverem resolventem & robórantem, quorum descriptionem simul fideliter & liberaliter communicat. Febris quotidianæ legitimæ causam potissimum ponit in glandulis & glandulosis intestinorum tunicis nimium remissis & relaxatis, his quæ loco subtilis lymphatici salivæ succi, copiosum serum impurum percolantibus; ad quam profligandam commendat imprimis salia neutra & acria aromatica cum pilulis balsamicis, nec non thermas atque acidulas. Post ad febres intermittentes epidemicas anomalas inali moris accedit, quæ superioribus A. 1726, 27 & 28, univarsæ fere Germaniæ fuerunt quasi contagiosæ, in quibus mitigandis profuisse maxime notat diaphoretica fixa & analeptica & blanda laxantia. Febris semitertianæ fontem assignat interceptum per mesenterii compagem sanguinis transitum atque hinc in contiguis tunicis nervosis obortam inflammatoriam stasim, cui proinde obviam eundem monet pulveribus diaphoreticis leniter nitrosiss, nec non potioribus mannatis cum cremore tartari. Febrem contra catarrhalem benignam originem ducere existimat ex sero acri caustico in tunicis glandulosis subsistente eademque inflammante: in illius ergo curatione attendendum esse docet, ut acrimonia temperetur, perspiratio promoveatur & mucus denique e faucibus naribusque commode educatur. Febris porro variolosæ fomitem ingeniose constituit in succo chyloso lymphatico impuro matris, sed viscositate quadam involuto & tubulis spinalis medullæ infantis firmissus impacto, ibique tam diu delitescente, donec in modum fermentativum sui multiplicativum ab aliis causis deducatur; succis infundatur & critica quasi desputatione e corpore exturbetur. Ipsam medendi methodum eo dirigi suadet, ut vomitus & epilepsia compescantur, æstus mitigetur, salivatio moderetur, ardor & dolor faucium mulceatur, oculi defendantur & vitio jam affecti sanentur & alvus opportune ducatur. Febris vero morbillosæ originem probabiliter trahit ex recrementis succi nutritii primi in utero, vel materni lactis extra uterum, glandulis quibusdam forsitan firmissus impactis & ex longiori mora corrosiva plane indole imbutis. Ceterum morbillorum medicationem eandem fere statuit

ac variolarum. Febris purpurata vel proprie sic dicta, vel al-
 ba, causam proximam allegat illius quidem serum sanguinis
 acre salino-sulphureum, hujus vero lympham acore infectam
 atque hinc eo periculosiorem: in ipsa curatione alvum caute
 aperiendam monet, venesectionem cum distinctione admittit,
 Inprimis vero vesicatoria scapulis applicata commendat. Fe-
 brium ulterius epidemicarum exanthematicarum catarrhalium
 five petechiantium causam materialem acute suspicatur humo-
 rum excrementitiorum salino-sulphureorum & mucidorum
 corruptibilium impuritatem sanguini admistam: in curatione
 praeter alia potissimum laudat tria polychresta a se per multos
 annos cum successu adhibita, quorum descriptionem candide si-
 mul communicat. Verarum vero petechialium febrium per-
 niciosam rationem consistere ait in putrida dissolutione sangui-
 nis & succorum vitalium & fluidi inprimis lymphatici elastici
 tenuissimi in cerebro & spinali medulla inquinazione: ad pra-
 servationem commendat maxime vinum generosum Rhenanum;
 ad curationem autem medicamenta praecipue acida, fluxum quo-
 que alvini salutarem esse atque hinc blande promovendum
 serio monet. Febris pestilentialis miasma contagiosum natu-
 ra esse ostendit partim sulphurea putrida multiplicativa, instar
 fermenti, partim subtilis, valde acris & caustica, plus tamen al-
 calina, quam acida: in medicatione acida, bezoardica fixa,
 analeptica, nitrosa cum camphora & ipsum quoque pulverem
 pyrium adhibenda suadet. Huic affinem esse pronunciat fe-
 brem erysipelaceam, cujus materialem causam transfert in bil-
 lem ex variis causis vitiatam & in duodeni flexura diutius sta-
 gnantem ibique cum succo pancreatico confermentatam quasi
 & causticam factam, indeque successive ad sanguinem & cerebri
 spinalisque medullae membranas delatam: in illius ergo cura-
 tione motum febrilem naturae blande promovendum, materialem
 causticam ad excretionem praeparandam & statim denique lym-
 phae putridae ad perfectam expulsionem traduceadam esse gra-
 vissime hortatur. Quibus solide pertractatis, ad febres acutas
 inflammatorias progreditur, atque primo loco Synocham con-
 siderat, quam ex diffusionem sanguinis in partibus internis conge-
 stione

Cap. IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

Sec. II.
 Cap. I.

- stione ac stagnatione aptissime derivat, eamque tollere proinde una cum spastica nervorum affectione in curatione jubet. Febris autem ardentis simplicis & veræ itemque cholericæ natales partim ex celerissima sanguinis & humorum per minima vascula obstructa agitatione, partim vero ex biliosi succi in duodenum & ventriculum effusi acri mordacitate deducit, in eaque curanda sanguinem cautè mittendum, acrimoniam obtundendam, alvumque perite movendam esse pronunciat. Febris itidem stomachicæ ab inflammatione nervosæ ventriculi substantiæ oriundæ medicationem pari fere modo aggrediendam censet. In angina porro ex congestione atque stasi feri inflammatoria in faucium internis veniente curanda sanguinis e venis jugularibus externis missionem dilaudat. Febrèm phreneticam, cujus causam esse conjicit impetuòsum sanguinis ad caput appulsum ob interceptum alioversum transitum, eadem venarum jugularium itemque sublingualium incisione, imprimis vero pediluvii expugnandam esse tradit. Pleuritis spurix & veræ item & peripnevmonix curationem suscipiendam esse asserit venæsectione in brachio lateris affecti, post medicamentis diluentibus & discutientibus, spasnum quoque laxandum & sputum secundandum simul inculcat. De febre hepatica seu hepatide notat, rarissimam esse veram hepatis inflammationem, frequentissimam contra spuriam partibus membranosis hepatis contiguis insidentem, quam potionibus diluentibus & remediis blande diaphoreticis &c. infringendam esse affirmat. Contra febrèm nephriticam præter alia commendat somenta, lactinia, clysteres, carminativa, &c. quæ pari quoque cum successu adhibenda suadet contra vesicæ inflammationem, additis saltim aquis mineralibus cum lacte asinino hauriendis, nec non vino dulci. Febrì vero uterinæ succurrendum imprimis existimat venæsectione in pedè. In ophthalmiæ medicatione sanguinis & feri acris motum a capite derivandum, stasim inflammatoriam discutendam & oculum denique a recidivâ defendendum esse monet. In febris mesentericæ cura, respicit potissimum eo, ut sanguinis affluxus alio derivetur, nemata & mulcentia adhibeantur & præmissis præmittendis opiata & roborantia adjiciantur.

Idem

Idem mesenterium pro sede pariter habet omnis generis febrium lentarum & hecticarum; quæ cum variæ sint, variam quoque esse medendi methodum ostendit; laudat tamen vel maxime lac asininum, post medicamenta adstringentia & roborantia, balneorum quoque usum & equitationem ut & vecturam in curru. De febribus denique symptomaticis, aliis scilicet primariis morbis vel læsionibus accedentibus docet, cito esse compescendas, quod gravia plerumque symptomata inducant: quomodo vero sint tractandæ; si vel a vulnere, vel aliunde oriuntur, pluribus itidem distincte tradit. Atque hæc summa est totius præstantissimi Operis. Sub finem publice rogamus Illustræm Autorem, ut promissi sui memor, vertente anno, postremam, quæ restat, partem orbi erudito donare sicque systemati suo æternum victuro colophonem imponere haud gravetur.

EPISTOLA APOLOGËTICA PRO ECCLESIA Lutherana contra calumnias & obrektiones STEPHANI FAVORSKII, Resanensis & Muromiensis Metropolitanæ, ad amicum Moscæ degentem scripta a JO. FRANCISCO BUDDEO, Theol. D. & P.P.

Jenæ, sumtu viduæ Meyer. 1729, 4.

Plag. 17½.

Quam refutationem *Stephani Favorskii libri Petra fidei* inscripti Summe Reverendum ac Celeberrimum Autorem in se suscepisse, in *Actis* nostris Mense Majo pag. 229 significavimus, nunc in publicam prodiit lucem. Quæ uti accurate, solide atque eleganter conscripta est; ita calumnias atque obrektiones *Favorskii* graviter refellit causamque ecclesiæ nostræ egregie agit. Equidem non integrum librum, sed tantum quædam illius capita, ex eo excerpta, refutavit; quæ tamen Celeberrimus Autor notavit, sufficiunt quam maxime ad libidinem calumniandi declarandam, quam *Favorskius* adversus ecclesiam nostram exercuit. Antequam ad ipsam rem accedit, monet Autor, quod majus ipsis Ruthenis, quam nobis inde imminet periculum, nisi veritas in apricum producat, quoniam *Favorskius* Romanæ ecclesiæ addictis haud obscure blan-

p. 3.

- blandjatur, immo ad favorem illorum captandum, tam iniquum erga Protestantes ubique se præbeat. Hisce præmissis, rem ipsam tractat ac primum *Javorskio* omni jure exprobrat, quod Romanam ecclesiam appellaverit *exercitum Dei vivi* itemque *sponsam Christi*, quod sane a genuino ecclesiæ græcæ ac Ruthenicæ filio haud sit expectandum, quum constet, quanta certamina fuerint inter Ecclesiam græcam ac Romanam, quasque fraudes Romani Pontifices adhibuerint, ut imperio suo subjicerent Græcos. Hanc in rem memorat Autor noster scriptores Ecclesiæ græcæ, qui illius causam contra Romanorum præsulum iniquissimos ausus egerunt. Ut veroluculentius pateat, quod *Javorskius* sine omni jure Ecclesiam Romanam appellaverit *exercitum Dei vivi sponsamque Christi*, nonnullos ex ipsis romanensibus testes produxit, qui doceant, quam misera fuerit facies sacrarum rerum ante Lutheri tempora, hisque addidit integrorum Conciliorum, immo ipsorum Romanorum Pontificum testimonia. Potro *Javorskius*, ut Protestantes Ruthenis invidios reddat, aliis persuadere voluit, quæ Lutherus in emendandis sacris egerit, non minus ad Græcos pariter ac Ruthenos spectare. Adversus hæc Autor noster observat, quod Luthero non cum Græcis, aut Ruthenis, sed cum Pontifice Romano ejusque affectis res fuerit, quodque nostrates non semel arctiorem cum Ecclesia græca conjunctionem quæsiverint, id quod ex commercio litterario *Philippi Melancthonis*, *Jacobi Andrea* ac *Martini Crusii* cum Patriarchis Constantinopolitanis præbat. Præcipue vero Autor noster ea considerat, quæ *Javorskius* speciatim in nostra Ecclesia desiderat. Quorum primum quum sit ex illius persuasione, quod sacra jejunia rejiciamus, ostendit, quod nos omnino jejunia, si recte instituantur, retineamus; licet ea, quæ sint superstitiosa, hypocritica, histronica, coacta, jure meritoque detestemur. Varia hic crudita monet Autor de jejuniis apud veteres Christianos, atque uti inter alia observat, non errare illos, qui severæ istius disciplinæ, quæ aliis jejunandi necessitatem imponit, originem a Montano hæresiarcha repetant; ita ostendit ex antiquitate ecclesiastica, veterem Ecclesiam sua in jejuniis usam esse libertate, quam & nos sequamur.

A je-

A jejuniis *Javorskius* progreditur ad imagines, atque Lutheri objicit, quod sacras imagines ex ecclesia rejecerit. Quæ de hoc capite pro Ecclesia nostra Autor edisserit, copiosa sunt atque erudita. Primum observat, falsissimum esse, nos imagines ex ecclesia rejicere, licet illas adorandas esse, merito negemus, hacque in re iterum veteris ecclesiæ exemplum sequamur. Proinde porro ostendit, quod per tria priora secula usque ad finem quarti Christiani nullas imagines in templis toleraverint, multo minus adoraverint; ubi speciatim de statua illa, ad quam dissentientes provocant, disserit, quam mulier sanguinis profluvio laborans & a Servatore sanitati restituta Cæsaræ Philippi in honorem Christi posuisse dicitur, atque inquit in Eusebii rei hujus testimonium, monstrando, quomodo Romanenses in hac statua nullum præsidium antiquitatis imaginum sacrarum habeant. Idem comprobat de calicibus pictis; ad quos itidem Romanenses provocant, additque testimonia luculentissima, ex quibus patet, imaginum cultum & venerationem in tribus prioribus seculis in usu non fuisse. In hisce præcipue explicat æque ac vindicat testimonium Epiphani in epistola ad Joannem, Episcopum Hierosolymitanum, quam Hieronymus in linguam latinam transtulit. Male quoque & hoc *Javorskium* habet; quod traditiones non admittamus. Verum & hoc Autor noster solide refellit ac graviter causam Ecclesiæ Lutheranae agit. Nimirum ostendit, quum sermo sit de ejusmodi traditionibus, quæ aliquid ad fidem, aut vitam recte instituendam contineant, eas neutiquam admitti posse, nisi in Scripturam sacram injurii esse velimus. Ac quamvis in sacris litteris traditionum mentio fiat; istas tamen non aliam doctrinam tradidisse, quam & scriptores *Ἁγίων* litterarum monumentis consignaverant, monstrat, atque scriptorum ecclesiasticorum testimonia addit, quod voce traditionis ita sint usi, ut non aliam, quam quæ in Scriptura sacra exstet, doctrinam denotet. Progreditur Autor noster ad signa falsorum Prophetarum, quæ in Protestantibus *Javorskius* sibi deprehendisse visus est. Inter hæc primum est, quod Lutherus & qui cum eo ecclesiæ emendationem susceperunt, divina

p. 43.

54.

60.

62.

65.

75.

81.

- p. 88. ad tantum opus destituti fuerint vocatione, ad quam objectionem repellendam docet Autor, quod Lutherus non solum generali, sed etiam speciali vocatione ad opus emendationis sacrorum suscipiendum fuerit instructus, simulque ad ea respondet, quæ *Javorskius*, nobis objecerat, quod ex felici successu reformationis Lutheri divina illius vocatio haud sit probanda, quoniam & tale argumentum habuerint Ariani hodieque illud usurpent Mahommedani. . . Hic enim Autor edisserit, quousque ex felici emendationis sive reformationis successu divinam Lutheri vocationem probemus, monstratque, quale sit discrimen inter Arianorum hæresin religionemque Mahommedanorum atque illa, quæ præstiterit Lutherus, adeo ut plane aliæ causæ felicem successum reformationis Lutheri effecerint, ac in propagatione hæreseos Arianae, ac religionis Mahommedicæ locum habuerint. . . Haec ratione, & reliquas calumnias *Javorskii* repellit, nimirum nos latam vitæ humanæ viam aperire: poenitentiam & mortificationem carnis tanquam fabulosa habere: tradere doctrinam de justificatione falsam, immo impiam, quæ itidem Autor tam accurate refutat, ut quisque facili negotio possit videre, *Javorskium* nihil aliud egisse, quam ut calumniandi libidinem animiunque erga ecclesiam nostram iniquissimum monstraret.
- 101.
- 107.
- 110.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΤΩΝ ΕΙΣ ΕΑΤΤΟΝ
ΒΙΒΛΙΑ Β.

i. e.

MARCI ANTONINI, IMPERATORIS AC
Philosophi Libri XII eorum, quæ de se ipso ad se ipsum
scripsit, ad exemplar Oxoniense c1515cciiii recusi.
Introductionem ad Philosophiam Stoicam ex mente M.
ANTONINI præmisit JO. FRANCISCUS
BUDDEUS, Theol. D. & P. P. Jenens. Vitam recensit,
criticisque Observationibus illustravit CHRISTO-
PHORUS WOLFE, A. M. Theol. Bacc. & ad
Æd. D. Petri Catech.

Lipsiæ, apud Sam. Benjam. Walther, 1729, 8 maj.

Alph. 1 pl. 5.

Præ-

PRæclare omnino insigniterque de publica re literaria merentur illi, qui antiquorum voluminum, ex quorum imprimis Lectione plurimum utilitatis percipere licet, editiones novas moluntur. Cujusmodi libris quum & *M. Antonini* Commentarii jure ac merito annumerentur, nullam est dubium, quin ex laudata eorum editione inultum commodi expectari possit; præsertim quum illa nitore ac elegantia antecedentium nulli concedat. Est enim ad exemplar Oxoniense, quod e Theatro Scheldoniano, A. MDCCIV prodiit, omni ex parte adornata. Antonini Textus exhibetur, prout editus a Gatakero, cujus & distinctio in Sectiones servatur, ut & ejusdem Versio, licet interdum paulisper immutata. Subjiciuntur eadem quoque *Notæ* ex Gatakero, & aliis, excerptæ, quas Autor Oxoniensis editionis, qui sub literis R. I. in præmissa dedicatione latere voluit, propriis auxit, una cum iisdem *variantibus Lectionibus*, virorumque doctorum *conjecturis*. Celeberr. *Buddeus* in Introductione, quæ Præfationis loco accessit, philosophiam stoicam ex mente Antonini exhibuit, ita quidem, ut *Sect. I* de philosophia, speciatim morali, *II* de bonis ac malis, speciatim de summo bono, *III* de Deo, *IV* de Homine, *V* de Affectibus, eorumque remediis, *VI* de officiis hominum generatim, speciatim erga Deum, *VII* de officiis hominis erga se ipsum & alios, agat.

Ad vitam Imperatoris ac Philosophi quod attinet, eam ad ductum *Julii Capitolini* & *Andr. Dacierii*, secundum seriem annorum, quibus ille vixit, accurate descripsit ejus Autor, at multa tamen dempsit, addidit nova. In subjunctis criticis Observationibus vita ac res gestæ *Antonini*, & alia memoratu digna, quæ ipso imperante contigerunt, mirifice illustrantur. Inprimis judicium, quod is §. VIII p. 154, de Commentariis *Antonini* tulit, adduci meretur. Existimat nimirum, meditationes varias, non uno tempore, unaque ferie, sed diversis temporibus, horis maxime succisivis, ut res & occasio tulit, in *adversa*, extemporali præve opera conjectas iis contineri. Occurrentium rerum contemplationi philosophicæ deditum Imperatorem, sive domi, sive militiæ ageret, quæ meditati succurrerent, chartis mandasse, indeque varia ipsi nata esse, quæ ad animum in contemptu brevis ævi confirmandum, dubiosque vitæ casus præsentis virilique animo perferendos pertinerent. Atque

hæc quidem post fata demum ejus ab liis luci & immortalitati vindicata esse, observat, quem jam languimus, Autor.

CHRISTIANI THOMASII ELOGIUM.

Christianus Thomasius, postquam superiore anno die Septembris XXIII vivere senex desit, cui in his Actis nostris elogium pro merito scribatur, ideo dignus imprimis est, quod in hac urbe initium sumsit & vitæ, & quam adeo late scriptis diffudit, famæ. Natus videlicet sub ipsis auspiciis anni c1010 c11 v. die Januarii primo, a patre Jac. Thomasio, Professore hujus Academiæ quondam celeberrimo, adeo accurate, diligenterque educatus, optimisque moribus & literis institutus est, ut exulta probe indole egregia, doctoribus potissimum præter ipsas parentis scholas, Joach. Felleri, Frid. Rappolto, Joh. Ittigio, Valent. Alberti, Ott. Menckenio, Chr. Frid. Franckensteinio, Ad. Rechenbergio, A. c1010 c11 xxi ætatis xvi Philosophiæ Baccalareus & paulo post Magister renunciaretur. Deinde juris Romani & Germanici studiis se tradidit, & posito Lipsiæ eo hujus artis tirocinio, quod subeundum est novis Justinianis, Francofurtensem ad Viadrum Academiâ sedulus adiit, ibique e scholis Stryckii atque Rbetii juridicis adeo profecit, ut anno c1010 c11 xviii Præside Rbetio, de jure circâ frumentum, publice disputaret, inque jure Doctor fieret. Ab eo tempore, cum Academiâ patriam repetiisset, ubi nostrum quoque hoc institutum aliquamdiu adjuvit, & posthabita contentione forensi, instituendam e cathedra scholis juridicis & philosophicis juventutem sibi sumisset, & scriptis præterea, novi plerumque inexpectatique argumenti, famam sibi & plausum peperisset; quorundam tamen in se odia jure sive injuria provocabat, quibus demum cedens A. c1010 c11 xxx in vicinam Halam vix alio nomine, nisi salinis suis, celebrem se contulit & præter omnium spem atque expectationem mox inagnum eorum numerum congregavit; qui erudiendos ipsi se traderent; movitque eo successu Sereniss. Electoris Brandenb. animum, ut omnino Academiâ in hac urbe instaurandam, de quo & olim actitatum fuerat, decerneret. Inaugurata est ea a N. C.

cIoIoC LXXXIII, atque *Thomas* noster, quasi pro meritis, Jurisprudentiæ Professor Ordinarius, sui que consultorum ordinis Senior, addito Consilarii vocabulo, declaratus. Quam egregie diligenterque his muneribus totis triginta & ultra annis functus sit, interea & Ordinarii totiusque Academiæ post *Stryckii* obitum Directoris, ac Consilarii intimi dignitate auctus: quamque hic eximie scriptis subinde rem literariam omnem, jurisprudentiam naturalem, antiquariam, hodiernam, ornarit; philosophiam erroribus liberare studuerit; contradictentium stimulos retuderit; id vero adeo conscientia prope omnium pervulgatum est, ut repeti a nobis hoc loco non debeat. Ceterum dissimulandum non est, laudari totius vitæ innocentiam; nihil cupide ambitioseve factum, vel ab iniquioribus objici veritatis specie, exprobrarique potuisse. Etiam populares inter ad eum postea modum conquievit invidia, ut non spernendis conditionibus eorum epistolis repetitus, non iret tamen. Juventus, ætasque virilis, ut immodicis voluptatibus, animique perturbationibus sere vacua, ita morbis acrioribus inconcussa: quam senectus excepit, & ipsa satis quæta & valida. Paucis ante mortem diebus e ventris profluvio in senilem veterum incidit, unde, cum & ventriculus laboraret, nec alimenta reciperet, sensim defecit, atque die, quo diximus, placide solutus est; deposita ante omni rerum suarum, quas expeditas habebat florentesque, cura: totoque animo ad æternitatis meditationem, adhibitis religiose pro more rei Christianæ sacris, conversus. Matrimonium viro contigerat fortunatum, concors, & ad mortem usque per quinquaginta prope annos, individuum: familia bene morata: amicitia constantis: discipuli acceptorum memores. Nec aliter meruerat candidus viri animus & æstimator alienæ virtutis, mores probi, consuetudo facilis & amœna, sermones eleganti varietate læti & festivi, plurimoque sale conspersi. Etiam præter ingenium acre, quod satis omnibus probavit, multiplex rerum cognitio, solertia, industria, animi præsentia, prudentia, atque perpetuum erectumque veri bonique studium inerat. Detegendis erroribus peracutus, rarus inventorum ab aliis admirator,

tor, antiqua tamen nimium sprevit. Naturali persuadendi facultate pollebat: ceterum ab eloquentia penitior alienus, acute ac luculenter scripsit multa; concinne, accurate, castigateque non item, quod Libri ejus, qui plurimi sunt, satis docent. Numerum eorum, vel per indicem, non edimus, nec opus est: alias enim hæc obvia. Satis sit memorasse, *rem litterariam* in universum primo adjutam plurimum esse *Dialogis* illis admodum festivis, (die Monats-Gespräche) *Historia Sapientie & Stultitie*, *Vita Socratis*, *Cautio- num parte potissimum prioris*, & *Disputationibus*, minutisque aliis quibusdam scriptis: *Historiam civilem* disquisitionibus passim parvis, quæ quasi aliud agendo incerta quædam & falsa historiarum Romanarum & præsertim Ecclesiasticarum arguunt: *Philosophia partes*, excepta naturali, quæ vulgo physica, omnes, singulis operibus, *introductionem & usum*, quam *praxin* vocavit, titulo exhibentibus. Lemures inprimis, & quæ alia temere manibus tribuuntur, ejicere e philosophia libris plusculis annisus est vir minime credulus: *Jus Naturale* præter Dissertationes ad id argumentum *Institutionibus Jurisprudentie divinae, Fundamentis Jur. N. & G. Specimine prudentie judicialis, Historia Juris Naturæ*, & libris id genus aliis: *Jus Civile Romanum Annotationibus ad Strauchium, Scholiis & Additionibus ad Huberi positiones & prælectiones, Notis ad Instit. & Dig. Commentariis de causis juridici & mixti argumenti*, (die Juristische und vernischte Händel) *Historia Juris Romani* per positiones, *Navis Jurisprudentie Romanae*, aliis item libris & longe maxima Dissertationum parte: *Jus Ecclesiasticum, Cautio- num parte posteriore, Commentariis in Lancelotti Institutiones, Dialogo de simultaneo*, qui quidem sat lepidus, inter postrema viri scripta censendus; *Feudale, Selectis, Feudalibus; Publicum, Notis ad Monzambanum*; singulæ denique Jurisprudentiæ partes passim, Dissertationibus Academicis præsertim, quæ vulgo in manibus habentur, multis illustratæ sunt. Quibus libris, quantavincunque illis fata ad posterum durationem destinaverint, fama tamen viri, laudatque nominis recordatio profecto futura est diuturnior.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXIX.

DISCOURS HISTORIQUES CRITIQUES

Theologiques & Moraux &c.

hoc est,

SERMONES HISTORICO-CRITICO-
Theologico-Morales in præcipuos Veteris Novique Te-
stamenti Eventus. Autore JACOBO SAURIN, S.
Evangelii Hagæ-Comitum Ministro. Accedunt figuræ
æneæ ab Hoetio, Houbrakenio, & Picarto
delineatæ.

Hagæ-Comitum, apud Petrum de Hondt, 1728, fol.

T. I Alph. 7 pl. 2, Tabb. æn. 71, T. II Alph. 6

pl. 8, Tabb. æn. 38.

Dignum elogiis nostris Opus producimus, in quo sive res ipsas sive ornatum, quem tot Tabulæ æneæ summa arte representatæ attulere, species, nihil erit, quod desiderari ultra possit. Quæ fuerit ejus suscipiendi occasio, ipso in limine Præfatio indicat. In conficienda quippe imaginum graphice excusarum collectione, quæ Veteris & Novi Testamenti Historiam exprimeret, quidam cives rem suam & operam profuse perdidérant. His sub cære incepti jam fatiscētibz ac pæne obrutis successit V. Cl. D. *van der Mærck*, qui remotis undequaque obicibus, id aggressus est ac præstitit, quod alii frustra tentaverant. Micis & supra hominis privati sortem ingentibus impensis tandem effecit, ut celeberrimi peritissimique chalcographi Operi adornando certatim insudarent. Jam ma-

Ooo

gnam

gnam Veteris Testamenti partem ære adumbratam elegantissimis figuris vulgare properabat, cum observavit nudas imagines non ita Christianæ Reipublicæ profuturas, ac si sermonibus sociarentur, qui rem in Tabella delineatam plenius exponerent. Quare mentem suam Cl. *Jacobo Saurin* de hoc suo instituto aperuit, exoravitque ut id laboris præstaret.

Primum consilium fuit, ut duplex pagina cujusque figuræ argumento indicando insumeretur. In describendo Diluvio vel tabernaculo diutius immorari, quam in narranda Madianitarum cæde aut manubiarum dedicatione, non licuisset. Vix, ut fidem suam liberaret, chartæ manum admovent Cl. Autor, cum eum promissi statim pœnituit. Nova Bibliorum Historia visa est futura inutilis, post laudatos in eodem curriculo Arnaldi Andlicensis, Martini & Basnagii conatus. Ab illorum igitur vestigiis recedendum arbitratus est; idque & non pauca alia objecit Cl. V. D. *van der Marck*, qui removens quas posuerat moxas, Nostri arbitrio permisit, ut quales vellet possetque, longos vel breves, Historicos aut Criticos, Sermones concinnaret.

Quamquam Cl. Autor, cum ad scribendum animum appulit, id sibi imprimis negotii datum esse existimavit, ut in hominibus amorem Dei & virtutis studium promoveret, non tamen ideo inter Asceticos liber ille censendus est, nec in eo evolviendo tempus terendum erit, si quando animâ Christiana in se servidos erga Deum æstuantis charitatis affectus excitare, vel se ad sacram Synaxin ac piam mortem præparare cupiet. Neque est simplex Historia e bibliis desumpta; ex aliis fontibus non semel hausta sunt, quæ ad sacræ narrationis complementum prodelle videbantur. Plurimum enim se e variis doctorum lucubrationibus mutuatum esse, Cl. Autor profitetur, quorum Systemata & sententias proponit. Bocharti, Seldeni, Grotii, ceterorumque Reipublicæ Literariæ optimatum sententiæ apponuntur. Ex Historia profana eruitur, quicquid ad dilucidanda acta, a Scriptoribus sacris narrata, conducibile visum est. Tot materias invicem disparatas ac dissimiles sequaci quodam ordine disponere, arduum erat. Dum argumentum discutitur,

aliud

aliud se argumentum oggerit; orationis contextus saepe abruptum, & interdum narrationem critica sequitur; sic jubet non raro necessitas, quæ ex materiarum varietate oritur.

Quantacumque sit Cl. Autoris observantia in summos Viros, quos pro ducibus agnoscit, nulli tamen adeo tenaciter adheret, ut eum cæco impetu vel aberrantem & devium sequatur. Doctiorum hominum, a quibus dissentitur, sphalmata sic obelo notata sunt, ut ea errantibus habita fuerit reverentia, quam summos Viros vel dormitantes prosequi par est. Sunt etiam errores; quos in eorum opprobrium denudare religio fuit. Quam adhibet erga illos, regulam ipsissimis Cl. Autoris verbis Latine translatis eo lubentius apponemus, quod eam Christianos ac bene moratos scriptores semper & ubique præ oculis habere deceat: *Homō, inquit, studis consenuit; agrorū rudes atque incultos subegit, extricavit; non raro mentis humanæ angustia; saepe citam attentionis, quæ ad præcipuas objecti sui partes maxime erigitur, caspitatio, scribenti calamum in leviculum errorem inducunt: quinquaginta apertos libros præ manibus vel in pulpito contriuetur, objectorum multiplici varietate quasi fulgurito cæcutire evenit; in Plutarcho se videri arbitratur, quod in Cicerone conspicit; nomen pro nomine inscribit. Idcirco tanquam falsarium aut insciam arguas? an Lectorum cæcinitur devovenda est animi distractio, quam ne tu quidem sensisses, si eadem tibi fuisset legenti mentis contentio, quæ fuit scriptoris, cum in hunc errorem impegit: non solum in omnes urbanitatis leges, verum etiam contra optimam aequitatis & religiose charitatis instituta peccaverit, quæ alienam dormitationem tam immisericorditer vexaverit.* In allegationibus indicandis laudandam sedulitatem Cl. Autor adhibuit. Ad Voluminis cujusque calcem congesta sunt argumenta & probationes, si quando desuerant libri, e quibus loca adduci debuerant, scriptores saltem sunt designati, e quorum fide relata sunt.

Optabunt sane lectores, ut eversis quibusdam erroribus totidem vera Cl. Autor superstruxisset. Non semel, postquam opiniones male conceptas diruit, nihil apponit, quod locum vacuitati impleat; sed varia affecta conglomera, plurimasque dubitandi ra-

tiones annectit. Prævidet Clariss. Autor non paucos fore; qui sibi ludos fieri, meliusque suis desideriis consultum fuisse arbitrabuntur, si omnia tam laboriosa indagazione; statim dixisset *nescio*; nec tot, nec tanta ignorantia suæ congestisset argumenta. Sed aliter profus censebunt, ubi rem attento animo pensaverint. Theologus quanta valet mentis attentione quæstiones aliquot contemplatur. Nihil occurrit, quod hærentem ac dubitantem expediat. Quid consilii capiat in his constitutas angustias vir ceterum probus & verax? Aliisne fucos faciet? securusne loquetur ac credit? an argumentis, quæ proponit, majus attribuet pondus, quam quo illa reapse æstimanda sunt? Lectoribus ea, quæ hominibus ratione præditi debentur, reverentia exhibita tunc est, cum eorum judicio relicta est sententiæ electio in dijudicandis quæstionibus, quas palam definire periculosum est atque temeritati proximum.

Objicietur fortassis, an locorum quorundam in SS. Codicibus obscuritas cum doctrina de inspiratione commode conciliari possit? optime potest, inquit Cl. Autor. Non enim hoc dogma sic accipiendum est, ut, aspirando Scriptoribus sacris, Spiritus sanctus voluisse credatur, ut posteros distincte ac perspicue docerent omnia facta, omnia & singula capita Chronologiæ, Genealogiæ aut Physiçes, de quibus erant aliquid delibaturum. Hoc unum voluit & effecit, ut Ecclesiæ corpus doctrinæ præpararent, in quo, quicquid credere & exequi ad salutem æternam necessarium est, declararetur. In quæstionibus, quæ ad fidem spectant, nec judicium suum cohibet Cl. Theologus, nec dubium lectorem relinquit, Pyrrhonismi vel tenuissimam umbram dissipans. A controversiis, quæ Christianas Societates discindunt, prudens abstiauit; ut pluribus prodesset liber, omnibus Christianis scriptus.

Volumen primum LXX Sermones complectitur & in Moyse morte atque encomio definit; atque eadem plane completi videtur, quæ Dissertationibus Cl. Autoris ad Pentateuchum (quæ ad eundem numerum adscendunt) Amstel. 1720 editis, & in Actis nostris A. 1721 M. Jun. p. 23 accurate recensitis & laudatis continentur; secundum Sermones omnino XXXV conti-

net,

nēt, ad mortem usque Saulis. Notandum veto, per hanc *Sermonis* vocem non intelligendas esse conciones ad populum, quales Noster habuit ac publici juris fecit Hagæ - Comitum quatuor Voluminibus, quæ prodierunt annis 1721, 1722, 1724 & 1725 sub titulo: *Sermons sur divers Textes de l'Écriture sainte.* Verum enim vero in Opere, de quo hic agitur, Sermones sunt lucubrationes historico-criticæ, quæ, ut figuris lucem afferant, eventus in ære adumbratos non strictim aut quasi per compendium exponunt, sed occasione data consuetudines, mœurs, atque alia multa doctè ac jucunde recensent. Sunt disquisitiones, in quibus narratio a Scriptore sacro instituta ita ampliatur, ut identidem, cum res postulat, Historiæ ejusdem argumenti misceantur, vel quæstiones quædam interferantur, quæ ad majorem textus sacri declarationem hæud parum conferunt.

Exemplo instituti rationem discas. Secundæ partis Sermo quintus Reges, quinque a Josua victos exponit. Inter narrandum occurrit nomen *Jerusalem*, quod a Scriptore sacro usurpatur; quanquam constat urbem, quæ sic tandem vocata est, aliud tunc temporis nomen gessisse. Quæritur, quomodo nuncupata fuerit eâ ætate, qua vixit Josua; quæque fuerit origo nominis recentioris Jerusalem. Dimicantes Israelitæ duo adjuverunt prodigia: nempe grando lapidea, & Sol cursum sistere coactus Josua jubente. Multa de lapidibus ex ære decidentibus e variis cum veteribus tum recentioribus libris adduntur. Nonnullæ de lapidibus cum grandine conjunctis conjecturæ afferuntur, exemplis nuperis confirmatur, grandinem adeo crassam & gravem e cælo emissam, ut domos tectis, armenta & homines vita privaret, & colligitur talem fuisse grandinem, quæ Amorrhæos profligavit, etiam absque lapidibus. De Sole ad nutum Josuæ subsistente, docta inseritur Dissertatio, ubi inquiritur, qui sit *liber Justi*, de quo sacer Historicus? quomodo *Sol* intelligendus sit stetit in Gabaon? an Scripturæ sacræ stylus in rebus physicis semper ad literam pro indubitato veritatis testimonio usurpandus sit? an Scriptores sacri res, ut reipsa sunt, descriperint, an vero se vulgi opinionibus accommodaverint? Vilelmi Wisthoni sententia refellitur, quam in sua *nova telluris*

Theoria edidit. Sed quia Solis in Gabaon & Lunæ in Valle Ajalon immoratio ambagibus quibusdam involvitur, quas Theologus penitioris Astronomiæ mysteriis non initiatus explicare non potest; Cl. D. S. Gravesande in Lugdunensi Academia Astronomiæ Professor a Cl. Autore interrogatus, rem totam doctissime, ut solet omnia, per Epistolam illustravit. Hunc Tractatum summam cum voluptate leget, quisquis veritatem mathematicam cum veritatibus Scripturæ Sacræ conciliare amat.

Ad fabulas Mythologicas, quæ ex illa Josuæ victoria desumptæ esse visæ sunt, Cl. Autor progreditur, & in Corollarij morem observat, difficillimum esse victoriarum, quæ narratæ sunt, accuratam *Ἐπιτομήν* definire, vel quantum temporis in iis reportandis Josuâ infuserit, explicare. Magis in animo Historicus sacer habuisse videtur, ut Herois enumeraret triumphos; quam ut eorum Chronologicam seriem cum posteris communicaret. Hinc fit, ut miris inter se modis dissentiant Eruditi, ex quibus quis præferendus sit reliquis, quisve potissimum sequendus, difficultet admodum judicare liceat. Stylus Cl. Autoris ubique est nitidus & elegans. Flores adpersi, sed sobrie, non profuse. In eo oratorem facile agnoscimus, inter disertissimos Gallos jam dudum notissimum; quanquam in hoc Opere infra oratoriam majestatem humiliorem affectat elocutionem, quæ historiam ornat, non fucat. Tandem præter argumenta & probationes, de quibus jam egimus, non desunt Indices rerum varii & copiosissimi.

**JO. FRANCISCI BUDDEI, THEOL. D. ET
P. P. Ecclesie Apostolica, sive de statu Ecclesie Christiane
sub Apostolis Commentatio historico-dogmatica; quæ
Introductionis loco in Epistolas Pauli ceterorumque
Apostolorum esse queat.**

Jenæ, sumtibus viduæ Meyerianæ, 1729, 8.

Alph. 2 pl. 10.

Cum Ecclesie Apostolicæ scientia illis, qui sacris litteris operantur, utilis, immo necessaria sit; S. Rev. ac celeberrimus

mus

huius Auctor laudabilem omnino operam in conscribendo hocce
 libro collocavit novamque lucem diviniore doctrinæ cultori-
 bus accendit. Nec solum tamen Commentatio hæc ipsius ar-
 gumentum dignitate ac præstantia; verum & explanatione, quam
 Auctor æque doctissime ac eleganter instituit, sese commendat,
 adeo ut nullum caput, quod ad Ecclesiam legatorum divino
 rum illustrandam pertineat, involutum reliquerit. Primum Ca-
 pite differit *de methodo Apostolica demonstrandi veritatem re-
 ligionis Christianæ contra ethnicos*, eo dicendorum ordine, ut
 postquam observavit, quomodo misera paganorum hominum
 conditio suppeditaverit & argumenta, quibus erroris convinci
 potuissent, & ipsam methodum, veritatem religionis Christia-
 næ demonstrandi, ipsam hanc methodum illustret atque expo-
 nat. Nimirum ostendit, Apostolos adversus ethnicos dispu-
 tando, id imprimis egisse, ut ex ipso rationis lumine illorum
 idololatricam refellerent unicumque Deum esse probarent: tum
 illis invidentem emendandi necessitatem monstrarent; tandem-
 que fidem in Jesum Christum commendarent. Quæ cum
 Auctor illustrare instituit, inter alia locum *Actor. XVII, 22 sqq.*
 copiose illustrat atque ad illorum, quod jam alibi fecit, senten-
 tiam accedit, qui aræ ignoto Deo inscriptæ rationem ab aris
ἀγνωστῶν, sive inscriptione carentibus ac iussu Epimenidis Athe-
 nis constitutis repetunt. Addit quoque, quomodo Philoso-
 phis, præcipuis Christianæ religionis hostibus ita obviam ive-
 rint, ut ostenderent, omnem illorum sapientiam, si cum ser-
 mone de cruce Christi comparatur, meram esse stultitiam.
 Sequitur Caput secundum *de methodo Apostolica demonstrandi
 veritatem Christianæ religionis contra Judæos*. Methodum
 hanc, qua adversus Judæos usi sunt Apostoli, Auctor distincte ex-
 plicat atque ostendit, quod Jesum Nazarenum esse Messiam, tum
 ex vaticiniis prophetarum in eo impletis, tum ex ejusdem mi-
 raculis evicerint; obstaculum autem, quod ex ignominiosa
 Christi morte potuerit oriri, præcipue per doctrinam de ejus
 resurrectione removerint, cui & hoc addiderint argumentum,
 quod sine fide in Christum nulla Dei gratia sit recuperanda nec
 salus æterna consequenda. Hic inter alia Auctor differit de
 loco

p. 17.

26.

46.

54.

57.

- loco Josephi, ex quo nonnulli monstrare annuntur, paraphrasas Chaldaeos, Jonathanem atque Onkelosum plurimis in locis esse interpolatos, utpote qui affirmet, Judæos, qui in errore vulgari de Messia quodam ex illorum gente orituro fuerint, opinionem suam non aliò superstruere fundamento, quam ambiguo quodam oraculo, quod in sacris illorum libris contineatur. Illustrantur quoque loca *Act. III, 12 sqq. X, 43 sqq.* In tertio Capite agitur *de controversiis, quæ Apostolis, cum primis Paulo, cum converfis quibusdam ex Judæis, speciatim Pseud-Apostolis intercesserunt.* Controversiæ hæc, ut Autor observat, præcipue spectabant ad doctrinam de justificatione hominis coram Deo adeoque genuina ratione, salutem æternam consequendi. Hinc ostenditur, quod Paulus doctrinam hanc solide pertractaverit, ut falsis simul tum Judæorum, tum Ethnorum hypothesebus obviam iret; ac quomodo ex scopo Apostoli hujus in hisce controversiis liceat cognoscere, quid per opera legit, per fidem, per justificationem intelligat. Cumque Apostolorum ætate essent, qui Pauli doctrina de justificatione abuterentur, ita ut fidem a sanctitatis studio sejungerent, hisque speciatim contradixerit Jacobus; porro Autor ostendit, quomodo Epistola Jacobi cum Paulinis Epistolis omnino conveniat.
185. Subsequitur Caput quartum *de Apostolica ratione controversas theologicas decidendi; sive concilio Hierosolymitano,* quod copiosum est ac multa erudita lectuque dignissima in se continet. Inter varia capita, quæ ad historiam Concilii Hierosolymitani spectant hicque accurate illustrata inveniuntur, inquirunt in quaestionem: num Apostolus Petrus Concilii hujus fuerit Præses? ac memoratis diversis hæc de re sententijs, observat, si ad Præsidem Concilii nihil aliud requiratur, quam ut primus sententiam dicat, rem dubio carere; si aliud quid adhuc requiratur, ex eo, quod Petrus primus dixerit sententiam, haud colligi posse, quod fuerit Præses. Addit, si Concilii hujus Præses aliquis esset statuendus, Jacobum potius eum fuisse, quam Petrum; cum illius sententia omnium consensu sit approbata.
212. Quis autem fuerit ille Jacobus, de eo itidem disputat Autor noster.
- 226.

ster. Refellit illorum opinionem, qui Jacobum, *fratrem Domini* appellatum a duobus Apostolis hujus nominis distinguunt sicque tres Jacobos fuisse credunt, ac probat, quod ille Jacobus frater Domini fuerit Jacobus Alphæi, quem diserte Paulus vocet *fratrem Domini*, Gal. II, 19, cumque ea, quæ Apostolus ibi commemorat, ad tempus Concilii Hierosolymitani sint referenda, existimat Autor, quod Jacobus Alphæi filius idem ille sit, qui in Concilio isto post Petram sententiam dixerit. Ubi in transitu simul monet, quod per Simeonem, cujus Lucas in historia Concilii hujus mentionem faciat, sine causa Simeon, cognomine Cananeus, sive Zelotes, Jacobi frater Germanus, intelligatur, quoniam nullus alius sit, quam Simon Petrus. Quod ad causas decreti Concilii hujus generatim attinet, Autor ad illorum sententiam accedit, qui existimant, non aliam ob causam, quæ in decreto isto contineantur, conversis gentibus interdicta esse, quam quod conversi ex Judæis his maxime rebus offenderentur. Sed cum præter Pseud-Apostolos & alii hæretici Ecclesiam Apostolicam turbarent, de his quoque Autor diligenter atque erudite agit ac capite quinto exponit *de aliorum hæreticis, quibuscum Ecclesie Apostolicæ consistendum fuit*. Duas classes horum hæreticorum constituit. Ad priorē illos refert, qui in Scriptura sacra nominantur, cujusmodi sint Hymenæus, & Philetus, quibus a nonnullis addantur Hermogenes, Phygellus & Diotrephes, ubi simul differitur de Simone mago & Nicolaitis. In posteriori classe locum suum habent, qui in Scriptura sacra non nominantur, quorum tamen perstringantur dogmata. Hinc agitur de Cerinthianis, Ebionitis, Nazareis, Docetis & Gnosticis. Cum autem Autor speciatim de Nicolaitis exponit, varias de illis eruditorum virorum sententias examinat, in quibus præcipue Artémonium illum refutat, qui in *initio Evangelii sancti Joannis Apostoli ex antiquitate ecclesiastica restituto* multa paradoxa de Nicolaitis comminiscitur. Ipse existimat, extitisse in veteri eaque Apostolica Ecclesia hæreticos, qui Nicolaitæ dicti sint a Nicolao illo, Ecclesie Hierosolymitanæ Diacono, viro quidem pio & sancto; sed qui facto quodam & dicto incaute nec satis considerate prolato, homi-

p. 234.

266.

296.

378.

398.

- nibus ad libidinem similiaque vitia prònis occasionem præbuerit, nomen ejus pravis suis cupiditatibus & quibus eas defenderent, dogmatibus obtendendi. Præter hæc monet varia adversus celeberrimum Lampium, quando hic probare contendit, Cerinthum seculo demum secundo vixisse, fallique adeo eum magnopore, qui illum, aut ejus sectatores a Joanne refutatos sibi persuadeat; item, Joannem neutiquam ad Ebionitas respexisse.
419. Disputat quoque contra Vitringam, qui quidem hæud negat, Cerinthum tempore Apostolorum vixisse & suos disseminasse errores; Evangelium tamen Joannis, aut ejus exordium illi, ut & Ebioni ea quidem, qua id vulgo intelligitur, ratione oppositum fuisse, abnuat. Antequam ipse Autor veram ac genuinam rationem ostenderit, qua Joannes doctrinam suam Cerinthianis erroribus opposuerit, iterum solide ac graviter refellit commenta Artemonii, qui licet fateatur, quod initium Evangelii Joannis Cerintho sit oppositum; mentem tamen sententiamque Evangelistæ mirum in modum pervertit. Sed tamen monstratur, quod Joannes non solum in Evangelio suo, præcipue ejus exordio; sed & in Epistolis suis Cerinthianorum errores refutaverit; hisque dictis, agitur de chiliasmo Cerinthi, quodque ab eo, quem statuerint Papias atque alii veteres ecclesiæ doctores, fuerit distinctus, declaratur. Epistolæ Pauli ad Colossenses varia loca ex Cerinthianorum placitis, illustrantur, quæ nimirum in capite illius primò & secundo de Christo ejusque divinitate occurrunt. De Ebionitis cum disserit Autor, ostendit, quod fuerint hæretici, qui ab Ebione sectæ autore ac conditore nomen sint sortiti, hincque illis contradicit, qui isto non alios, quam ipsos Christianos venisse existimant, qui a Judæis per contentum *pauperes* appellati sint; speciatim autem notat Tolandum, qui Nazaræos & Ebionitas pro una eademque secta venditudo utrosque veros ac genuinos Christianos fuisse, contendit, ac, qui non procul hac in re a Tolando discedit, Artemonium. Hic enim censet, Nazaræos & Ebionæos in eo consensisse, quod utriusque Christum pro nudo homine habuerint; discrimen autem, quod inter eos intercesserit, in eo constituisse, quod illi Jesum hominem virtute altissimi in virgine conceptum;

ptum; hi autem Jesum hominem Josephi esse filium, crediderint. Atqui hoc est, quod Autor noster copiose atque accurate examinat ac refellit.

Sextum caput agit de *hierarchia Ecclesie Apostolica*. Postquam Autor observavit, quod in hierarchia Ecclesie Apostolicæ rite dijudicanda charismata a muneribus & munera ordinaria ab extraordinariis probe sint discernenda, disserit de Apostolis, septuaginta Christi discipulis, ut & de Evangelistis, probatque, quod Apostoli intuitu dignitatis ac muneris inter se fuerint æquales nec ullus exstiterit primatus. Hisce explicatis, porro exponit de presbyteris & episcopis deque Diaconis, ac disputat: num alii adhuc in Ecclesia Apostolica fuerint ordines? itemque num in ea fuerint monachi? Speciatim notatur Spanhemius, quando Apostolis quandam potestatem judicalem & legislativam tribuit, id quod caute ac cum grano salis accipiendum esse, monet Autor, ne ex Apostolis imperantes ac domini rerum fiat. Inprimis quoque legenda sunt, quæ habet de Episcopatus origine, de metropolitanis aliisque rei hujus argumentis, quæ æque docte ac copiose sunt tradita. Idem dicendum est de capite septimo eoque ultimo, quo disseritur de *vitiis moribusque Christianorum itemque vitibus quibusdam Ecclesie Apostolicæ*. In eo primum Autor monstrat, quod quamvis Ecclesia Apostolica vitæ sanctæ studio maxime enituerit; errorum tamen non fuerit expertus, quod vel schismata in ea exortententur; deinde, quomodo Apostoli vitiis, quibus labes ecclesie adspersi potuerit, obviam eundem censuerint, ubi speciatim agitur de excommunicatione ac denique exponit de quibusdam ecclesie hujus ritibus, ita ut ostendat, quod ad pompam atque ostentationem haud comparati fuerint. Inprimis quæ de schismate Ecclesie Corinthiæ late atque erudite edisserit, commendanda ac legenda esse, arbitramur. Quam igitur singularem dignitatem atque exsultationem reliqua Autoris nostri monumenta tuentur, eandem & hæc commentatio omni jure sibi vindicat.

LETTRE D'UN THEOLOGIEEN SUR LE

Myllere de la Trinité,

Ppp 2

hoc

p. 605

647.

781.

hoc est,

*EPISTOLA THEOLOGI CUJUSDAM
de Myfterio Trinitatis.*

1729, pl. 3, 8.

EDixit hujus in Hollandia epistolæ Autor, postquam initio statuit, quatuor hæc theses in S. Scriptura clare tradi, Deum esse unum; Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum S. esse Deum; tres illas personas esse distinctas; has personas sibi invicem esse subordinatas; observat, ad hæc theses conciliandas Theologos non eandem inisse viam, aliud stantibus Tritheitis, aliud Arianis & Socinianis, aliud denique Sabellianis &, quorum sententiam a Sabelliana diversam esse, §. 4 & 5 negat, orthodoxis. Et hos quidem judicat a claris & perspicuis S. Scripturæ verbis recedere, cum ita agant de distinctione trium personarum, ut negent, eas esse tres diversas substantias; itemque cum rejiciant personarum subordinationem. Utrumque ideo ab ipsis fieri censet, quod putent, ex contraria sententia sequi, tres personas esse tres Deos, itemque, Filium & Spiritum S. non esse verum Deum. Clarissime autem tradi in S. Scriptura existimat subordinationem personarum, sive dependentiam Filii a Patre per generationem, & Spiritus S. per processionem, utriusque per missionem sive legationem. Ex hisce difficultatibus eluctandi sibi viam divinitus esse patefactam, §. 9 scribit, seque invenisse sententiam de Trinitate, ex qua quatuor, quas supra dixit, doctrinæ inter se probe conciliari ita possint, ut nec ulla vis inferatur sacris verbis, nec quæquam immisceatur contradictorium & incomprehensibile. Clavem sibi præbuisse, §. 10 ait, doctrinam de incarnatione Christi, hoc est, de unione duarum naturarum in Christo, divinæ & humanæ: quam doctrinam non dubitat esse verissimam. Uti igitur ex hac doctrina facile sit conciliare illa S. Scripturæ loca, quorum aliis Christus dicitur æqualis Patri, aliis Patre inferior; sic eadem via perveniri posse ad claram cognitionem divinæ Trinitatis. Docet igitur §. 11 Patrem esse meram divinitatem sive purum putum Deum, Filium vero & Spiritum S. esse duas alias per-

personas, quarum utraque duas habeat naturas, alteram divinam, quæ eadem sit in tribus personis, ut adeo sint unus idemque Deus, & quidem unus numero; alteram finitam atque dependentem, quæ cum divina natura sit eodem modo unita, quæ Christus simul Deus & homo est. Hoc pacto manifestam esse & unitatem Dei & distinctionem pariter ac subordinationem personarum. Hoc suum systema §. 13 ait non nisi hypothesebus precariis, sed tam clare e Scriptura S. probari a se posse, ut sua demonstratio nulli cedat demonstrationi mathematicæ. Unum §. 15 concedit non haberi ipsissimis verbis in S. Scriptura, quod scilicet Spiritus S. habeat naturam finitam cum natura ipsius divina conjunctam. Sed cum secundum hoc suum dogma omnia loca, quibus Scriptura S. de Trinitate agit, concinne inter se queant conciliari, sequi inde putat, ut id admittatur & ratum habeatur sine dubitatione. In Christo vero jam ante incarnationem duas fuisse naturas, clare tradi §. 16 putat in V. T. iis videlicet locis, quibus Filius Dei appellatur angelus atque legatus Dei, hoc est, substantia finita divinæ naturæ personaliter unita: idque maxime doceri contendit *Exodi XXIII, 20, 21*. Ut suo dogmati plus lucis affundat, docet §. 17 in S. Scriptura clarissime tradi, tres Trinitatis personas esse tres substantias, itemque Filium & Spiritum S. esse subordinatos Patri, ac Filio certo quodam respectu subordinatum esse Spiritum sanctum. Ex duobus his principiis, quæ pro certis habet & claris, suum de Trinitate systema invicte probari posse statuit. Profert igitur, eo fine §. 18, 19, 20 duo argumenta, quibus negat quicquam solidi opponi posse. Nos ea non recitamus, quia tantum hic syllogistice proponuntur, quæ antea libera oratione fuerant prolata. Unum suæ sententiæ objici posse, §. 24 animadvertit, generationem Filii æternam. Si enim natura ejus finita non est æterna, sequitur, eum non esse ab æterno Filium Dei. Sed respondet §. 25 primo, sibi nil videri obflare, quo minus Deus ab æterno produxerit ens aliquod finitum; deinde §. 26, 27, 28 contendit, tria dicta, ex quibus probari soleat æternitas generationis Filii, *Psal. II, Prov. VIII, & Micha V*, eam minime probare.

Conclusa nunc demonstratione sua, quam vocat, §. 30 scribit, se initio noluisse novam hanc de Trinitate sententiam publicæ luci exponere, ne videretur perturbare velle Ecclesiam; sed per conscientiam sibi non licuisse tacere diutius, cum injustum sit, abscondere veritatem tam claram tamque Ecclesiæ utilem. Ac sperat §. 32, eam hoc facilius receptum iri ab orthodoxis, quod ab ipsorum doctrina haud longe recedat, sed obscuriorem ipsorum de Trinitate doctrinam reddat clariorem perceptuque faciliorem. Ultimo loco §. 35 rogat amicum, ut, quicquid objicere possit suæ doctrinæ, secum benevolens communicet.

*FRANCISCI WOKENII, S. S. TH. L. ET LL.
OO. P. P. Witteb. Commentatio in Canticum Canticorum;
Præmissa est Dissertatio, qua ostenditur, Nicaulen non esse
objectum Cant. Canticorum.*

Wittebergæ, apud Christ. Theoph. Ludovicum, 1729, 4.

Plag. 9.

INter eos, qui miras suas conjecturas in S. Scripturas cum eruditis communicare in deliciis habent, fuit & *Anonymus*, qui Germanice proposito libello docere voluit, sponsam in Cantico, esse Reginam austri, Nicaulen, quæ Salomonis fama allecta, in Palæstinam venit, se convertit, cum Rege concubuit, & gravida domum reversa: hic vero ut typus convertendarum ad Christianam Ecclesiam gentium proponeretur. Hoc quicquid est commenti, in præliminari Dissertatione Pl. Rev. Autor falsis denudavit plumulis. In ipsa vero Commentatione in Canticum id agit, ut paucis multa dicat, & quæ ab aliis jam bene sunt exposita, ad quodum ferè paraphraseos, breviter tangat; quæ vero in obscuriori hoc libro, Criticam adhuc industriam flagitare videbantur, paulo curatius evolvat: quo ipso multis aliquam attulit lucem. Quædam dabimus specimina. Sponsa non confert oculos suos cum oculis subtrufis columbarum, sed cum columbis ipsis, quas in deliciis habere puellæ solent. Nullum hic adest juramentum per capreas & cervas agri, sed sen-

sensus est: adjuro vos, sive vos bella sequamini, sive tranquilla pace fruente inter cervas agri palemini. C. VI, 8, difficillimus alias creditus locus, exponitur, non quod Salomo, sive verus, sive mysticus, tot Reginas, pellices & virgines in gynæceo habuisset; sed quod, si & tot pulchræ Reginæ, pellices ac virgines cum Sponsa conferrentur, Sponsa tamen, vel earum ipsarum judicio, pulcherrima sit futura. Id quod ex ipso probat Hebraismo, sine hac expolitione, variis modis impedito. C. VII, 1, aliquod S. Trinitatis indicium querit, & v. 3 nil spurii deprehendit. Quemadmodum & locum, quo emperæ abuti solent, v. 9 ex inductione locorum, ubi $\eta\gamma$ cum δ occurrit, exponit, & ostendit, verti eum posse, nec, *ascendam in palmam*, nec, *ibo ad Tamarem*. De *Dudaim* peculiarem habet conjecturam, & per hortos, in quibus sponsa habitat, varias religiones intelligi non posse, monet. Plura in ipso libello legi possunt.

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA de fabulosa, variisque fraudibus quondam obnoxia & delusa Megapoli, in Academia Rostochiensis inaugurali Discursu A. MDCCXX, d. XX Aprilis primum proposita; nunc vero prolixius significatis argumenti circumstantiis edita a DAVID. HENR. KOEPKENIO, D.]

Rostochii, apud Joach. Wildium, 1729, 4.

Alph. 1 pl. 4.

Autor Pl. Rev. qui jam ultra 20 & quod excurrit annos Professoris Poeseos munus, SS. Theol. Doctoris titulo etiam insignis, in Academia Varniaca suslinet, ad veteres nonnunquam delicias respicere, historiamque, imprimis patriam, exornare non desinit, cujus egregia quondam, cum provincie eam docendi in hac ipsa Musarum sede admotus esset, aliquot specimina dedit, e quibus nobis sequentia succurrunt: *Memoria Rostochiensium Protevangelistæ*, M. Joach. Kutzeri, A. 1702. *Memoria Conradi Lofii, Episcopi Suerinens.* A. 1707. *Præ-*
sagia

Sagia Reformationis Mecklenburgica, A. 1703, in 4, Rostochii edita.

Quod nunc præ manibus est, ejusdem argumenti specimen, Orationem sub auspiciis magistratus Academici pronunciatam, seu inauguralem Discursum, ut ipse loqui amat Autor, exhibet: accessoria ejusdem, quæ nunc, ubi typis exscripta est, ab autore fuere addita, ac proluxa ad Illustr. Breitenavium dedicatione, præfatione item ad Lectorem constant, cui & addas exordium tum generale tum speciale, quippe parum ad institutum peculiare habentia, mittenda existimamus, atque de argumento *fabulosa Megapoleos*, quod præcipue sibi tractandum sumsit Autor, pro instituto nostro ex illo videbimus. Ad tractationem ejusdem delatus Autor p. 34, primum modum, quo apud Megapolitanos credulam quondam sub papatu gentem deludere solenne fuerit, in *visionibus & fidelis revelationibus* ponit; ejus exempla in Ludolpho Raceburgensium Sec. XIII Episcopo, in Anastasia Ducis Henrici, cognomento Hierosolymitani, conjugæ, porro ejusdem filio, Henrico Leone ex Sec. XIV, quem postremum tum ut manus a bonis Ecclesiæ dedicatis abstineret, territum, tum vero ut potius in pios ejusmodi, quos credebant, usus, pecunias & prædia erogaret, *visu & somniis* illiusmodi esse innotuit, vana tum fuit persuasio, *advocatis idoneis* iisdemque in historia Mecklenb. domesticis *rebus* sufficiuntur.

Post hæc ad specialiora fabularum argumenta Autor progressus, prodigia varia tum in infantibus conspicua, tum quæ per adultos, eosque, tum vivos, tum vita defunctos & sanctorum choro adscriptos; hinc & per mortuorum reliquias atque statuas & simulacra; adeo per ipsum, ceu commenta perhibuerunt, optimi Servatoris nostri corpus & sanguinem; denique per ignitum ferrum patrata sint, se prolaturum p. 51 in se recipit, quod & ordine hoc indicato abunde præstat; de quibus tamen omnibus cum hic referre nimis prolixum sit, aliqua eaque illustriora duntaxat specimina repetemus. Inter reliquias ipsius Servatoris, Domini nostri J. C. apud Mecklenburgenses quondam superstitiosos celebratas, eminent *gutta sanguinis*, quæ Sderini in templo cathedrali servata tot ibidem editis miraculis

in-
cl-
y-

inclita fuit habita. Ex annalibus reformationis notum est, quid Ægid. Faber de hoc Suerinensium idolo, falsoque sanguine, commentatione peculiari A. 1533 evulgata, disputaverit, quam & prologo ipse Megalander B. Lutherus instruxit. Hujus autem fabulæ originem, a religiosa Henrici, Comitis Suerinensis circa A. 1222 in Palæstinam peregrinatione repetendam, variamque hinc sortem, usque dum cum ipsa sacrorum repurgatione exitum suum sortita est, p. 76 sqq. curatius describit Autor, utiturque juxta cum præsiidiis aliis documento rarius obvio, *ordinario* namque *Ecclesiæ Suerinensis* 1519 in fol. adhuc sub Papatu edito.

Longa alioquin serica fabularum ut apud alios, ita & apud Mecklenburgenses de miraculis est, quæ in *hostiis*, seu panibus orbicularibus S. Cœnæ usui consecratis a credulis sub Papatu hominibus voluerunt observari; qualiaque non unius generis recensere instituit Autor p. 87 sqq. Decantatissima tamen hæc inter est fabula de hostia Sternbergæ a Judæis confossa & cruentata, quam & aliorum doctorum quorundam Virorum post ætate censuram meruisse meminimus, de quibus ex parte ipse Autor refert: vindicat tamen & ipse sibi prolixum de hoc commento disputandi locum p. 96-136, cumque miraculum hoc novissime defensorem invenerit in Dav. Franckio, parochio Stefabergensi, edita peculiari de hac re commentatiuncula Rostoch. 1721, in 8, hunc ipsum ex instituto etiam sibi h. l. consultandum sumit, postquam idem & factum alias legimus ab Autoribus *Annal. Litterar. Mecklenburg.* ad A. 1721, P. II, Cap. I p. 101 sqq.

Ab hoc argumento ad varium aliarum *reliquiarum* recensum iterum redit Autor p. 136, fuitque harum sane magnus quondam ubicunque fere locorum apud Megapolitanos proventus, cujus etiam aliqua velut naufragæ tabulæ in templo Dobernanensi, quod cœnobio quondam PP. Benedictinorum celebre fuit, hodiernum servantur. Atque non potest non esse jucundum lectoribus, habere integrum hujusmodi apparatus fabularum, quas populo ut placerent, pecunias, nummosque surriperent, excogitandi artem fuisse cucullatorum fratrum dixeris, in qua

tamen alter alteri prudentia quisi & astutia præstiterit, ex tota aliqua provincia hic velut collatum in cumulum, quem sane haut contemnendum Autor coacervavit, cui denique, quod de aliis, ferri nempe candentis prodigio pollicitus erat, cumque eo comparatis, in quibus fraudum gemina indicia sibi observasse visus est, p. 165 sqq. subjicit; sicque tandem prolixiorē hanc nec ineruditam commentationem claudit: quam proinde dignam existimare liceat, ut harum rerum curiosis ejusdem lectionem commendemus, a qua detertere eos haut debet, siquidem prolixioribus nonnihil proluisionibus, quin & certaminibus e Theologorum schola petitis, totiesque repetitis, hinc inde passim ab Autore detineantur, quod pro instituto ac muneris sui ratione sibi faciendum esse putavit.

EUTROPII BREVIARIUM HISTORIÆ Romanæ, cum Metaphrasi Græca Pæanii, & Notis VINETI, GLAREANI, TANAQ. & ANNÆ FABRI, HEARNII, SYLBURGII & CELLARII. Accedunt SEX. RUFII Breviarium, cum Notis CELLARII, & MESSALA de progenie Augusti. Ex MSS. Bibl. Lugd. B. recensuit SIGEBERTUS HAVERCAMPUS, qui & suas & C. A. HEUMANNI Notas adjecit.

Lugd. Bat. apud Jo. Arn. Langerak, 1729, 8 maj.

Alph. 2 pl. 11½.

EN novam eandemque nitidissimam & omnibus, quæ olim prodierant, annotationibus instructam editionem Eutropianæ Epitomes historiæ Romanæ, qua (ita judicat in Præfatione Cl. Editor,) *meliorem nemo omnium, quotquot sunt, fuerunt, inter Compendiorum scriptores, dare poterit.* Cl. Havercampus, cujus jam Josephum & Lucretium simili modo editos recensuimus, non solum editas ab aliis annotationes textui subjecit, (quorum & Præfationes Dedicationsque præmisit,) sed ipse quoque quatuor MSS. Codicibus, qui asservantur in Aca-

demiz

demæ Lugdunensis bibliotheca, usus est ad emendandum Eutropium. Testimonia item veterum pariter & recentiorum de hoc Breviario præfixa voluit. In textu secutus est Thomæ Hearnii, quæ A. 1703 Oxoniæ prodiit, editionem, ejusdemque exemplo præter Pæanii Metaphrasin Græcam adjecit Pseudo-Messalæ libellum *de progenie Augusti*, & incogniti cujusdam Græculi *Orationem in obitum Constantini junioris*. Cellario vero duce simul exhibuit Sexti Rufi *Breviarium*. Ceterum in divisione Eutropiani Breviarii in capita secutus est editionem Annæ Fabri, quam *unicum* in Præfatione vocat *muliebris sexus in literis humanioribus exemplum*. Ubi quidem optaverimus, ut margini adscripsisset numerum capitum editionis Cellarianæ, ne difficilis reddatur labor laudata ab aliis loca hic quærentibus.

Ex Notis jam antea editis, quæ partim criticæ sunt, partim historicæ, magnam historię Romanæ partem doctissima luce perfundentes, nihil excerpimus. Morem vero nostrum secuti e Notis nunc primum editis Cl. *Havercampi* & Cl. *Heumanni* nonnihil proferemus: quanquam utriusque perpaucæ sunt annotationes, cum (ut in Præfatione scribit Cl. Editor,) *jam gemat onustus tot commentatoribus sectator ipse brevitatis, si quis alius, Eutropius*. Doctissimus igitur Editor *lib. II cap. 5*, pro *in Italiam venerunt* e MSS. rescribit *ad Italiam venerunt*, & lectionem hanc ex aliis Eutropii locis probe defendit. *Lib. III cap. 7* e MSS. ita reponit: *latrocinati navibus Romanorum (subaudi interceptis,) fuerant*. Vulgo editum est *naves*. *Lib. III cap. 19* e MS. quodam docet, Annibalem ab Eutropio vocari *calidum & impatientem ducem*: adeoque *callidum*, quod editum erat, mutat in *calidum*, duces sequens Carolum Langium atque Heumannum. *Lib. III cap. 15* pro *omnes Hispani* ponit *omnes Hispania*, eamque scripturam defendit ex alio simillimo Eutropii loco. *Lib. IV cap. 4*, ubi Scipio, Africani frater, vulgo legitur accepisse nomen *Astati*, e MSS. restituit *Astagenis*, idque ex eo defendit, quod in antiquis monumentis Scipio ille *Astagenes* appellitur. *Lib. VI cap. 24* e MSS. exhibet *ex Pompeji filii major* pro edito *Sextus Pompeji filius major*.

*major. Lib. VIII cap. 12 pro imperii fastu scribendum censet imperii fastigio, secutus non solum MSS. Codices, sed & morem Eutropii, aliis etiam locis ita locuti. Lib. IX cap. 9 pro Lolliano e MS. scribit L. Aeliano, eamque emendationem propugnat e nummis. Lib. IX cap. 15 docet, quomodo Constantius, Imperator Christianus, ab Eutropio dicatur relatus fuisse inter Divos, & e Symmachi epistolis ostendit, ethnicos etiam de Christianis Imperatoribus hanc appellationem usurpasse. Lib. X cap. 16, ubi ab Eutropio Julianus Imp. vocatur nimius religionis Christiane infector, duce Codice MS. delet rō nimius, ac postea observavit, jam Lambecio istam emendationem in mentem venisse. Cum vero lib. I cap. 2 pro raptarum injuriam e Cod. MS. rescripsit raptorum injuriam, hoc est, injuriam a raptoribus virginum profectam, ea mutatione abstinendum fuisse, haud injuria censemus. Solent enim Latini injuriam alicujus vocare non solum eam, quæ ab ipso infertur aliis, sed eam quoque, quam accipit ab alio. Cicero Orat. pro Ligario cap. 10: *vestras injurias persequamini*, id est, vobis illatas. Tacitus in vita Agricolaë cap. 16: *sua quoque injuria ultor*, hoc est, injuriæ sibi met ipsi illatæ. Curtius VIII, 3, 16: *Convertit (Rex) animum ad vindicandas injurias eorum, quibus a prætoribus suis avare ac superbe imperabatur*. Et quid multa? Ipse Eutropius lib. IV, 6, 3, vel ex distinctione Havercampianæ editionis cap. 14 ita scripsit: *Corinthiis bellum indictum est propter injuriam legatorum Romanorum*. Quam, quæso, similis est hic locus superiori, ubi *commota esse* Eutropius dixit *bella propter injuriam raptarum*!*

Ex Heumannianis notis illa prima nobis occurrit, in qua lib. II cap. 3, pro *presumerunt* scribendum judicat *resumerunt*: quæ emendatio tam certa videtur Cl. Havercampo, ut eam approbet, & in textum recipiat, etsi tres suorum Codicum MSS. habeant priorem scripturam. Lib. II cap. 24 Vir Cl. monet, non esse emendandam hanc Eutropii phrasin: *Regulum petierunt*, id est, a Regulo petierunt, cum eadem plus semel usus fuerit Augustinus. Lib. IX cap. 19 pro *fatigatione taxaverant* rescribit *fatigatione vexaverant*, docens ex Gellio, *vexare* hoc tem-

tempore dictam fuisse pro *exagitare aliquem*, quod & a nostratibus appellatur *einen veriten*; & e Sidonio Apollinare, *fatigationes* hoc temporis tractu dici consuevisse *illufiones jocosas*. Adjungimus, & Cl. *Havercampi* indicio exponimus, duas novas Eutropii emendationes a Cl. *Heumanno* nobiscum communicatas. Scilicet Lib. I c. 8^t edit. *Cellar. cap. 7 n. 3*) in hoc loco: *Nam cum filius ejus, & ipse Tarquinius junior, Lucretiam stuprasset; rō junior delet, cum horum verborum: & ipse Tarquinius, hic sit sensus: qui & ipse Tarquinii nomen gerebat.* Deinde *lib. VII cap. 19* (edit. *Cellar. cap. 13 n. 2*) hisce verbis: *pecunia tamen avidior fuit, ita ut eam nulli injuste auferret; hæc vult substituta: pecunia avidior fuit, ita tamen, ut, cetera.* Duas alias correctiones Cl. *Heumanni*, quas nuper in *Pocile* sua protulit, & quidem *T. III lib. 2 p. 251 & 252*, quasque habet pro liquidissimis certissimisque, omittimus.

HESPERI ET PHOSPHORI NOVA PHÆNOMENA, sive Observationes circa Planetam Veneris, unde colligitur I descriptio illius macularum, seu Celidographia, II vertigo circa axem proprium, vel Perieileisis spatii dierum 24 cum triente, III Parallelismus axis in orbita octimestri circa Solem, IV & quantitas parallaxeos methode Cassiniana explorata, nunc primum editæ sub auspiciis Sacræ Regiæ Majestatis Joannis V, Lusitaniæ, Algarbiæ &c. Regis, a FRANCISCO BLANCHINO, Veronensi, Papæ Prælo domestico.

* Romæ, apud Joannem Mariam Salvioni, 1728, fol.

Alph. 1 pl. 2 cum Tabb. æn.

Singularia prorsus sunt phænomena, quæ Illustrissimus Autor Astronomis rerumque cælestium curiosis nunciat a nemine hæcenus observata & cum in Astronomia præsertim Uranometria, tum in ea Physicæ parte, quæ Systema mundi contempletur, maximi momenti. Occasionem acceptam refert Eminentissimo Principi *Melchiori* Cardinali de *Polignac*, qui

jam A. 1709 cogitaverat de planetis per telescopia majora centum & ducentorum palmorum a *Campano* elaborata contemplandis, sed legatione in conventu Ultrajectensi ad pacem Europæ stabilendam obeunda impeditus, non nisi in urbem redux illa cum machinis paratis ab hæredibus *Campani*, qui interea obierat, ad cœlum erigi curavit in colle Palatino d. 16 Augusti 1725. Eo ipso die Illustr. Autor per telescopium 150 palmorum in Lunam conversum in macula *Platonis*, quæ tum in limitem illuminationis incidebat, observavit subrubentem radium Solis supra obscurum ejus fundum transmissum ex margine maculæ candido & Soli obverso, non secus ac solent per hiemem in clauso cubiculo radii Solis per fenestras admitti reddi oculis evidentes. Astronomis phænomenon hoc considerandum proponit, ut judicent, num indicium sit foraminis alicujus patentis in margine maculæ Soli obverso, per quod radii trajecti, veluti per fenestram appareant; an fortasse malint opinari esse radios réfractos, qui ex margine summo versus imum fleclantur & subrubescant, adeoque indicium videatur atmosphæræ circa Lunam admittendæ. Huic observationi jungit alteram aliquoties repetitam, telescopiis quoque minoribus, qua crenam quandam sive incisionem rectilineam deprehendit inter maculas *Platonis* & *Aristotelis* veluti fossam quandam prælongam una cum area quadam triangulari in vicinia. Longitudo ejus est circiter $\frac{1}{3}$ diametri lunaris. Et eam utilem esse existimat, ut posteri observent, num forsitan aliqua in superficie Lunæ mutatio contingat. Longitudinem illius incisionis dum ad mensuram 70 circiter milliarium Italicorum reducit; experimenta in dimetiendo gradu terrestri a se facta una cum lineâ Meridiana Italianam pervadente a Romano litore prope Ardeam ducta per urbem ipsam & theimas *Diocletiani* ad Heliometrum *Clementinum*, per ædem *S. Silvestri* in monte *Soracte* per *Eugubium* & litus *Adriatici* paulo ultra *Ariminum*, & producta ad *Sabinos* per *Vaconis* pagum & apicem montis, cui *monte Coscia* nomen est, deinde per verticem montis dicti *monte Acuto*, pertingente vero ad oram maximam orientalem portus *Ariminensis* se editurum promittit. Maculas in Vene-

re observavit A. 1726 lunaribus illis amplioribus similes, quas nudo oculo in Luna conspicimus & quæ ab Astronomis maria dicuntur. Monet autem, ad harum observationem eligendos esse dies a nebulis immunes & crepusculi horam profectionem esse expectandam, nempe plus quam dimidiam post occasum Solis: lenti objectivæ in telescopio 90 vel 100 palmorum convenire aperturam, quæ diametrum obtinet unciarum quatuor: distantiam foci vitri ocularis neque longiorem esse debere uncias decem, neque semipalmo Romano brevior. Postquam igitur observationes singulas accuratissime descripsit & qua cura, quave cautione easdem instituerit, fideliter exposuit; ex iisdem celidographiam conficit, quæ exhibet Veneris faciem maculosam per telescopium 100 palmorum instar Lunæ nudo oculo visæ, ita ut maculæ Veneris appareant simillimæ maculis lunaribus, quæ maria appellantur: causam tantæ similitudinis in id conjicit, quod, quemadmodum demonstrat, imago maculæ Veneris in suo telescopio obtinuerit vim & amplitudinem imaginis maculæ æqualis in Luna sine telescopio conspecta in mediocri ejus elongatione a terra. Unde colligit, maculas in Venerè per telescopium istiusmodi, quali ipse usus est, observaturum ea visus acie pollere debere, quæ sufficit ad Lunæ maculas majores, quæ appellantur maria, nudo oculo satis distinguendas. Ut clarior reddatur dispositio axis & rotatio globi Veneris, nec non dispositio macularum cum plano circuli definitis extrema illuminationis & separantis hemisphærium planetæ Soli expositum ab adverso hemisphærio a Sole non illustrato, atque reliqua ab ipso observata circa maculas conferri possint cum aliis observationibus in posterum instituendis, & recognosci possit, num aliqua mutatio macularum in eo planeta contingat; globum solidum formari curavit, qui planetam Veneris repræsentat. Polis & axe rotationum in eo signatis, quemadmodum in globo cælesti ac terrestri vulgo fieri solet, in ejus superficie delineavit maculas per telescopium a se observatas, retenta, quantum fieri potuit, mensura amplitudinis singularum ac distantiarum modo inter se tum a colis, tum ab æquatore Veneris: quæ singula quomodo per observationes determinari

minari potuerint, edocet. Ex observationibus mensis Februarii A. 1726 deducit, planum productum per axem rotationum Veneris, circa quem planetam viginti quatuor dierum intervallo converti reperit, & Solem ductum ac plano orbitæ Veneris octimestri circa Solem ad angulos rectos insilens secare eclipticam in gradu circiter 20 Leonis & Aquarii & inclinari ad planum eclipticæ sub angulo quindecim circiter graduum. Detexit autem præterea ejusdem axis parallelismum servari in tota planetæ orbita circa Solem, non secus ac si magnetica pyxis in conclavi circumferretur, in qua acum sibi parallelam ubique constanter disponi observamus: id quod *Copernicani* auditu jucundissimum accidere debet, qui in gratiam hypothesos suæ istiusmodi parallelismum axis in motu Telluris circa Solem supposuerunt. Hisce igitur præfidiis instructus & opera *Mazzæ* artificis Bononiensis adjutus machinam solidam per circulos & armillas construxit, alteram in hypothese *Tychonica*, alteram multo simpliciore in hypothese *Copernicana*, per quam situs Telluris ac Veneris ad Solem exhiberi potest una cum illuminatione a Sole ad datum tempus ope ellychnii luceræ accensi. Excogitavit præterea machinam simpliciore, qua compendiosius universæ phasæ macularum in utraque hypothese exhiberi possint, representato triangulo a centrīs Solis, Veneris ac Terræ formato. Idem quoque in planisphærio exhibere docet, exposito simul calculo ea fini facile instituendo. Quamvis autem planisphærium confluerit in systemate *Copernicano*, hodie ab Astronomis in universum omnibus recepto, cum sic prodeat figura contractior, calculus motuum evadat simplicior & expeditus etiam ad intuendum, utpote qui uno ferme ictu oculi per duos circulos clare absolvitur ut exhibetur, citra necessitatem adhibendi regulas & circellos versatiles circa centra mobilia & ad parallelas lineas aptandi iniia numerationis, quemadmodum in *Tychonico* fieri debet; ut tamen Curiæ Romanæ rationem habeat ob recentem adhuc memoriam censuræ *Galilei*, ostendit etiam, quomodo phasæ eadem ope planisphærii in systemate *Tychonico* exhiberi queant, quæ in *Copernicano* adeo obviæ sunt. Enimvero ut usus planisphærii


expe-

expeditior evadat, ad phases Veneris ejusque macularum e terra conspectarum oculis exhibendas, ideo suadet, ut quis ad manus habeat globulum sesquiuncialis saltem diametri, cui maculae Veneris decenter inscriptae sunt, & qui semipalmari altitudinis fulcro ita imponitur, ut semicirculo inclusus axis globuli circa polos utriusque extremo semicirculi insertos permittat globulo circumvolvi ad altitudinem graduum 15 supra planum delineato planisphaerio æquidistans, monstrans qua ratione operis hujus globi planisphaerii usus multo expeditior fiat. Hujus itaque globi constructionem edocet, simulque sectores ad globi superficiem agglutinandos æri incisos exhibet, ut exinde globus eodem prorsus artificio parari possit, quo in globis artificialibus terrestri ac cœlesti utimur. Et quemadmodum præterea Geographi mappas conficiunt, quæ planisphaeria orbis terrarum Perspectivæ regulis efformata in plano circulari ad æquatorem recto, nempe in aliquo Meridiano, exhibent; ita similiter planisphaeria Veneris delineavit, in quibus tum maria circa æquatorem, tum circa polos repræsentantur. Selegit autem eam methodum, quam *Nicolaus de Fer*, Geographus Reginus, ceteris prætulit, propterea quod minus deformet vera intervalla partium in globo notandarum. Ut vero singula maria justa ad se invicem & ad regiones Veneris proportionis exhibere posset; mappam quoque construxit per lineas parallelas in forma parallelogrammi rectanguli, quali mapparum genere nautæ utuntur ad ventorum rhombos unicuique Meridiano facilius observandos. Circa æquatorem septem maria deprehendit, per quorum fere media ille transit; circa polos duo; quatuor præterea circa æquatorem freta & promontoria octo. Nomina maribus imponit a *Joanne V*, Lusitanæ Rege, ab *Henrico Infante*, *Emannele Rege*, *Constantino Principe*, *Columbo*, *Vespucio* & *Galileo*; fretis quatuor ab *Alphonso de Albuquerque*, *Vasco de Gama*, *Cortésio* & *Joanne Dominico Cassini*; octo denique promontoriis a *Nunno de Cunha* & *Fraacisco de Almeyda*, *Duarte Pacheco*, *Joanne de Castro*, *Pizarro*, *Petro Alvaro Cabral* sive *Caprali*, *Regia Scientiarum Acadèmia Parisina* & *Instituto Scientiarum ac bonarum artium Bononiensi*. Denomi-

TAB. V.

nationis hujus rationes historicas prolixè reddit: mari verò Boreo nomen a *Marco Polo*, australi a *Ferdinando Magellano* imponit. Ut Lectorum curiositati satisfaciamus, duo hemisphæria hic exhibere placet, ubi A est mare primum seu regium *Joannis V*, B mare *Henrici Infantis*, C mare *Emanuelis Regis*, D mare *Constantini Principis*, E mare *Columbi*, F mare *Vespucci*, G denique mare *Galilæi*: in H vero est mare boreum sive *Marci Poli* & in I australe seu *Magellanicum*. Hinc facile ex modo dictis quoque distinguuntur freta cum promontoriis, quæ utrinque iisdem adjacent, si memineris fretum *d*, quod mare B alteri C jungit, appellari fretum *Albuquerquei* & promontorium boreum *e Almeida* atque australe *f de Cunha*. Hinc enim porro intelligitur, *g* esse fretum *de Gama*, *h* vero promontorium *Pacheci* & *i* promontorium *de Castro*; *k* esse fretum *Cortesi* cum promontoriis *l Pizarri* & *m Cabral*; *n* denique fretum *Cassini* & *o* promontorium *Academiæ Regiæ Scientiarum* atque *p* promontorium *Instituti Scientiarum ac bonarum artium*. Descriptio marium in Venere jam circa A. 1666 tentata fuit a *Cassino*, sed organorum defectu penitus intermissa: neque enim tunc temporis *Josephus Campani* & *Eustachius Dicipi* telescopia talis amplitudinis elaboraverant, qualis ad maculas Veneris clare conspiciendas requiritur, cum vix ad mensuram palmorum 50 aut 60 focum vitrorum objectivorum protulissent. Accedebat difficultas tubum tantæ longitudinis construendi, qui pondere proprio non flecteretur, nec in tanta distantia ocularis vitri ab objectivo curvam lineam circa medium redderet, præsertim telescopio extra situm horizontalem ad spectanda astra elevato. Hujus difficultatis testem adducit machinam duplicem, Romæ propositam, unam a *R. P. Gottignez*, cujus non ignotum in his Actis nomen; alteram a *Josepho Campani* A. 1684 in hortis Pamphiliis extra portam Janiculensem elevatam. Utriusque typum æneis tabulis incisum oculis lectoris curiosi præsentem sistit. Merito igitur extollit *Christiani Hugeni* inventam, in his Actis A. 1684 p. 563 descriptum, quo telescopium a tubi optici molimine felicissime liberavit. *Cassinus*, qui auctor fuerat *Campano*, ut munificentia *Ludovici*

TAB. V ad A. 1729. M. Nov. pag. 498.



Jovici M. excitatus telescopia 100, 120, 150 & 200 palmorum elaboraret, & per ea ad observatorium regium transmissa alios quatuor Satellites præter *Hugenianum* circa Saturnum detexerat circa A. 1682, ea tamen non amplius penes se habebat, cum A. 1712 additamenta nonnulla sua ad inventum *Hugenianum* cum Academia Scientiarum Regia communicaret, quoniam jam A. 1689 paulo ante obitum Regine Suecorum *Christine* Romam fuere remissa. Cum vero motus vertiginis Veneris definiti nequeat nisi per accuratas macularum observationes; non mirum, quod eum longe aliter deprehenderit, quam fert vulgaris opinio *Cassino* Autori tribui solita, in ipsius tamen scriptis non extans. Neque enim intervallo 23 horarum, quemadmodum hæctenus creditum fuit, sed 24 dierum eundem absolvi Nosler ex observationibus suis demonstrat, additis horis circiter octo. Hinc prædicit similem aspectum Veneris de terra eam observantibus d. 7 Febr. A. 1734, qualem exhibuit d. 9 Febr. 1726. Cum parallelismus axis Veneris in revolutione octimestri circa Solem momenti maximi sit; in eodem ex observationibus suis demonstrando multus est Astronomus summus simulque monet Astronomum lectorem, quæ in posterum tenerè debeat, ubi ad eundem observandum animum applicare voluerit. In observanda denique parallaxi Veneris usus est methodo *Cassiniana*, quæ legitur in Actis A. 1685 p. 470. Observationes, ex quibus eandem deducit, habitæ sunt Calendis Julii A. 1716, Venere versante in vicinia cordis Leonis, ad diem usque 4 ejusdem mensis. Eruit parallaxin Veneris horizontalem 24 Sec. 20 tert. unde resultat distantia Veneris à Terra ad datum tempus 8000 semidiametrorum terrestrium. Inde porro colligit distantiam Solis à Terra semidiametrorum similibus 13403 seu numero rotundo 13400, adeoque ejus parallaxin horizontalem Sec. 14 tert. 18. Ceterum Autor parallaxin Veneris adeo subtiliter & accurate a se definitam esse confidit, ut parè certitudinem vix expectari posse ipsi videatur, ex alia quacunque observatione hæctenus instituta. Quodsi quidam fuerint, qui egregia hæc ac utilissima inventa confirmare ac perficere voluerint; eos docet, quæ ipsis observanda sunt, ne tantus labor successu distitatur.

tur. Sub finem Operis excellentis legitur epistola R. P. *Melchioris de Briga*, e Societate Jesu, in Collegio *Florentino* Mathematicæ Lectoris, ad Autorem A. 1726 data de Astronomorum conatu in detegendis maculis Veneris.

JOANNIS FREDRICI SCHREIBER,
*Doctoris Medici, idea distincta quorundam Medicinæ
 principiorum.*

Medicinam nondum comitatur illa utilitas, quæ scientiæ Medicæ deesse nunquam posset: sed & deficit adhuc Medicinam certitudo. Systema in Medicina frustra adhuc quaesiveris: recte formatae definitiones, omnimode determinatae propositiones, earumdemque demonstrationes, quarum ideam ab Euclideanis, & extra Mathesin, a Wolfianis attento abstrahere licet; proh magno detrimento! a Medicina exulant. Manum ergo tanto operi adjuvendam decrevi: quæ & admovi jam, multum expertus, quanto constet labore, veri nominis condere scientiam. Dedi specimen actionis corporis humani, omni demonstratae modo, in scriptione Academica *de lacrimis & fetu*, quæ cum nonnullis admodum placuerit, illis nec systema displiciturum spero. Constat plerisque, accuratam fabricæ corporis humani descriptionem quoque fundamentum præbere debere scientiæ Medicæ: illa ergo determinata sit necessum est in iis partibus, unde plurimum dependet. Sic; dixi in memorata scriptione *de fetu*, cur origini nervi intercostalis mihi ibidem attendendum non fuerit: quia nempe cum quinto pari non cohæret. Idque asserui, *Eustachii, Albini*, propriasque quasdam observationes secutus: plerique, a quinto & sexto pari simul oriri illum, affirmarunt: alius vero insignis Anatomicus mihi persuadere voluit, illum plerumque a solo quinto pari nasci. Ea est Anatomicorum inconstantia; unde tani sæpe dubia redditur Medicina. Ego vero originem illius nervi accurate determinatam summi momenti rem habeo in *αθρολογία*. Quare omnes, quibus inspicuendorum cadaverum copia est, oro ac obtestor, ut in illam originem curatius inquireant.

Jano

Jam ergo quam proxime a me expectari volo *Elementorum Medicinæ, mors Geometrarum demonstratorum*, Tomum primum: quæ ianitentur observationibus & experimentis Anatomicis, secundum genuinæ Logicæ præcepta formatis: unde iudicia intuitiva formabuntur, ut & discursiva, omnimode determinata, & in eo rigore demonstrata, quem delineavit merito suo Illustris *Wolffius* in admirabili opere Logico. Quin & constabit, omnem propositionum Medicarum certitudinem ultimo pendere a primis entium notionibus; nam & constitutum nobis, omnes demonstrationes usque in notiones & propositiones ontologicas, quas Ill. *Wolffius* in immortalis Ontologiæ opere stabilivit, resolvere. Verum, ubi tantum perficio opus, admodum verendum, ne alii, methodi Geometrarum neficii, pro confusis habeant, quæ ego summo digesta ordine censeo. His vero autor suasorque sum, ut Logicæ præceptis animos suos prius imbuant, antequam nostra legere decreverint. Alii mirabuntur, ubi omnis Medicinæ institutiones duabus partibus, *ἀσθενολογία* & *θεραπευτική*, absolvi viderint. Atque his distinctam quandam quorundam Medicinæ principiorum ideam communicare decrevi. Medicinam defini per scientiam eorum, quæ per corpus humanum possibile sunt. Quæ definitio sufficet a fastu suo revocandis Medicis. Vis corporis humani mihi est vis totalis; quæ nempe viribus omnium corporis partium æqualis est. Sanitatem hinc definitio per vim corporis humani integram. Quin & inde liquet, sanitatem partis cuiusdam esse illius vim integram. Quodsi vero, in parte quadam, vi partis illius major oriatur resistentia; aderit illi parti morbus: eoque ipso minuetur vis corporis humani. Est ergo morbus vis corporis humani imminuta seu labefactata. Enimvero vires partium corporis humani a vi quadam alia primario dependent: id quod suo loco evictum dabo: illam vocabo *vim principem*, quæ mihi est vis, sine qua reliquarum virium actio intelligi nequit. Nempe vires illæ reliquæ per principem demum fiunt vires: absque illa tantum habentur pro facultatibus. Quum jam vires partium C. H. dupliciter infringi possint: vel a resistentia quacunque, in parte ipsa nata: vel,

vel, quia a vi principe non animantur, ut sic loquar; (nam per se sunt mortuæ, & per principem demum fiunt vivæ;) hinc & duplex datur morbi genus: particularis & universalis. In hoc impeditur vis princeps. Quin & facile prævidetur, quæ ratione ex priorè nasci possit posterior. Mors est destructio vis principis. Sint enim licet vires omnes partium destructæ, quæ vere ad continuationem vis principis non concurrunt: tamen erit adhuc vita: sed minima. Vitam minimam ergo definitio per continuationem vis principis. Vi vero corporis humani vigente, adest vita maxima, vel perfectissima, id est, sanitas. Pergamus ad Medicinæ partium definitiones. Scientia eorum, quæ per corpus humanum sanum assumta & applicata externa possibilia sunt, quorum vis vi corporis humani minor est; vocatur *Φυσιολογία*. Qui definiunt per scientiam corporis humani sani, incomplete definiunt. Nam non potes scite possibilia per corpus humanum sanum: nisi cognita ante actione ingestorum ac applicatorum quorumvis externorum in corpus humanum sanum. Scientia eorum quæ per corpus humanum, sive sanum, sive ægrum, & externa quæcunque, sive ingesta, sive applicata quomodocunque possibilia sunt; quorum vis vim partis cujusdam vincit: vocatur *παθολογία*. In *παθολογία* ergo debet explicari, quo modo sanum corpus a causis quibusdam determinatis fieri possit ægrum: & secundo, qua ratione ex uno morbo, accedentibus quibusdam externis, nasci queat alius morbus. Quin & inde fluit: recte tractatam *Φυσιολογίαν* & *παθολογίαν* nisi anatomia & actione ingestorum vel applicatorum externorum in corpus cognita. *Σημειωτική* est scientia ex notis quibusdam cognitæ ignotæ rationem sanitatis vel morbi determinandi. Enimvero cum notæ sint rebus intrinsecæ: etiam illæ quæ statum corporis sani vel ægri aperiant, per solas quasdam corporis sani vel ægri possibilitates determinabuntur: ut constat ex Logicis: ergo *σημειωτική* utique in *Φυσιολογία* & *παθολογία* pertractari debet. Atque hæc est ratio: quare nec nos singularem illis notis vel signis vindeximus scientiam. Scientia eorum, quæ per corpus humanum, ingesta ac applicata externa, ab intelligente determinata,

ta, possibilia sunt; nuncupatur *Θεραπευτική*. Atque hæc generalis definitio & *ὕγιήνη* includit, si in definitione corpus humanum sanum esse ponas; si ægrum, definiisti *Θεραπευτικήν* strictè sic dictam. Dico; ab intelligente determinata esse assumenda & applicanda quæcunque: namque non possunt distinctè intelligi felices *ὕγιείης* & *Θεραπευτικῆς* successus: nisi determinatæ ante fuerint actiones generales remediorum, videlicet ceterorumque externorum in corpus humanum vel sanum vel ægrum: quæ dein in quovis quæsito casu specialius determinandæ erunt. Si placet & remedia distinguere: habebitur *Φαρμακευτική, χειρουργική, διαιτητική* &c. Sicque omnis Medicina tandem absolvitur *Φυσιολογία, παθολογία & Θεραπευτική*. Verum enim vero elementa mea Medicinæ constituent *ἀνθρωπολογία & Θεραπευτική*, quarum prior *Φυσιολογίαν & παθολογίαν* ubique connexas silet. Cur vero binas hæc scientias in unam compingam, hanc accipe causam: quia *παθολογία*, separatim tradita, sola generalia morborum complecti potest. Dedi jam olim exempla a musculorum convulsione petita: unde patuit, in cognoscenda speciatim omnium musculorum convulsione, Medico ad specialissimam *Φυσιολογίαν* musculorum recurrendum esse, ut, si e.g. sit declarandum, num ore, a morbo musculorum clauso, levantes inferiorem maxillam vel aliquis eorum sint convulsi; an vero biventè sit paralyticus? Memoravi in præfatione ad *Douglas descriptionem comparatam musculorum C. H. & quadrupedis*, musculorum actiones non prius intellectum iri, quam si trahentur in cadavere in omnem situm possibilem successive disposito. Inde deduxi, quosdam musculos in diverso situ diversas actiones edere: sic bicipitem internum cubiti, pronâ manu, hanc primo supinare. Hinc jam porro concludo, a convulsione unius musculi in diversis corporis sitibus diversos apparere posse effectus, quos imprudens Medicus a duobus vel pluribus musculis convulsis derivabit. Nam convulsorum musculorum motus semper sunt inter se, ut actiones naturales illorum musculorum. Annon ergo præstat, *παθολογίαν* jungere physiologiæ? Attende ultimo antagonismo musculorum. Constat; illi curatissi-

sine attendendum esse in musculorum contusionibus, paralytibus, in vulneribus & fracturis ossium, ubi determinata quædam medela requiritur vel determinatus quidam situs ab intelligente Medico ægro est commendandus, nempe ille, in quo antagonista agere nequit. Sed dixi in Præfatione citata summum *παράδοξον*, quod me ipsum adhucdum exercet; eidem musculo in alio situ alium esse antagonistam: sicque hæc meditatio in priorem redit. Ea ratione noscitur, cur Winslow ægros in lecto decumbentes, quibus hypogastrica sectio facta est, propria capitis elevatione prohibeat, eique aliam a ministro quodam factam substituatur? Ut enim sternomastoideæ agant, punctum fixum in osse pectoris requiritur: hoc vero efficiunt recti & pyramidales abdominis. Horum autem actio curationem vulneratæ vesicæ urinaræ impedit. Quare nobis eadem semper hac de re perstabit sententia: & rectissime idem perspexit Ill. Wolfius.

**MEDITATIONES DE ORIGINE, INDOLE,
EFFECTIBUS ATQUE HISTORIA JURIS REFORMANDI REGUM ac
PRINCIPUM, nec non STATUUM IMPERII ROMANO-GER-
MANICI, CIRCA RELIGIONEM.**

Francof. & Lipsiæ, apud Mezler & Erhard, 1728, 8.
Plag. 22.

CUM errores Principum de jure suo circa religionem civi-
um sint omnium maxime noxii, e Regibus quippe faci-
entés tyrannos truculentissimos, & cives in summam conjicien-
tes miseriam, æterna profecto laude digni sunt nostræ ætatis
philosophi, qui subtilius scrutati naturam & religionis & socie-
tatis civilis, superiorum temporum errores e theologia & poli-
tica sustulerunt, & quod etiã ad religionem attinet, suum
cuique, suum, inquam, jus Regibus, suum civibus, planissime
assignarunt. Horum ingrediens vestigiis doctissimus hic Ano-
nymus de jure imperantium circa sacra sapienter philosopha-
tur, & simul placita sua scite accommodat ad statum Imperii
Romano-Germanici. Divisit autem opus suum duas in partes,
gene-

generalem & specialem. *Prioris Capite I* originem juris reformandi altissime repetiturus, agit de origine & natura societatis civilis. Contemplatus scilicet multarum societatum ad humanam felicitatem necessitatem, ostendit, eas, nisi constituto civili imperio, bene se habere non posse. Cum vero imperium illud certos habeat limites, ea subesse negat imperantium arbitrio, de quibus homines pacisci & pro lubitu disponere nequeunt, lege scilicet divina prohibente eos ab alieno in iis pendere arbitrio. Naclus etiam hic occasionem exponendi natales juris vitæ & necis, hoc Principum jus non deducit ex communi civium consensu, sed ex jure utendi mediis, quibus opus est ad vitam civium conservandam. *Cap. II* ex eo negat, Principis imperio subiectam esse religionem civium; quod inde sequatur, cives aliquando amplectari debere religionem claræ suæ cognitioni contrariam, eandemque mutato Principe mutare; Principem item ethnicum jure persequi Christianos, suam sequi religionem recusantes. Statuit idcirco, unum quemque jus habere, eam colendi religionem, quam existimet esse verissimam. Principi tamen concedit jus, ea in religione ordinandi, quæ salva cujusque conscientia fieri possunt, e. g. locum & tempus concionibus sacris præscribendi, doctoresque constituendi religiosos. Facile igitur largitur, Christianam quoque religionem civilem pati imperium, sed non nisi ad ordinem externum conservandum, & ad improbos cohibendos vel expellendos vel puniendos. Ne quid vero relinquatur obscuritatis, hanc ponit regulam generalem: *Tantum potest summus imperans circa religionem subditorum, quantum salus publica requirit, quantumque uniuscujusque conscientia admittit.* Concludit inde, Principem posse prohibere, ne sub obtentu religionis patrentur fraudes, scelera, & flagitia; ne quis sub specie religionis turbet pacem publicam; ne ejusmodi dogmata tradantur, quibus vel omnis evertatur religio, vel mores corrumpantur civium. Eundem vero negat constituere posse doctores a civium religione diversa tradentes, contendens, cuique cætui permittendum esse, eligere eos doctores, qui ipsi (cætui) videantur veram exponere religionem, si scilicet Princeps diversæ sit religioni addictus.

Tali tamen Principi jus relinquit, illos doctores confirmandi; & si quid periculi civilis ab iis metuendum sit, eos removendi puniendique. Ita, inquit Noller, *nec imperio civili quicquam deedit, nec subditorum conscientia periculum imminet, statusque ecclesiasticus optima harmonia cum civili combinatur.* Adjicit, nec Principem jus habere præscribendi vel interdici civibus ceremonias sacras contra ipsorum conscientiam, sed id cuius societati, religionis causa conjunctæ, permittendum esse, vel Principi, qui ejusdem Ecclesiæ membrum est: quem tamen eo jure excidere sentit, qui primum ad aliam se converterit Ecclesiam. *Cap. III* objecta, effectusque juris reformandi considerat Autor doctissimus. Alia nimirum Principem statuit reformare posse vi majestatis suæ civilis, alia tantum tanquam membrum Ecclesiæ. Ex priori jure derivat jus prohibendi ea dogmata, quibus tranquillitas publica labefactatur, & atheos ejiciendi e civitate, itemque eos, qui persecutionis dissentientium æstro agitantur, coercendi, nec non ritus manifesto barbaros tollendi: quem in modum a Tiberio sublata fuisse legimus sacrificia humana, & a Senatu Romano Bacchanalia. Quod autem Princeps omnino careat jure diversam religionem profitentes persequendi, id copiose demonstrat, ac simul politica commoda tolerantia diversarum religionum persequitur. Nec Principi concedit jus, ut duarum religionum socios jubeat coalescere in unam societatem ecclesiasticam: quanquam facile largitur, posse & Principem & quemcumque alium operam dare, ut diversi cœtus in unum coalescant, modo id non fiat per modum imperii & civibus invitis. Ad bonorum ecclesiasticorum reformationem quod attinet, hic multum juris concedit Principi tollendi abusus, quibus sacerdotes in Reip. præjudicium sua in horrea congerunt divitias civium. Negat vero ac pernegat, Principi jus esse decidendi controversas theologicas, novas condendi fidei formulas, & jurejurando cives adstringendi ad earum observationem.

In *Parte posteriori* agit Autor de jure reformandi Principum ac Statuum Imperii, ipsis competenti ex Pace Westphalica. Statuit scilicet illius Pacis tabulas illustrare methodo dogmati-

ea, & manifestum facere, eas pulchre convenire cum superioribus principiis. Cum enim articulo VIII tale jus reformandi indulgeatur Statibus, quod exerceri possit *salva cujusque conscientia libertate*, hinc concludit, aliud jus circa sacra Statibus vi Pacis Westphalicæ non competere, quam quod priori Parte descripsit: adeoque non posse ad territorialia vel majestatica jura referri ea, quæ haud patiantur imperium, e. g. jus formulas fidei præscribendi, diversas religiones uniendo, ministros ecclesiæ constituendi, contra civium conscientiam. Unde statutum in Pace Westphalica, ut, si dominus territorii religionem habeat a subditorum religione discrepantem, is non possit constitutiones ecclesiasticas immutare, templa & scholas dissentientibus ædinere, & suæ religioni addictis dare. Concedit igitur, illa jura cum majestate aliquando combinari posse, idque contingere Principibus Protestantibus, qui tales habeant cives: sed ea non vult esse per se majestatica, sed a majestate separabilia, & statim separanda, cum Princeps desinit esse illius Ecclesiæ membrum. Hoc probat ex Instrumento Pacis Westphalicæ, ac simul docet, jus reformandi, quod ibi tribuatur Statibus, eum in modum limitari, ut sit exercendum non nisi cum consensu civium, exceptis illis casibus, quando salva cujusque conscientia, salvis legibus publicis, Princeps tollere potest abusus religiosos. *Cap. II* disquirat, quo jure Protestantes post reformationem sibi vindicaverint jus circa sacra. Deductum autem id vult a majestate Imperii, non a liberali concessione Pontificis Romani. Hunc enim jus circa sacra injuria sibi asseruisse, adeoque id jure sibi vindicasse Principes, eosdemque, cum Carolus V Imp. officium suum negligeret, merito sibi suisque civibus ea in re consuluisse. *Cap. III* varias excutit quæstiones, e. g. an jurisdictio ecclesiastica a Principe exerceri possit in subditos diversæ religionis; an in subditos transferri possit ecclesiastica jurisdictio; an Status Imperii subditos a sua religione dissentientes tolerare debeant, quibus A. 1618 vel 1624 nullum fuit religionis vel publicum vel privatum exercitium; an subditis competat jus prohibendi, Pacisque Westphalicæ protectores invocandi, ubi Princeps pacta vel pacem violavit;

quousque se porrigat jus circa bona ecclesiastica. Has & plures quaestiones tractat & copiose & erudite, multis etiam contendens, introductionem exercitii religionis simultanei haudquaquam congruere Paci Westphalicæ. Denique *Cap. IV* inquirit, quodnam jus Reformandi competat Imperatori & Imperio Romano-Germánico. Imperio quidem negat competere absolutum jus reformandi, nec hic valere statuit suffragiorum numerum majorem. Imperatori vero, tanquam Advocato Ecclesiæ, jus tribuit, prospiciendi, ne quid contra Leges publicas in religione immutetur, & operam dandi, ut omnia innovata tollantur; Pontificis item ausus contra Concordata nationis Germanicæ reprimendi, Annatasque ei solvi solitas abolendi, aliosque ejusdem Pontificis abusus juris circa sacra usurpati tollendi. Ultimo loco promittit Autor eruditissimus uberio-rem juris Reformandi historiam, quam nos quidem expectamus cupide.

JO. PET. KOHLII, IN ACAD. SCIENT.
Petropolit. Hist. Eccl. & Human. Liter. P. P. Introductio in Historiam & Rem literariam Slavorum, imprimis sacram, seu Historia Critica Versionum Slavonicarum maxime insignium, nimirum Codicis sacri & Ephremi Syri, II Libris absoluta. Accedunt II Sermones Ephremi Syri nondum editi de S. Cæna, fidei Lutheranae testes & vindices.

Altonaviæ, Impensis Jonæ Kortæ, & Amstelodami apud
 Isaacum Tyrion, 1729, 8.

Alph. 1 pl. 4.

Non nisi pergratum id eruditis lectoribus accidere potest, si quidem illis de re & argumento, quod parcius hucusque vel plane non tractatum est, cognoscere datur: præsertim si id fiat a scriptore, quem huic negotio parem omnino existimare liceat. Talem autem esse Cl. *Kohlium*, hoc facilius nobis debet esse persuasum, cum ipse rebus a cognitione nostra alioquin remo-

remotioribus præsens aliquando propiusque adnotus fuerit, quin immo per binos annos in tradendis tractandisque iisdem ex publica muneri ratione versatus sit.

Idcirco avidius omnino excipere fas erit, quod primum hic nobis hujus argumenti exhibetur specimen, cujus & plura posthac nos expectare jubet Cl. Autor in Præfatione huic libello præfixa. Sic namque ex XI ibidem ab Autore nobis promissis suis laboribus & scriptis, quæ partim prelo jam parata, partim vero inchoata & imperfecta adhuc sint, sequentia omnino in censum præsentis instituti venient. 1) Versio latina MSti Slavonici de Concilio ultimo Moscovitico. 2) Historia Ecclesiæ Ruthenæ schismatica. 3) Verà antiquæ Ruthenorum fidei & religionis effigies ex libro ejus symbolico. 4) Systema religionis Muhammedanæ, ex Sereniss. Principis Demètr. Cæmèntii Slavonico-Ruthena lingua de hoc argumento edito opere in latium idioma translaturum. 5) Fasciculus Dissertat. historiam Scythicam, Slavonicam & Cimbricam illustrantium. 6) Catalogus Libr. Græcor. & Slavonic. MStorum, in Bibliothecis Moscuensibus, adhuc ineditus. 7) Trés Ephremi Syri Sermones adhuc inediti, e versione Slavonica translati. 8) De perpetuo Græcæ & Latinæ Ecclesiæ dissensu ex Græcorum scriptis, imprimis Ruthenorum Libr. Symb. contra Leon. Allatum. Tribus reliquis, nempe 1) Theologiæ gentilis Cimbricæ purioris compendio; 2) Centuria Epist. Select. inedit. Jo. Georg. Grævii, Ant. Majoragi &c. 3) Vita Jo. Hevelii, Mathematici, ad istud quidem argumentum haut comparatis, & in aliis doctrinæ & literaturæ partibus se versatum esse Cl. Autor probaturus est.

Sed ad præsens specimen nobis redeundum, ex eoque pro instituto nostro aliquid delibandum est, ut constare possit, tum quid in hoc ipso præstiterit Cl. Kobliur, tum quoque quid de reliquis ejusdem promissis sperandum sit. Ut autem ipse jam titulus indicium fecit, duobus libris hic præsens labor absolvitur. *Primus Liber* historiam Codicis sacri in Slavonicam linguam conversi exhibet, quæ III Capitibus constat. *Cap. I* ipsum Codicem Slavonicum nobis describit, cujus binas tantum editio-

nes; *Ostroviensem* nempe seu Ostrogiensem A. 1581 & *Moscuensem* A. 1663 utramque in fol. impressam haberi, §. 2 perhibetur; atque *Ostroviensem* quidem illam Sereniss. Wolhianæ Principis Constantinæ, cujus merita §. 3 celebrantur, hanc vero Moscuensem, auspiciis Michaelovizii (Alexii), Magni Russorum Ducis, deberi §. seqq. traditur: ubi sic ferente occasione multa egregie observata de Bibliorum aliorumque librorum typis exscriptorum in Russia defectu, ejusque defectus causa, ac quomodo illum expedita describentium opera sarcire soleant, porro etiam de tempore, quo ars typographica Ruthenis innotuerit, penesque eos in usu & precio esse cœperit, scite subjiciuntur. Posthæc §. 7 ad Versionis editionisque Ostroviensis descriptionem; licet eandem se hucusque non vidisse fateatur Autor, devolvitur; deque ejus autore, titulo, &c. præeunte *Llango* aliisque præcipit; quod ipsum & in sequentibus de editione Moscuensi ad finem usque hujus Cap. præstat: cum autem hanc ipsam suis oculis usurpare Autori datum sit, curatorem ejus recensum hic subjicit: sic namque titulum codicis integrum caractere Slavonico æri incisum ad p. 27 eundemque literis ac sermone latino redditum exhibet, traditque varia ad formam ejus externam decoremque designandum pertinentia, præcipue autem ordinem ac seriem librorum tum V. tum N. T. §. 9 & sq. designat, nec denique omittit, quæ de argumentis unicuique S. Codicis libro præmissis ac aliis etiam in calce de indice lectionum in Ecclesia habendarum observare licuit. Ut aliquid ex annotationibus etiam, quas Autor singulis fere paginis copiose subjicit, afferamus, p. 29 occurrit, quod in titulo Codicis superne hæ lingua Slavonica legantur voces: *Tzar Slawi*, h. e. Rex gloriæ, quo Christum Servatorem nostrum denotari observat Autor, ac usum vocis *Tzar* vel *Czar*, quæ Slavonica lingua proprie Regem significet, testimonio Nicol. Heinsii declarat, ex epistola hucusque inedita ad Joach. Pastorium ab Hirtenberg A. 1671 Holmia Suecorum scripta, quam proinde integram exhibet, eique aliam ejusdem Heinsii ad Jo. Pet. Titium, Gedanens. in qua & suæ in Russiam profectiois meminit, eodem loco subjungit, in nonnulla durius in gentem Russorum abs Heinsio dicta simul animadvertens.

Cap II

Cap. II in primum Slavonicæ Bibliorum versionis Autorem inquirere pergit *Kobliur*, ac in hac quidem quæstione tres statim inter se dissentientes familias observat §. 1. Esse namque, qui D. Hieronymo, Stridonensi, eam tribuant; aliis ad Methodium, Cyrillumque eam referentibus; aliis denique rem in incerto ac dubio relinquentibus. Priorem sententiam pluribus argumentis refellit Autor, quæ inter hæc postremum nobis creditur, quando §. 3 p. 74 sqq. S. Hieronymum Slavonicam istam linguam, versioni huic adhibitam, ne quidem calluisse ipsum, iudicii quibusdam hæc levibus comprobat, quod tale omnino est, ut Pontificiis vanitatem hujus suæ persuasionis facile commonstrare debeat, nisi causæ suæ mallent servire, ut indulgentias istas Papales de sacris Bibliis in vernacula sua legendis a Nicolao vel Johanne VIII Pontificibus R. genti Slavicæ datis, hoc novo quodam figmento sive excusent sive communiant, S. Hieronymum perhibentes, qui & Slavonicæ hujus æque ac Vulgaræ suæ Versionis autor sit: quem hujus erroris fontem pluribus & detegit & destruit Autor §. 6. Sequentibus autem §. 7 & 8 hæc ad illorum, qui in hac quæstione ad τὸ ἐπέχει confugiunt, partes sibi secedere opus esse censet Autor, sed Cyrillum & Methodium, solos Versionis hujus Slavonicæ autores determinat, & liquido confirmare nititur; horumque fratrum germanorum, præcipuorumque doctorum ac Slavonicæ gentis velut Apostolorum vitam e melioribus fontibus depromptam subjicit. Ac ita hujus capituli præcipua quidem argumenta exhibere datum est, sed occurrit insignis iterum observationum farrago, quibus dicta sua passim Autor illustrat atque confirmat, qualia sunt, quæ de patria D. Hieronymi Stridone, de autoribus, qui inter ipsos nostrates in sententiam illam de Hieronymo versionis Slavonicæ autore se traduci passi sint, de diversitate characteris Cyrillici & Glagolitici in lingua Slavonicæ, nec sibi met ipsi satis expedita, erudite subinde disputat. Illud etiam hic repetiisse juvat, quod Autor p. 102 perhibet, se duos priores Tomos *Annal. Baronii* in Slavonicam linguam conversos, luculenterque typis impressos, Petropoli vidisse, quod observatum nemini adhuc meminimus, atque adeo Versionum

Baro-

Baronianarum notitiæ, quam dedit Cel. *Jo. Alb. Fabricius Biblioth. Græc.* Vol. XII p. 167, addendum esse censemus.

Cap. III Autor de Versione Slavonica ipsa, variisque rebus ad Codicem S. Slavonicum pertinentibus, adhuc tradit. Primum hic in quæstionem veit, quosnam fontes in transferendo Codice interpretes secuti sint; ubi quoad V. T. ex LXX Versione, quoad N. T. autem ex ipso Græco fonte originali adornatam esse versionem Slavonicam, §. 1 contenditur. Judicium pretiumque huic Versioni statuendum haut melius decernere liceret Auctori, quam si tum ex V. tum N. T. Specimen aliquod exhibeat, hoc ipsum §. 3 & 4 præstat. Quo facto illi tandem restare visum est, ut de aliis etiam quibusdam dialecti Slavonicæ SS. versionibus & editionibus traderet; quocirca §. 5 meminit istius editionis Bibliorum, quæ Wittebergæ 1584, in sol. prodire, non quidem lingua, dialecto tamen Slavonica, cujusmodi sunt Bohemica, Wendica, &c. hic autem caractere Latino reddita; hujusque autores *M. Dalmatinum* & *Prim. Truberum*, tum ex his tum aliis suis copatibus describit, atque etiam de hujusmodi editione in Bibliis polyglottis *El. Hutteri* itemque *Jo. de la Haye*, sibi non quidem visis, aliqua moeret. De recentissimis vero in Ruthenicam linguam vulgarem, quæ & ipsa Slavonicæ illius dialectus est, ab *Ernesto Glückio* aliisque forte tentatis versionibus, & quam *Gloriosissimus Petrus I.* in animo habuerit, editione Amstelodamensi §. 6 edocemur, hisce quidem destinatis eventum nondum hucusque respondisse. Peculiares tamen Novi Pæderis librorum, itemque *Plasterii* editiones, easdemque tam ex superiori quam nostro tempore non unas haberi §. 7 & sq. traditur, quarum æque ac Codd. Mstorum aliquot recensio subjungitur. Tandemque falli in eo nonnullos §. 9 demonstratur, qui sibi & aliis voluere persuasum, quod longe vilius sit pretium, quod Vet. Test. præ novi fæderis libris ab Ecclesia Ruthena statuatur.

Sic Libro I ex superiori quidem destinatione finito, *appendix* tamen ad eundem accedit, addenda quædam & corrigenda in superius traditis *Cap. I §. 7* de Codice Ostroviensi potissimum sufficiens. Exemplum namque aliquod ipsius hujus codicis, quo

quo hucusque caruerat Autor, ex insigni *Fabricii* Hamburgens. apparatus librario benevole secum communicatum accepit, ejusque usum in rem plane convertit suam, cum sane multa sint, quibus ea, quæ de hac editione supra tradiderat, augere, quia & emendare debuerit, ut proinde nobis cum autore optandum foret, ut hoc thesauro, paulo serius reperto, ipsi statim ab initio frui licuisset. Fuere tamen & alia, quibus hic supplementa sufficit *Kobliur*, meminitque Bibliorum, in aliam quoque dialectum Slavonicam, Polonorum nempe linguam vernaculam, auspiciis tum Principis Radzevilii, tum Henr. Strobandi, Thorun. Consulis, transfundi vulgarique curatorum, quorum exempla tamen coempta ex adversariorum malitia Vulcano tradenda fuerint; cujus rei notitiam e Stephani Hane memoria seculari translationis Bibl. Lutheri Rostoch. 1643, in 8 edita, libello rarius obvio, hausisse se fatetur Autor p. 201 sq. De *Glückii* etiam supra laudati exacta linguæ Rutheno-Slavonicæ notitia egregia sunt specimina, quæ p. 214 sq. ex cantionibus Lutheranorum subicit, quas tam feliciter vertit, ut verbum verbo respondeat, imo & rhythmici & canendi modus plane conveniat.

Libro II alterum, quod sibi sumsit argumentum, historiam nempe Versionum *Ephremi Syri*, inprimisque Slavonicæ, Autor studio haut minori atque accuratone persequitur. Occurrit autem hic *Cap. I* luculenta de varis operum Ephremi Syri versionibus tractatio, qua §. 2 ostenditur, scripta Ephremi in Syriaca primum authentica lingua esse consignata, ex qua teste §. 3 sqq. in Græcam, Latinam, Arabicam, Æthiopicam, Gallicam & Germanicam linguam, quas habemus, ejusdem versiones tanquam ex primo fonte profluxerint: quem egregium sane literariæ notitiæ apparatus in tot inter se comparatis ac diligenter expositis editionibus & versionibus dixeris, qualem de Ephremo nullibi eodem loco reperire licebit. Eadem autem industria in *Cap. II* hujus libri versatur Autor, quod ipsi Slavonicæ versionis Ephremi Syri curatius describendæ destinatum est. Sistitur autem §. 1 titulus ejusdem ex editione novissima 1701 in fol. eaque omnium, quotquot apud Ruthenos Autori videre contigit, excusorum librorum splendidissima, cujus & rei causas

rationesque reddere satagit §. 3. postquam diligentem collationem opusculorum seu Sermonum Ephremianorum in hac & aliis ejusdem Operum versionibus & editionibus repertiundorum, æque ac enumerationem singulorum, initio Latinis atque Slavonicis verbis adscripto, §. 2. instituisset: qua etiam re confecta rationes ita subducit, inique calculum, ut quinque omnino sermones Ephremi in Slavonico Codice sibi repertos esse contendat, quorum nec vola nec vestigium in Græcis & Latinis plenioribus alioquin editionibus occurrat; de quibus ut *Cap. III* juxta eum disquisitione de falsitate testamenti Ephremiani Sermones duos in causa S. Cœnæ, eosdemque fidei Latheranæ testes & vindices, primum in Lucem protraxit, ita qui supra n. 7 inter promissa Autoris relati sunt tres reliqui, iidem ipsi sunt, quos ex eadem sua translatione expectare jussi sumus.

Atque hæc speciminis loco e præsentis labore Kohliano sufficient, qui justo forte diutius nos detinuit, quod efficere facile potuit argumenti raritas, quæ & omnium cordatorum veniam merebitur, sicubi forte nec sibi nec aliis etiam ubique ex asse satisfacere potuit Cl. Autor; quod tamen in continuandis suis ejusdem rei conatibus, quemadmodum & in præsentis jant fecisse perhibuimus, emendaturus, correcturus ac magis magisque perpoliturus est.

JO. GEORGII WALCHII HISTORIA CRITICA
Latinae linguæ; Editio nova multis accessionibus auctior.

Lipsiæ, sumtu Jo. Friderici Gleditschii B. Filii, 1729, 8.

Alph. 2 pl. II.

TAM singularem atque accuratam industriam S. R. Autor, Collega noster honoratissimus, in adornanda nova editione libri hujus collocavit, ut haud quidquam fere prætermiserit, quod ad historiam Latinæ linguæ ejusque culturam spectat. Cum primum prodiret, summam illius in *Actis* nostris 1716 Mense Septembr. indicavimus. Quid nunc sit præstitum, iidem significare ac recensere deceat. Insignes vero factæ sunt accessiones, adeo

adeo ut nunc singula illius capita appareant auctiora. In primo, quod de *origine & sativitate Latinae linguae* exponit, Cl. Autor inter alia adjecit observationes de Latinitate eum Ecclesiae Patrum, tum veterum Jureconsultorum. De illa, quam nimirum antiquioris ecclesiae doctores adhibuerunt, cum differit, non solum ipsam illorum Latinitatem, sed speciatim quoque eloquentiam illustrat atque ostendit, quomodo per ejus abusionem haeresium atque variorum errorum dederint occasionem. De Latinitate veterum Jureconsultorum, eaque, quae in Digestis est, ita agit, ut diversa eruditorum judicia de illa recenscat ac quid hac de re sit disputatum, inemoret; his autem dictis, mediam sententiam, quae huic Latinitati nec nimium, nec parum tribuit, commendat. Disputat quoque adversus Polycarpum Lyserum, qui pro barbarie aetatis mediae scripsit. Capite secundo, quo Autor tractat de *stili cultoris Romani ratione*, in hac editione praecipit de argutiis atque acutis loquendi formulis, quas sobrie ac parce a cultoribus verae atque antiquae latinitatis usurpandas esse, monet, hocque exemplis ipsorum veterum scriptorum probat. Quibus auxit caput tertium de *praesantia Latinae linguae istamque discendi ratione*, observationes praecipue pertinent ad controversiam de linguae hujus excellentia agitam, cujus instituit enarrationem, quomodo in Italia dimicaverint eruditi inter se, num lingua Latina, an Etrusca in libris scribendis sit praefenda ac quomodo linguae Latinae alii nimium, alii vero parum tribuerint. Quid in hac sententiarum diversitate sit statuendum, simpli declarat. In primis illa capita, quae in se continent historiam grammaticarum ac lexicorum Latinorum, auctiora invenimus. In isto enim, quod agit de *Grammaticis Latinis*, inter alia uberius differit de literis ac pronuntiatione Romanorum deque scriptoribus, qui hanc grammaticae partem illustrarunt: itemque de orthographia Romana, cujus historiam copiose tradidit, adeo ut quid inter philologos ac criticos de fundamento recto ac solido hujus orthographiae, de scriptura vocum quarundam, de signis distinctionis atque apicibus fuerit disputatum, memoraverit. Quod sequitur caput idque quintum de *Lexicis Latinis*, exhibet nobis pleniorum recensioem illorum, qui scripserunt le-

p. 102.

109.

123.

154.

202.

215.

283.

289.

P. 357.

646.

723.

301.

xica etymologica, nomenclatores, glossaria Latina, lexica philosophica: qui exposuerunt de castitate, copia, particulis, proverbiiis Latine linguæ. Videmus quoque caput de *lectione scriptorum recentiorum* maxime auctum. Namque cum Autor in isto laudat, qui recentiori ætate cultiori stilo Latino excellunt inter Italos, Lusitanos atque Hispanos, Gallos, Anglos, Danos, Huagaros, Belgas ac Germanos, nunc fusius edisseruit de illorum Latinitate, stilo, scriptis, quæ præcipue sint legenda, variaque de istis eruditorum virorum judicia adjecit. Idem dicendum est de eo capite, quod de *imitatione* agit. Hic enim Autor historiam doctrinæ de imitatione addidit, eo ordine, ut primum ostendatur, quomodo veteres Romani Græcos autores sint imitati; deinde agatur de Ciceronianis ac controversiæ, quæ de illis fuerunt agitata, recenseantur, ubi præcipue multa occurrunt de Erasmi Ciceroniano; tum autem commemorentur scriptores, qui partim de imitatione generatim; partim de Ciceronis imitatione speciatim exposuerunt.

At verò non solum hæc præstitit Autor; sed etiam duo nova capita adjecit, quæ in priore editione haud exstant. Alterum est de *Criticis Latinis*. Hic explicato critici nomine ac declarata artis criticæ indole, recensentur scriptores, qui de hac arte præceperunt, ac monstratur, quomodo iustum pretium arti huic sit statuendum. Qualis sit illius abusus, diserte Autor noster ostendit, ac memorat scriptores, qui ineptos criticos perstrinxerunt. His dictis, confert se ad historiam artis criticæ illustrandam: laudat eos, qui de re critica veterum disernerunt, ac speciatim de codicibus manuscriptis cognoscendis ac dijudicandis egerunt: explicat occasionem atque originem artis hujus: distincte illustrat veterum criticorum munera, quomodo primum libros falsos a genuinis discernere; deinde glossemata reuovere atque in textu integro conservando elaborare; tum loca corrupta emendare, illorum fuerit officium. Dissertit quoque de veterum criticorum potis, sive signis, quæ ad marginem codicum scribebant atque ipsos criticos Græcos ac Latinos, qui ævo antiquiori floruerunt, memorat. Præcipue tamen S. R. Autor noster multa habet de criticis latinis recentioribus, qui Romanos veteres scriptores

ptores emendarunt atque ediderunt *miscellanea, adversaria, varias, novar, suspectas lectiones, libros emendationum, versimilium, quæstiones, observationes.* Ante omnes nominat G. craterum atque instituit accuratam recensionem eorum librorum, qui in ejus *Thesauro Critico* continentur. Deinde progreditur ad eos criticorum libros recensendos, qui in Græteri *Thesauro* non extant; aut post illum in publicam lucem prodierunt, ita ut non solum ipsos hujusmodi libros memoret, sed etiam de illis quid judicandum sit, ostendat. Nonnulli epistolas criticas ediderunt; aut observationibus criticis jus Romanum civile illustrarunt, quos itidem Autor noster recenset. Alterum caput, quod in hac editione novum est, exponit, de *variis stili cultioris exercitiis atque argumentis.* In hoc Autor primam disserit de variis stili exercitiis; nimirum de variatione, versione, carminis solutione, stili mutatione atque emendatione; deinde de diversis orationis generibus atque argumentis, de conscribendis quippe historiis, epistolis, orationibus, dialogis, inscriptionibus, programmatibus, disputationibus, libris Theologorum, Jureconsultorum, Medicorum ac Philosophorum. In quovis scribendi genere commendat optimos scriptores, qui sunt imitandi. Singularem igitur dignitatem hæc nova editio præ priore habet, quæ clarissime ostendit, Cl. Autorem nostrum haud quidquam prætermisisse; quod ad istam ornandam aliquid afferre potuit.

p. 762.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI
Pœcile. Tomi III Liber II.

Halæ, in officina Rengeriana, 1729, 8.

Plag. 10.

Primam hujus libri epistolam, qua is dedicatur Illustrissimo *Wrisbergio*, sequitur altera de sepulchris supposititiis; qua disseritur de fictitiis tumulis Ciceronis & filie ejus, Ovidii, Virgilii, Aristotelis, Diogenis Cynici, Sibyllæ Zuicaviensis, Petronellæ, Mosis: & hinc erroris arguuntur, qui nuper vel S. Augustini tumulum Ticini, vel T. Flavii Clementis, martyris, ossa Romæ, sibi reperisse visi sunt. Vid. *Acta* hæc nostra A. 1728 p. 273. *Tertia Epistola* Cl. Autor defendit contra antagonistas

Ttt 3

duos

duos Dissertationem suam, qua inter fabulas adscripserat vulgarem narrationem de Friderici Sapientis, Electoris Saxonie, somnio prophético. Judicat scilicet, argumentum suum, a silentio æqualium scriptorum iustis limitibus circumscripto ductum, majus esse quavis exceptione: ideoque non solum novos tetes tacitos producit, sed etiam duos nostræ Ecclesiæ Theologos laudat, J. H. Majum, & C. E. Weismannum, quorum ille in *Historia Reformationis Lutheri*, hic in *Historia sua Ecclesiastica* mentione istius somnii abstinerit. Hinc ad eos refellendos, qui Zuinglium priorum Lutheri descendisse contendunt in arenam cum Romano Pontifice, clarissima producit loca Zuinglii, quibus ipse Lutheri principem inter reformatores Ecclesiæ tribuit locum. *Quarta* Epistola exponuntur illa Evangelii Joannei *Cap. I, 9* verba: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Hic non solum iis subscribitur, qui vocem ἐρχόμενον capiunt in casu Nominativo, & cum præcedenti φῶς conjunctionem volunt; sed & de verbo φωτίζει duo observantur. Primo igitur docetur, Præsens illud hic positum esse pro Imperfecto; deinde, illustrabat dictum esse pro illustrare studebat. Utrumque tum aliorum autorum similibus locis, tum maxime consuetudine loquendi Joannea confirmatur. *Quinta* Theophili, Antiocheni Episcopi, liber secundus cum illustratur, tum pluribus mendis liberatur. Ex magno emendationum numero unam e p. 210 exhibere placet, qua pro φιλομαθεῖν, quod nec proximo editori, Rev. Wolfio, se probavit, scribere jubemur φιλομυθεῖν, hoc est, libenter colloqui. Qua occasione tritum illud Aristotelis: φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος πῶς ἐστίν, quod vulgo sic redditur: *Amator fabularum est philosophus*; ita accipiendum esse contenditur: *Philosophus, hoc est, amator eruditionis, amare debet colloquia, & inde materiam capere tum admirationis, tum indagationis causarum.* *Sexta* Epistola primo exhibet emendationes aliquot libri laudatissimi Thomæ a Kempis *de imitatione Christi*: deinde Cl. Autoris sententiam, qua *Symposium poetam* transmavit in *Symposium Laurentii*, corroborat assensu Clarissimorum acutissimorumque Virorum, *Havercampi, Krausii, Schelhornii, Hasai, Wattoni, Beyschlagii*, triumque anonymorum: tum ejusdem interpretationem nominis Biblici *Cobeleth* fulcit autoritate B. Danzii: hinc

verbis Festi ad Apostolum *Actor. XXVI, 24: Insanis, Paule*, molliorem sensum asserit: postremo sententiam ejus *de titulo Joannis Theologi*, hisce in *Actis T. VI Supplem. p. 170sqq.* propolitans, defendit contra Cl. Lampium. *Septima* carmen *de passione Domini*, quod inter Lactantii Opera exstat, singulari diligentia tum illustratum, tum emendatum, repræsentatur, idque non esse a Lactantio compositum, pluribus argumentis conficitur. Ultimo quoque loco docetur, *fragmentum de novissimis* perperam tribui eidem Lactantio, cum totum legatur in Augustini *de Civit. Dei lib. XX cap. ult. Octava epistola* Cl. Autor primo ostendit, Contrariam distinctionem *Juris peritiana* a *Juris prudentia* repugnare usui Latini sermonis: deinde eruit natales nominum, quæ gerunt nummi Germanici: tum judicium fert *de Prudentii carminibus*, *de Rodolphi Agricole* libris *de inventione Dialectica*, *de Sturmii lingue Latinae resolvendæ ratione*, *de Rol. Maretti Epistolis philologicis*, *de Lipsii Commentario ad Tacitum*, *de Germanica versione Taciti de moribus Germanorum*, & *de Symmachi Epistolis*. Nono loco exhibentur *Electa* ex epistolis ad *Bæclerum*, *Wilhelmi Forstneri*, *Christophori Forstneri*, *Colberti*, (Supremi Galliarum Regis ministri,) & *Joan. Helvici Sinoldi Schuzii*. *Decima* Dissertatio illustrat titulum Angliarum Regum, quo *Defensores Fidei* appellantur. *Undecima* elogium continet defuncti non ita pridem *Georgii I* Regis Magnæ Britanniarum. *Duodecima* *virga Aaronis* consideratur, erroresque plurium interpretum notantur, ac simul *Tavernierii* mendacium eoarguitur, in Itinerario suo scribentis, se in India vidisse circulatorem quempiam ea arte præditum, ut quodvis lignum utcumque aridum extemplo converteret in viridem ac florentem arborem, eamque pomis cujuscumque generis instructam. *Decima tertia* Cl. Autor contemplatur *auroram Musis amicam Constantinopoli nuper ortam*, cum *Vizirius* magnus artem typographicam feliciter introduxit non solum in urbem Constantinopolim, sed in ipsum Imperatoris palatium: qua occasione fata literarum inter Turcæ paucis persequitur. *Ultima* dicata est *orationis Latinae idiotismis* sive *Latinitati plebejæ avi Ciceroniani*. Hic exhibetur breve specimen cum *Grammaticæ Latinitatis plebejæ*, tum *Lexici hujus ejusdem Latinitatis*: e quo pro brevitate nostra unum excerpimus vocabulum *impræ-*

sentiarum, quod e Romanis verbis non ejiciendum penitus, sed tamen in censum vocum plebejarum referendum esse, Cl. Autoris est sententia.

TWO ORIGINAL JOURNALS OF SIR

Richard Granville &c.

i. e.

*BINÆ RELATIONES AUTHENTICÆ, DE
expeditione Anglorum Gaditana, 1625, ut & altera in
Insulam Rheam suscepta anno 1627.*

Londini, apud Joh. Clarcke, 1727, 8.

Plag. 6½.

UTramque harum expeditionum eventum habuisse infelicem & ingloriam, satis constat; verum de causa tam adversi successus alii- que rei gestæ momentis, nondum omnia hædenus fuere compertâ : ut adeo bene consuluerit publico Cl. *Georgius Granvilius Lansdowni* Dominus, quod scripta hæc authentica nactus, ea publici juris facere non dubitavit. Exhibet vero prima pars hujus collectionis primo loco scriptum, quo Comes Essexiæ & quidam Præfeti illius exercitus culpam omnem in ignorantiam rei bellicæ & imprudentiam Vice-Comitis Wimbledonii, ex gente Marshallia, qui toti expeditioni dux præfectus fuerat, conjiciunt, eumque accusant, quod naves Hispanicas, quæ in anchoris stabant, oppugnare neglexit, & milites absque commeatu in continentem exposuit, unde fame cogente, re infecta in naves se non sine summo discrimine recipere coacti fuerint. Sequitur Apologia, qua is omnem culpam a se amolitur, & potius rejicit in ipsos accusatores, qui, quod ægre ipsum ferrent sibi præpositum, recte ab ipso mandata vel plane non vel male executi fuerint, nec, quod officium ipsorum fuerit, præstiterint, vel ex ingenio & peritia in iis, quæ prolixis verbis ab ipso præcipi non poterant, consilium ceperint. Altera Pars continet diarium eorum, quæ expeditione in Insulam Rheam gesta sunt, unde intelligitur, Anglos excensione facta & Gallicis copiis repulsis, primariam Insulæ urbem facile intrasse; at vero in Castelli obsidione rem lente processisse, quod esset illud admodum munitum, datumque adeo Gallis spatium undique collectis copiis advolandi. Etsi itaque mature & iteratis vicibus de solvenda obsidione consilium dedissent Præfeti reliqui, Ducem tamen Buchinghamum, qui summæ rei præerat, diu tergiversatum, cum nihilominus tandem necessitati cedere & receptui canere cogeretur, ingens detrimentum passum, magnamque suorum numerum amisisse. Immo adjicitur in appendice, Ducem paulo ante receptum hunc in consilio factum, se experientia bellica destitui, adeoque Chiliarcho cuidam ætate potius quam consilio reliquos præstanti curam abitus & imperium omne permisisse.



A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXIX.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB
Anno *Æræ Christianæ* D ad MD. LUDOVICUS AN-
TONIUS MURATORIUS, *Sereniss. Ducis Muti-
næ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præ-
sationibus auxit.*

Tomus XIII.

Mediolani, ex Typogr. Societatis Palatinæ, 1728, fol.

Alph. 7 pl. 10.

Primam & potissimam hujus Tomi partem constituit *Jo-
hannis Villani*, Florentini, *Historia universalis* a condi-
ta Florentia usque ad A. 1348 Italice scripta. Fuit Autor
civis Florentinus, vir dexter & prudens, qui Justitiæ Priorem
Reipubl. egit, Patri in eo munere A. 1317 susceptus, sed Guelphi-
cis partibus, ut e rebus Friderici II Imp. patet, addictior; &
præterea in originibus Florentiæ describendis fabulosus, nec in
ceteris, quæ ab ipsius ætate remotiora erant, a fabulis abstinens.
Majorem tamen diligentiam in rebus suo tempore passim in
Europa gestis describendis adhibuit, & eo majori laude dignus
est, quod Tuscum sermonem, qualis illo ævo fuit, satis purum
sectatur, eoque ipso non exiguæ autoritatis est apud Vocabularii
Florentini Autores celeberrimos. Et delituit quidem hoc Opus
per ducentos fere annos, donec Florentiæ primum A. 1537 apud
Jac. Fasolum, nec emendate quidem, nec integre, postea vero
apud Juntas duobus libris auctum passimque emendatum & no-
tulis quibusdam Remigii Nannini ornatum A. 1559 ac tertio apud

U u u

eosdem

eosdem 1587 prodit. Hunc ergo Scriptorem cum omnino dignum censuisset Celeb. Editor, quem Collectioni huic inferret, etsi de rebus exteris non minus, quam de Italia sollicitus fuerit, opportunè Vir Ampliss. *Jo. Bapt. Recanatius*, Patritius Vene- tus, edita Poggii Florentini Historia notissimus, Nostro suppeditavit Codicem MSptum ingentis molis, chartaceum, sed ex ea crassa papyro compactum, quæ ante aliquot sæcula in usu fuit, quem ex characterum forma aliisque indiciis ipso Autoris ævo scriptum judicans Cl. *Muratorius*, accurate contulit, ejusque ope plurima sphalmata & errata feliciter sustulit, imo aliquando totum Caput, in impressis prætermissum, adscripsit. Ceterum bene idem observat, *Villanum* sæpe sequi vestigia Ricordani Malaspinae, quamvis eum nunquam nominet. Sequitur a *Bartholomæi de Neocastro*, Jcti Messanenensis, olim Fisci Patroni in Regno Siciliae & pro Jacobo Aragoniae & Siciliae Rege apud Honorium IV Pont. Max. Oratoris, *Historia Sicula* a morte Friderici II Imp. h. e. ab A. 1250 ad 1294 deducta, quæ, ut fertur, in arcula plumbea sub altari quodam Messanenensi reperta, nunc demum beneficio Pauli Agliati, Jcti Messanenensis, qui & Præfationem addidit, in lucem prodit. Observat Cl. *Muratorius*, Autorem spectatissimum gravissima bella, quæ ipse spectavit, singulari candore, quantus quidem ab homine Aragonensibus dedito expectari potest, describere in usum Filiorum ac civium suorum, cumque historiam hanc carmine primo exposuisset, eam deinde in solutum sermonem transfudisse, unde factum, ut tot passim hemistichia occurrant. Disquirat etiam, num ea re vera debeat in titulo memorato, & quædam, quæ aperte veritati repugnant, ab alio Autore infarta fuisse censet. Ceterum non negat, stylum asperitatis nonnihil & tenebrarum continere, hominesque longis sermonibus indulgentes non rare in hac historia introduci: quam tamen tolerandam licentiam vocat, quod ejusmodi colloquia vivaciorem rerum picturam efficiant & minutis veluti coloribus animos hominum, eorumque mores & arcana consilia efficacius exprimant. Obiter quoque e Præfatione Nostri observamus, superiori anno 1728 Peloritani Messanenium Academiam Academiae Dis-

sonan-

sonantium Mutinensi perpetuo foedere atque amicitia se junxisse. Succedit *3 Matthæi Palmerii*, Florentini, *de vita & rebus gestis Nicolai Acciajoli*, Florentini, Magni Apuliæ Senescalli, ab A. 1310, quo natus, ad A. 1366, quo mortuus, Commentarius; qui Italice quidem conversus jam a Donato Acciajolo A. 1588 Florentiæ editus prostat, nunc vero primum Latine, uti ab Autore compositus fuit, e Bibliotheca Petri Polydori Nerritini, qui & alias hanc Collectionem ornavit, prodit. Notat vero Noster, magni hominis Virum Angelum Constantium in historia Neapolitana hoc Opusculo bene usum, ad illustrandum Regnum Johannæ I ejusque mariti Ludovici Tarentini. Claudunt huic Tomum 4 *Conforti Pulicis*, Vicentini, *Annalium Patriæ Fragmenta* ab A. 1371 ad A. 1387. Hæc Noster ab Apostolo Zeno, Poeta & Historiographo Cæsareo nactus invidere noluit eruditus, dolens tamen, integrum librum nondum in manus suas incidisse. Ceterum Vossium in *Historic. Lat. in Præfatione præmissa* non uno loco corrigit, & Autorem Caroli IV, in cujus adventum in Italiam Carmine luserat, tempore vixisse probat, nec lectu injucundum eum credit, quamvis publicis rebus domestica multa, quæ minoris usus sunt, admiscuerit.

COMMENTATIO DE HONORATISSIMO
Ordine militari de Balneo, cujus origo, progressus, restauratio, regularis forma, summaque dignitas exponuntur, ut & honoratissimorum equitum, variis istorum Indici appositis Tabulis, Nomina, Tituli, & insignia æri incisa, exhibentur. Accedunt statuta idioma Anglico & Latine versa opera JUSTI CHRISTOPH. DITHMARI, Juris Natur. & Gent. Histor. atque Oeconomico-Cameralium in Academia Regia Viadr. Prof. Publ. Societ. Scient. Berol. Soc.

Francof. ad Mœn. & Lipsiæ, apud Jo. Godofr. Conradi, 1729, fol.

Alph. 1 pl. 10 Tabb. 21. 10 $\frac{1}{2}$.

Agressus est Autor eundem laborem, quo hætenus *Ansistus*

Uuu 2 -

An-

Anglus iaciaruit: ita tamen, ut hujus Viri Generosissimi humanitate, & ipsius Magni Magistri Ordinis de Balneo, Joannis Ducis de Montagu favore, invitatum se ad hunc laborem suscipiendum in Operis limine confiteatur. Orditur Commentationem istam sollicita natalium, quos generatim habet Ordo equestris, investigatione, hosque a Germanis arcessit: maxime a Cattis, quos eo nomine Tacitum invenisse laudatorem animadvertit. Habuit autem Cattorum gens, ut probat Cl. Autor, successu temporis imitatores & Saxones & Francos. Saxones autem primum Ordinem equestrem in Britanniam intulere. Qua occasione *Rotunda Tabula* Ordo, quem Arturus Anglorum Rex sæculo VI constituisse dicitur, tanquam fabulosus rejicitur. Ubi autem ordinis ipsius equestris de Balneo, qui tantum Angliæ Heroum est ornamentum, primordia tangit, ea cum Anlisis supra laudato inde a Regum in Anglia Saxoniorum tempore repetit; atque novis argumentis evincit, eum ante Henricum IV & Richardum II, maxime Alfredi tempore sæculo IX, in usu fuisse. Quibus argumentis omnino superasse videtur Andream Mendonem aliosque, qui hujus Ordinis quondam mentionem injecerunt. Sunt autem a similitudine cerimoniarum, quibus ab antiquo nobilissimi quique ex Anglorum juventute in numerum militum adsciscabantur; desumpta: & licet in iisdem cerimoniis nulla fiat Balnei mentio; eo tamen ipso simul nos fuisse recentes milites Autori nostro longe verisimillimum videtur. Ab ætate itaque Alfredi, qui nepotem suum Æthelstanum in Ordinem militare recepit, auspiciatus, sententiam suam imprimis Herwardi, Wilhelmi II, atque Godofredi, quem Plantageneticæ familiæ parentem agnoscit, exemplis confirmat, idque vel ideo maxime, quod in Godofredi cerimoniis etiam balneum & jusjurandum a scriptoribus memoretur adhibitum. Inde solum per Henrici II, Johannis I, Eduardi I & II & III, & Richardi II, tempora ducit: simulque hunc Ordinem ea tempestate peculiarem & distinctum fuisse refert: licet nomine tantum communis Ordinis militaris venerit. Hæc quidem dubiis involuta tempora excipiunt Henrici IV longe clariora: ubi imprimis ex fide MSti, Anlisis memorati, equites ab Hen-

Henrico IV & V constitutos Ordinis de Balneo fuisse asseverat Autor. Quo vero latius in Lancastricæ & Eboracensis familiæ memoriam excurrit; eo clariore utique luce hunc Ordinem perfundit: cum reges ex his familiis orti in coronationis die Ordinis de Balneo observatores extiterint præcipui. In Tudorenfi vero familia quemadmodum id ipsum de Henrico VII & VIII atque Eduardo VI observat; ita quoque speciatim de Maria & Elisabetha refert, eas facultatem designatos candidatos in Ordinem de Balneo recipiendi Arundelliano Comiti dedisse. Quæ Ordinis ratio etiam ætate Jacobi I, Caroli I & II habita, tandem sub Regibus maxime Jacobo II, Wilhelmo III, atque Anna Regina plane fuit interrupta prorsusque neglecta. Igitur restitutorem & exornatorem honoratissimi Ordinis de Balneo, legibus suis nondum adeo circumscripti, Divum Georgium I, Angliæ Regem introduxit. Singularem quidem, quod Autori damus, studio omnem hujus Ordinis, qui tunc temporis autoritate Regis Angliæ in regularem abiit, modum & rationem exposuit. Incipit enim a summo moderatore laudati Ordinis, Rege scilicet ipso; inde ad Directorem progreditur, a Rege constitutum, nempe Magnum Magistrum, qui absentis Regis partes suscipere, & Ordinis sigillum custodire solet. Sequuntur insignia gentilitia elegantissime æri incisa, nec non nomina equitum: in quibus Wilhelmum Georgii II, qui Angliæ nunc temporis præest imperio, filium natu minorem, & præsentem Magnum Magistrum Joannem Ducem de Montagu, principe loco constitutos cernimus. Postquam deinde Armigerorum, a Gallis *Ecuyers* & Anglis *Esquiers* dictorum, nec non aliorum famulorum atque ministrorum officia erga hujus Ordinis Equites tractavit: requisita equitum, ut e. g. sint annis viginti uno majores, locupletes, optimo genere nati, & reliqua, adjecit. Laudat etiam data occasione tutelam M. Britannicæ Regum in Vasallos pupillos & minores. De tempore vero, quo equites creantur, monet, id belli nunquam, contra pacis tempore sæpius contigisse. Ubi porro ad Candidatos Ordinis de Balneo venit, quos inter præter Duces & Comites, Baneretti quoque & Baccalarii locum tenent: horum imprimis discrimen affert. Banerettos exillinat a voce

Germanica *Baner, Banier*, ortos, quasi vexillarios *minorès*, sive Barones minores, qui olim jus vexilli quadrati habuerint: Baccalarios vero cingulo militari sub vexillo Banerettorum meritos. De ritibus antiquis hujus Ordinis ut res omnis sit certior, chartam vetustam, ab Anselmo ad Henrici VI tempora relatum, affert, totamque Notis illustratam inserit: quæ egregie omnes ritus Gallico sermone exponit. Reperit etiam Autor ceremonias hæc in charta expositas iis maxime similes, quibus apud Hispanos, teste Seldeno, Gallos, autoritate Fresnæi, nec non Italos, ex relatione Francisci Redii, equites fuerunt initiati: ita tamen, ut ab Anglis primo fuerint petita. Quibus deductis longo ordine ceremonias hodie usitatas exponit; quæ vel præparatione vel ipsa inauguratione, profanis & sacris ritibus adhibitis, comprehenduntur. Ornamenta vero equitum, insignia tribus coronis distincta additis verbis: *Tria juncta in uno*, officia & jura, quæ nanciscuntur, suis paragraphis rite deduxit; nec non, quæ vitia eximere hoc Ordine equites possint, sollicitè commemoravit. Subjecta sunt huic Commentationi ipsa Ordinis de Balneo statuta: quæ instaurationem ac leges, duobus Supplementis auctas, complectuntur. Quibus statutis ex Anglico idiomate Latinitate donatis iis potissimum consuluit Autor, qui Anglorum ore loqui non didicerunt. Colophonis loco tandem una cum Indice rerum totius Operis, schema quoddam splendoris Operis, quod jam in Anglia paratur, atque inaugurationis hujus Ordinis de Balneo solemnitas atque ceremonias figuris æri incisis representabit, Anglice & Latine exhibuit.

DICTIONNAIRE DE LA LANGUE FRANÇOISE
Ancienne & Moderne de PIÉRRE RICHELET.

h. e.

PETRI RICHELETI DICTIONARIUM
Lingue Gallicæ veteris & moderne, multis novis Additionibus Historicis, Grammaticis, Criticis & Juridicis, ut & novo Compendio vitarum Auctorum toto Opere citatorum auctum.

Tomi III.

Tomii III.

Lugduni in Gallia, apud Marcellinum Duplain, 1728. fol.

Alph. 262.

Sæpius post primam editionem, quæ Genevæ 1630 in 4 prodiit, & auctius semper recusum est hoc Dictionarium tum in forma quarta, tum & in forma folii, Lugduni inprimis, quamvis Amstelodamum titulus præferret. Et pluriâ fere supplementa post mortem Autoris, quæ in A. 1698 incidit, accepisse videtur: certe in hac, quam sistimus, editione mire librum supplevit *Petrus Aubertus*, Jctus Lugdunensis, & humaniorum literarum adeo studiosus, ut inter primos Societati Lugdunensi, quæ A. 1725 sub nomine Academiæ Scientiarum & literarum elegantiorum a Rege confirmata est, nomen dederit, qui multa inprimis, quæ ad jus spectant, tum alia ad varias scientias, Mathesin quoque, spectantia addidit, quod ex signo manus, quod novas accessiones denotat, & in omnibus fere paginis comparat, patet. Etsi enim ipse in titulo libri nomen suum modeste omiserit, passus tamen est Vir doctus nonnulla de se memorari in præmissa libro Bibliotheca Autorum, qui passim in Opere memorantur, Opusculo pereleganti ac lectu admodum jucundo, quo vitæ recensentur celeberrimorum Gallorum, Lugdunensium maxime, (quibus tamen & pauci ex aliis gentibus accessere) qui quovis tempore vixerunt, & partim adhuc in vivis sunt: quod etsi in ultimis editionibus sub *Richéleti* nomine præmissum jam fuit, hic tamen pariter ab *Auberto* nostro insigniter auctum est, adeo ut *Morerius*, *Bæhus* & similes Biographi inde corrigi & suppleri non parum possint. Inter vivos, hic referuntur *Lud. Augustinus Alemand*, natus *Gratianopoli* 1653, *Jo. Barbeyrac*, natus d. 15 Mart. 1674 *Biterræ*, *Bauderon de Senecé*, natus *Matiscone* d. 28 Oct. 1643, *Sebastianus de Broslard*, Lexici *Musici*, quod *Parisi* 1703 prodiit, autor, *Augustinus Calmet*, natus d. 26 Febr. 1672, *Johannes Clericus*, natus *Genevæ* 1657, *Dominicus de Colonia*, nuperrimus *Historiæ Litterariæ* urbis *Lugdunensis* Autor, natus *Aquis Sextiis* d. 25 Aug. 1660, *Gabriel Daniel* n. *Rothomagi* 1649, *Bernardus de*
Fon-

Fontenelle, Guido Alexius Lobineau, n. apud Redones 1666, Bernardus de la Monnoye Divione d. 16 Jun. 1641 natus, Antonius Hondart de la Motte n. Parisiis d. 17 Jan. 1670, Hier. Joh. Pestalozzi, Medicus Lugdunensis, Musco, Bibliotheca, scriptis clarissimus, ac ipse Petrus Aubertus, natus Lugduni d. 9 Febr. 1642, cui hanc Bibliothecam magnam partem debemus. Passim etiam autores anonymos & pseudonymos detegit. Ita ex. gr. declarat, Richardum Simonein autorem esse libri de origine & progressu reddituum Eccles. sub Hieronymi Acoftæ nomine editi. Dum de Morerio agit, observat, ultimam Lexici Moreriani editionem, Parisiis 1725 sex Voluminibus in fol. editam, imprimis deberi Franc. Josepho de la Barre, Tornaci 1688 Mensæ Martio nato, qui Chronologiam & Historiam veterem, ut & Geographiam studiose emendandam sibi sumpserit. Genealogica vero Virum Cl. Vailly, Advocatum, curasse maxime, & præterea Laurentium Josse le Clerc librum quinquies vel sexies mille locis emendasse. Qua occasione ignorare Lectores nostros nolumus, Johannem Brandmüllerum, Typographum Basileensem, eandem editionem, aliquot centenis lemmatibus auctam, charta ad typo satis puro, pretio tamen ad quartam fere partem reducto, subscriptionis lege nunc recedere, spemque facere libri sub finem anni sequentis typis absolvendi. Ceterum, quæ Noster de libris *divorvmas* editis libro sedrsm intersperfit, quales sunt: *La Bible-Guyot; Catholicon d'Espagne; Mercure Galant; la Princesse de Cleves; le Roman de la Rose &c.* legi apud eundem omnino merentur.

Biblio, to je, zyle fivjate Pismo.

h.

CODEX INTEGRUS VETERIS ET NOVI
Testamenti, olim a MART. LUTHERO in Germanicam linguam, nunc a quibusdam Verbi divini Ministris in Dialectum Sorabicam Lusatiae superioris conversus.

Budissa.

Budissæ, sumtibus Davidis Richteri, Bibliopolæ, 1728, 4.

Alph. 10 pl. 19.

Codex Bibliorūm integer nūc primum in Sorabiam linguam translatus est, cum huc usque tantūm Novum Testamentum & Psalmi exstarent, quod inter beneficia, quæ Deus nōstrō seculo exhibet, est numerandum. Præfatio sermōne Getmanico & Sorabico conscripta est, prior prolixior est, & historica varia complectitur, posterior concisior, & in usum popularium aptata. Agitur autem post alia primo de versione Slavonica Primi Truberi & Georgii Dalmatini, tum de Polonice, Russicis & Bohemicis, quæ satis notæ sunt. Deindè dolent Auctores, Lusaciam, quæ Evangelium a Luthero repurgatum primis annis recepit, Codice Bibliorum vernaculo tam diu caruisse. Prima igitur laudatur liberalitas Illustris Matronæ Gersdorfia, ex Frisiorum gente progata, quæ A. 1703 Psalterium, & A. 1705 Novum Testamentum integrū a Mich. Fræncelio, Pastore Postwicensi, in linguam Sorabiam converti, suisque sumtibus imprimi, imo magnam exemplorum copiam templis, scholis & pauperibus gratis distribui curavit. Illi vero libri sic distracti sunt, ut difficulter comparari possint. Cum autem integer Codex a piis hominibus majorem in modum desideraretur, Quatuorviri Reverendi, Jo. Langius, Pastor Minakawensis, Mathæus Jekisch, Pastor Belskensis, Jo. Bohmerus, Past. Badeslezensis, & Jo. Wauerus, Past. Bukezensis, se huic negotio accinxerunt, totūm opus in quatuor parts distribuerunt, a se conversa Budissæ (in quam urbem propterea XLV vicibus conveniant) contulerunt, immo & alter alterius versionem domi quoque examini subiecit. Initium factum est d. 14 April. 1716, finis impositus d. 27 Sept. 1727. Accesserunt singulorum Capitūm summaria, loca parallela, nec non libri Apocryphi V. T.

De ipsa versione nihil jam dicimus; Lutherum enim presso pede secuti sunt. Duo tantum obiter monemus. *Matth. V, 22* inseruerunt voculam *ειρη*, quam Lutherus omiserat, & verterunt *beſ wine, sine causa. Coloss. III, 11* verba *Βαβυλωνος ηου ενουδης*, transtulerunt, ani *Иженъ* ani *Сѣерб*, neque *Germanus* neque *Scrabur*. Procul omni dubio pia intentione id factum

Xxx

est,

est, ut scilicet populares suos hac consolatione erigerent, nullam inter ipsos, si Christum sectarentur, & Germanos esse differentiam: quamvis alias in rebus humanis Sorabi deterioris conditionis, quam Germani, habeantur. Non enim credimus, ipsos hoc asserere, Sorabos Scytharum esse progeniem, quod contra fidem historicam est. Id quod cum persuasi simus, versionem nominis *Болгары* ex lege charitatis Christianæ non urgebimus.

JOH. EBERHARDI RAU, IN ACAD. NAS-
sav. Prof. P. Diatribe de Synagoga Magna.

Trajecti ad Rhenum, ex libraria Guil. Kroon, 1726, 8.

Plag. 15.

DUas partes habet erudita hæc tractatio. Prior traditiones Judæorum de Synagoga magna exponit, & statum controversiæ format; tribus autem Capitibus absolvitur. Tradunt nimirum Judæi temporibus Esræ & Nehemiæ Collegium aliquod virorum doctorum & legis peritorum fuisse, quibus varia munia adscribunt. Legem enim oralem a Prophetis acceptam, h. e. traditiones humanas & Pharisaicas propagarunt, aliisque decretis, quorum præcipue illud de sepe circa legem faciendâ pertinet, auxerunt: volumina Ezechielis, Danielis, Prophetarum minorum, & Esther ipsi conscripserunt, totum Canonem librorum Biblicorum consecerunt, quasdam precum formulas & festum Purim instituerunt, disciplinam & totam Remp. curarunt. Præses illius Collegii fuit Esra, assessores CXX, inter quos Haggæus, Zacharias, Malachias, Daniel cum sociis, Zorobabel, Marдохæus. Convenerunt singulis hebdomadibus die secundo & quinto, & summa eorum est auctoritas. Ita quidem Judæi satis confidenter. Queritur igitur, an talis Synagoga magna in rerum natura fuerit? Judæi affirmant, cum quibus faciunt Drusus, Jo. Buxtorfius, Sen. Hottingerus, Seldenus, Huetius: negat Autor Cl. cum *Altingio, Franc. Burmanno, Witsfo, Vitringa, Læschero & Buddæo.*

Pars altera hujus libri Sectionibus tribus absolvitur. *Pri-*
ma

ma traditionem Talmudistarum de Synagoga magna summam ad examen revocat, idque argumento potissimum a silentio Esrae & Nehemiae, scriptorumque aliorum Judaicorum desumpto. Neque quicquam juvat; quod Karaitae hoc commentum assenserint; nam nullum habent scriptorem Seculo IX post natam Christianam antiquiorem, & in propriis rebus majorum suorum, nedum in aliorum, summa ignorantia laborant. Origo vero & παροιμιώδης hujus Synagogae magnae ex mente Cl. Aporis tale est, quod hanc fabulam in traditionum oralium favorem excogitam esse asserit his argumentis: 1) quia alias deesset justa series eorum, qui legem oralem a Mose usque ad Simconem Justum propagassent; 2) quia haec series ab aliis aliter excogitata fuit; 3) quia Judaeis solenne est omnibus suis rebus vetustatem assignere. *Sectio secunda* Synagogae magnae res gestas, decreta & opera sigillatim & ordine convellit. Initium fit a nomine, quo *Magna* dicitur, cujus rei rationem tradunt Gemaristae in Joma, quod coronam in pristina dignitatem restituissem: quae verba hunc sensum habent, quod Deo restituerint attributum *Majestatis*, quod in arbore Cabbalistica *Kether* sive Coronae nomine venit. Sed haec ratio ab Autore ideo exploditur, quia majestas divina dudum a Prophetis fuit explicata populoque instillata. Traditionem de voluminibus Ezechielis & aliorum confectis Autor ipsis remittit, & meliori jure negat, quam illi affirmaverant. De Daniele praecipue sollicitus est, causamque reddit, cur Judaei illum ex numero Prophetarum expungendum statuant. Luculenta nimirum in ejus volumine sunt vaticinia, quae Judaicam superstitionem prorsus destruant, quapropter in Codice Megilla eo impudentiae procedunt, ut eundem in computo errasse asserant. Canonem porro V. T. a viris Synagogae magnae obsignatum esse Autor negat, quia hoc modo injuria fit sacris literis, si eorum auctoritas a Collegio obscurorum hominum penderet. Negat quoque ab his procedere divisionem Codicis sacri in legem, Prophetas & Hagiographos, item Pentateuchi in sectiones majores & minores, totius denique Codicis in versus: quippe quae longe recentiora esse ostendit. Negat denique Collegium lit-

Cap. I.

II.

Cap. I.

II.

Cap. III.

teras Hebraicas hodiernas cum antiquioribus commutasse, & ad viros doctos, qui rem uberius pertractarunt, Lectorem ablegat. Porro Judæi viris Synagogæ magnæ punctorum, vocalium & accentuum, nec non Masoræ originem adscribunt; Autor vero utrumque negat, & puncta recentiora esse statuit, his argumentis inductus; 1) quia Judæi & olim & hodie in Synagogis Codices non punctatos adhibent, idque ad imitationem Mosis; 2) quia Hebræi æque ac Samaritani sua sine punctis legere possunt; 3) quia interpretes antiqui Græci & Chaldaici Codicibus non punctatis usi sunt; 4) quia קריין & רחיבן semper circa consonantes, nunquam circa vocales & accentus, sunt occupati; 5) quia punctatio vocis ירוה accretiora tempora arguit. Neque tamen ideo cum Capello sentit Autor Cl. sed ejus hypothesein repudiat. Accentus vocalibus priores statuit, tempus autem, quo adjecti sunt, incertum. Masoræ duas ætates constituit: *Primam*, ab excessu scriptorum V. T. novissimorum, ubi quidem Esræ illam minime adscribendam putat, cum absurdissimum sit, Esram nescivisse, quænam in suis aut Nehemiæ scriptis esset vera lectio. Ante Talmud tamen partem Masoræ confectam esse docet ex Kidduschin, ubi סופרי, & quidem antiquiores, expresse memorantur, quibus Autor nosler קרי & רחיבן adscribit. *Alteram* Critices Hebraicæ ætatem ponit a Sec. I & II post excidium Hierosolymitanum usque ad renatas in Occidente litteras. Hac ætate omnis illa Masoræ moles, quæ intricata quidem, sed non adeo magni momenti est, sensim succrevit. Formulas istas precum, quas vulgo שמנה עשרה vocant, a Synagoga magna non esse inventas, Autor Cl. docet, quia in Berachoth Simon quidem Gossyparius autor perhibetur, & quia expresse pro instauranda urbe preces fundant, quod ævi recentioris est vestigium. Neque festum Puim ab hac Synagoga institutum est, quod in sacris expresse Mardocheo tribuitur. Idem de historia Estheræ sentiendum, quam Spiritus eidem Mardocheo adscribit. Denique *Sectio III* Partis secundæ ostendit, Esram hujus Collegii Præsidentem minime fuisse, hancque Synagogam magnam a Synedrio magno distinguendam esse, contra Seldenum adstruit, nume-

IV.

Cap. I.

ros quoque membrorum fidem superare asserit. Ad ultimum de spatio temporis, quo hæc Synagoga floruit, sollicitus est, ubi fabulam variis argumentis destruit, multosque Judæorum parachronismos cum cura dissolvit. Cap. II.

VITA S. BILIHILDIS, DUCISSÆ FRANCIE Orientalis & Comitissæ Hochemii nātæ, Fundatricis ac primæ Abbatisæ veteris Monasterii Moguntia. Edidit atque illustravit P. IGNATIUS GROPP, Ordin. S. Benedicti in Monasterio ad S. Stephanum Wirceburgi Professor.

Wirceburgi, sumtibus Philipp. Wilhelm. Fuggart, 1727, 4. Plag. 6.

Sanctæ *Bilibildis*, Ducissæ Franciæ Orientalis, vitam germanico idiomate haud ita pridem juris publici fecit admodum Reverendus *P. Ignatius Groppius*, sex Codicum MSS. ope quidem adjutus, sed qui nævis scatebant & erroribus. Scriptoris vero cum maxime intersit, curare, si qua edit, ut, quantum fieri potest, ea mendis & erroribus purgata prodeant, de obtinendo hæc scopo valde sollicitus fuit Autor Cl. &, ut tandem aliquando *Sanctæ* hujus notitia haberetur, quæ ad veritatem quam proxime accederet, omni studio animique contentione laboravit, cum exponendam illius vitam susciperet. Quare libello, qui præsens sistitur, id tantum sibi agendum duxit, ut probaret simul & illustraret, quæ in vita nuper a se compilatâ asseruit, atque adeo majus subinde iis robur adjiceret, quod dum exsequi conatur Autor Cl. vitarum *Bilibildis*, earum nempe, quas erroribus conspurcatis esse, animadvertit, unam ex Codice MS. exhibet, quæ, præmissis Prologo, decem absolviter Capitibus. Primum de *Bilibildis* Parentibus agit, II de infantia, III & IV de matrimonio ejus, V de Duce Hettano, cum ad bellum vocaretur, *Bilibildi*, uxori, facultatem ad matrem se conferendi, faciente. VI De *Bilibilde* matrem accedente filiumque parente. VII De *Bilibilde*, accepto de obitu mariti nuntio, vitam Regularem meditante. VIII De structo à *Bilibilde* mo-

nasterio. IX De Baptismo ultimum tandem de infirmitate, morte & exequiis S. *Bilibidis* disserit. Vitam charta fundationis Moguntiae Monasterii excipit. Unicuique Capiti notas subiecit & animadversiones, quibus obscura illustravit, quae falsa plane & erronea sunt, indicavit & veritatem eorum, quae in vita novissime edita scripserat, confirmavit & stabilivit. Potissimum vero hoc labore functus est Auctor Cl. in adjecta Commentatione Critico-Historica, brevi quidem & succincta, qua complexus est ea, quae non capiebat animadversionum angustia. Unum ex variis, speciminis loco, hic produxisse sufficiat. Quo tempore *Bilibidis* vixerit, de eo agitur inter Doctores controversia; sub Clodoveo, Francorum Rege, eam inclaruisse, fatentur fere omnes. Tres vero nominis hujus Francorum Reges fuisse, constat; pro primo Codices MSS. faciunt omnes, sed manifesto errore, quem Noster notavit, qui Clodovei II, non illius I, temporibus *Bilibidem* vixisse, tum ex charta fundationis, tum rationibus aliunde petitis, docte probavit, adeo, ut de rei veritate unicuique facile constare possit. In castigandis erroribus aliis pari versatus est arte & ingenio, quod quidem praesenti specimine ita nobis probavit, ut dubium non sit, parum eunt fore etiam majoribus, si qua moliretur, elucubrandis Operibus, plane ad sententiam Celeberrimi Eckardi, qui data ad Auctorem Cl. Epistola, quae Praefationi accessit, studii Historici primitias eum praebuisse, scribit, & tales, ut meliora quavis, si pergat, ab ipso sperare liceat.

Die Ruhe der Seelen, das höchste Gut in diesem Leben:
oder der Prediger Salomo, ins Deutsche übersetzt, erklärt,
und mit moralischen Anmerkungen erläutert. —

i. e.

*SANCTA ANIMI SERENITAS, SUMMUM
in hac vita bonum; aut Liber Salomonis, qui COHE-
LETH inscribitur, in Germanicam linguam translatus,
explicatus, & Annotationibus eorum doctrina petitis
illu-*

*illustratus, una cum connexione logica, unicuique capiti
premissa, ac oratione sacra ejusdem argumenti; Autore*
M. CHRISTOPHORO WOLLE, S. Theol.

Baccal. & ad D. Petri Lips. Catecheta.

Lipsiæ, impensis Sam. Benj. Waltheri, 1729, 8.

Plag. 16½.

Quamquam nonnulli jamjam interpretes ad istud Salomo-
nis volumen, quod קהלת inscribitur, enarrandum ope-
ram suam contulerunt, quorum nomina in universo, quacun-
que patet, eruditorum orbe concelebrantur; Autor tamen no-
ster novam prorsus, multoque faciliorem ingressus est interpre-
tandi rationem. Nos pro eo, ac leges nostræ postulant, singu-
laria tantum hujus novi libri sumus delibaturi. In ipsa statim
Præfatione, quæ multis verbis constat, si notantur philologi,
qui vocem קהלת pro participio feminino in Kal, a radice
קהל venditant, subaudita voce חכמה. Verum hæc ἔλεγχος
ecce nimis dura, contorta, longeque petita rejicitur, islique di-
stioni inter substantiva nomina, quæ eandem analogiam gram-
maticam præ se ferunt, v. g. עפרת plumbum, חתמת sigil-
lum, ינקת surculus, כתרת corona, סתרת species lapidis
pretiosi, *Esth. I, 6*, quorsum & *Jacobus Guffetius* נחלת נחל
XIII, 32, retulit, vindicatur locus. Ut ita versio hæc emanet:
*Collectio verborum, seu, collecta verba, vel, si mavis, collectio
verborum, rerum & sententiarum illustrium.* Rem omnem ex
idionate Ebrææ linguæ uberius evicit Autor. Omnes enim,
addit ipse in subjuncta notula, *lingua sua habent ἰδιώματα, seu
proprias loquendi formas, (ab ἰδies) non vero ἰδιωτισμὸς. Hæc
namque vox in græco sermone notat vulgares ac populares di-
cendi rationes, ab ἰδιώτης, plebejus, illiteratus. Docuit me vel
hæc unica vox, eruditos viros interdum communi votorum
quasi consensu errare.* Rationem appellationis allegaturus, ob-
servat, meditationes varias, diversis temporibus, ut res & occa-
sio tulit, a Salomone institutas, eo libro contineri. Vidisse ni-
mirum sapientissimum Regem, mortales plerosque omnes ca-

§. 2.

§. 3.

lum

lum in terra, seu beatitatem omnibus numeris absolutam perfectamque in hac vita querere, atque ex hoc errante animæ humanæ instinctu, cum is nunquam in hac quidem vita expleri queat, omnem exoriri miseriam. Cum inter Ebræos, quos antiquior tulit ætas, variæ eruditæ societates & Academiae, sicut *Jacobus Altingius* ex *1 Sam. X, 5, & XIX, 18*, jam pridem conjecit, olim floruerint, in quibus de propaganda vera sapientia deliberatum fuit: verosimile videtur, Salomonem in aula sua, separatis quidem temporibus, ejusmodi sapientes viros habuisse, quorum opera, horis maxime succisivis, animi causa, in istis meditationibus usus sit. Atque ad hos *cap. XII, 11*, respici videtur, ubi *sapientum, & collectarum ab iis scriptio*rum mentio injicitur. At illas tamen varias meditationes non prius, quam in extrema senectute, quippe quæ iis quam maxime idonea est, impulsu afflatuque Spiritus S. chartis mandavit Salomo, ut & inter Canonicos libros *spiritualis* quædam inveniretur *Ethica*.

§. 4.

Ad scopum primarium libri, sive Systema Salomonis, quod attinet, hoc quidem, ex sententia Autoris nostri, quatuor absolvitur partibus: 1) fundamenti loco ponitur a Rege ob insignem sapientiam illustrissimo hæc propositio: *in omnibus terrenis rebus bona sunt mixta malis, neque hæc a quoquam mortalium separari possunt*. In hac re divina sapientia, quæ nullis limitibus circumscripta est, miranda, non rimanda. Atque hinc tria consecutaria elicit, quæ hæc veritates exhibent: 2) Ergo *in rebus hujus mundi, quæcumque illæ demum sint, cælum, hoc est, constans omnisque doloris expertis voluptas irritis profusis conatu queritur*. Nec pecunia, nec gloria, nec denique voluptas, vitam præsentem in cælum commutare valeat. Quid quod nec ipsa virtus, nec sapientia, nec sanitas, in istud quæquam evehere possunt felicitatis culmen. Neque tamen homo, cum nimia sint mala, quibuscum hæc mortalis vita conjuncta est, despondere animum debet, verum opera ei potius navanda, ut commoda, quæ divina sapientia in ipsis malis inesse jussit, ex iisdem, qua decet, prudentia excerpant, inque suos usus convertant. Inde porro colligitur: 3) Ergo *sola animi tranquillitas summum est in hac vita bonum*. Ad quam consequendam pietas

ac

ac prudentia, mediorem loco, commendantur. Contra vero ea
4) animus perturbatus summum in vita malum jure censendum.
Qui, tamen evitari poterit, si quis ab improbitate ac stultitia sibi
caveat. Hoc est Systema Ethicum Salomonis, quod in libro Co-
heleth ex sublimiori philosophia pluribus verbis persecutus est.

Cum ex historia philosophica constet, Solonem quoque, ne-
minem ante mortem beatum, professum, atque similia effata in
Sophocle, Euripide, Theognide, Ovidio, Horatio, Juvenali, Auso-
nio, Cicerone, aliisque classicis & Græcæ & Latinæ gentis scripto-
ribus, reperiri: animadvertit Autor, Atheniensem illum Senem
ex Salomonis sapientia per universum terrarum orbem olim con-
celebrata sua scita accepisse. Quod si vero, sana ratione duce, ista
cognovit, rationem inter, ac revelationem, nullam intercedere
pugnam, vel hoc ipso edocemur exemplo. Ceterum quatuor
dicendi rationes, Salomoni hoc in volumine sere propriæ, curatius
explicantur. I) הכל ex mente R. D. Kimchii in lib. rad. ge-
nerationis est כולם אֵין־כֹּלִים aliquid, in quo nihil est, speciatim ve-
ro in præsentis Salomonis volumine significat id, in quo nec con-
stant voluptas, nec perpetuus durabilisque dolor, sed vicissitudo
& doloris & voluptatis inest. Quapropter הכל הכל idem
denotat, ac: hoc universum est locus, in quo timor ac spes, bo-
numque atque malum, cunctis in rebus permixta sunt. II)
רוח רעה passio ventur seu de vento, sicut ipsa phraseologia
רוח רעה pascere se de vento aut de cinere, intransitive Psalm.
XXXVII, 3, Prov. XV, 14, Jesa. XLIV, 20, occurrit. Proverbialis
hæc loquendi ratio dicitur, similitudinè a viatore, ducta, qui si
fame ac siti vexatus, vento se pascere vellet, frustra omnino
laboraret. Hinc passio de vento irritum laborem denotat.
III) Locutiones hæc: letari & hilari animo esse in labore suo,
edere ac bibere, & aliæ ejusdem generis, significant idem ac:
sancta animi serenitate, mente in divinam voluntatem res-
ignata, tranquillaque, & ab edacibus curis vacua vivere. Vid.
Nebem. VIII, 10, Esa. LXV, 13, Jer. XXII, 15, Matth. VI, 25, 31,
34, XI, 19, Act. II, 46, 47, 1 Corinth. X, 31, 1 Tim. VI, &
Etenim cum animum inter & corpus æquillima intercedat u-
nionis dici non potest, quantum animus, curarum, vacuus ad va-

§. 5.

§. 8.

letudinem tuendam conferat adjumenti. IV) Appellatur *bilax* *serenusque animus* hominis pli פלח *portio*, quoniam ille *summum hujus vite bonum est*, sicut *perfecta beatitudo*, quæ *omni dolore caret*, *summum alterius vite bonum* existimandum. Salomo non contradicit reliquis sacrarum litterarum auctoribus, qui Deum Opt. Max. *portionem piorum* vocant, e. g. *Psalm. CXIX, 57, Jerem. X, 16, LI, 19, Thren. III, 24*. Nam Deus est *Αυτοαγαθός*, & fons omnis boni, animus autem hilaris primum sibi locum inter omnia vindicat bona, quæ ab immortali Numine in hac mortali vita proficiuntur. Sed hæc in Præfatione fusius probata leguntur, quam deinceps excipit p. 3-30. *sacra oratio*, in qua sanctæ animi serenitatis indoles ac natura ex Theologia Christiana ex instituto pertractatur. Hanc ipsa sequitur *translatio*, ubi hic ordo tenetur, ut, præmissa capitulis totius connexionem logica, quippe quam, ductu philosophiæ, accurate observavit Salomo, verba ex originali sermone conversa majusculis, interlineares vero annotationes, quæ excellentissimam Regis sapientis de moribus hominum differendi rationem pluribus verbis enuntiatam proponunt, minusculis exhibeantur litteris.

Nos satis in præfatione habebimus, si *Αυτοαγαθός* quædam Salomonæa, ex ista hypothese facile soluta, exempli gratia protulerimus. Sic *Cap. III, 19, 20, 21*, ubi cum brutis animantibus comparantur homines, tertium similitudinis in eo ponitur, ut utrorumque spiritus & grato voluptatis, & ingrato doloris sensu tangi, corporaque interire perhibeantur. Tum vero hominis excellentia, quæ præ animantibus brutis gaudet, in immortalitate animæ collocatur. *Cap. V commatis 7* alterum hemistichium ex fontibus ita redditur: *nam is, qui superior est omnibus superis, accurate observat*, nimirum summus Deus observat eos. Comma 8 ita se habet: *Atque emolumentum regionis in omni hoc* (in ipsa oppressione pauperum, Deo sapientissimo rem ita dirigente, v. 7) *erit: Rex autem regionis, injustus licet, nihilsecus honoratur*. Ita & *Cap. VI, 9*, significantissima locutio *שׂוֹן-תְּרוֹם* *stio anima* de infinitis animæ humanæ cupiditatibus exponitur, quibus illa in rerum mundanarum

ram umbris vagabunda circumerrat, ejusmodi statum, in quo
 omni dolore careat, cœlumque adeo in terra, perperam exqui-
 situra. *Cap. VII, commata 16, 17 de probis quidem, at in fide, P. 140-143*
 quæ divinæ providentiæ tribuenda est, adhucdum infirmis ho-
 minibus explicatur; quemadmodum ex hac apparet translatio-
 ne ac paraphrasi: *omnia hæc vidi in diebus vanitatis meæ, id*
est, vitæ meæ terrenæ, quæ nihil aliud, quam status vanitatis est:
Erant iusti, qui peribant, præmatura morte ex hac vita eripie-
bantur, in iustitia sua, dolore sibi mortem consciscabant, quo-
niam divini ordinis ac sapientis providentiæ ignari, ex malis
bona excerpere non poterant. Contra vero erant improbi, qui
diu vivebant in malitia sua, divina judicicia, quæ suis cervicibus
imminebant, parum curabant, carnali securitati dediti. Quare
noli esse in oculis tuis nimis iustus, neque nimiam tibi arroga
sapientiam, cur te ipsum perturbatum ibis? At cave tibi et-
iam, ne nimis impie ac solide agas; cur morieris, cum tem-
pus tuum nondum adsit? Hoc loco suppeditatur viris probis
regula quædam prudentiæ, qua prohibentur suæ probitati adeo
magnam statuere pretium, ut ejus ope quævis hujus mundi ad-
versa effugere, sibi que persuadere velint, Deum ipsorum gratia
mundum in cœlum conversurum, ac nihil nisi jucunda iis con-
cessurum commoda. Hanc persuasionem de iustitia ac sapi-
entia Salomo apprime sapienter appellat in excessu peccantem
ac nimiam. Etenim talia qui de Deo sperat, ipsum tentat, cum
nullibi ea sit pollicitus &c. Multo vero minus impietati ac ma-
litiæ id tribuendum est, ut per eam quis feliciter in his terris vive-
re se posse arbitretur. Deus enim nec improbis unquam ita fave-
bit, ut terram in cœlum commutet, aut iis concedat facultatem
omnia prava consilia, quæ animi vanitate abrepti capiunt, ad
exoptatos fines perducendi. Minatur potius divina iustitia mul-
ta flagella, calamitatem & angustiam in hac vita pariter, ac im-
minente æternitate, omni hominis animæ prave agentis, Psalm.
XXXII, 10, Rom. II, 8, 9. Hinc Regum sapientissimus nullum
non iustum ab hac aberrante ac nimia de malitia opinione
laud sine causa fideliter dehortatur. Hæc etenim ad varios
modos, quibus Deus tentatur, etiam pertinet, viamque atheismo
 Yyy 2 pro-

proximam ac periculosissimam aperit, cum omne tollat virtutum atque vitiorum discrimen.

Sed hæc speciminis loco sufficiant. Quod reliquum est, in Præfatione sperare jubet Autor, fore, ut, si hæc ejus opera eruditus viris hæud displiceat, aliquando uberiorem Commentarium, aut germanico, aut latino sermone concinnet, ac probationes hermenævicas, locaque parallela, quæ hic omisit, curatius adjiciat. Quem laborem publicæ rei literariæ pariter, ac christianæ, non inutilem futurum, nos quidem auguramur.

Apostolisches Licht und Recht: das ist, richtige und erbau-liche Erklärung der sämtlichen Apostolischen Briefe etc.

APOSTOLICUM URIM ET THUMMIM,
seu accurata & nervosa explicatio omnium Apostolicarum
Epistolarum &c. Autore D. JOACHIMO LAN-
GIO, S. Theol. Prof. Ord. Acad.

Frideric.

Halæ, inpensis Orphanotrophei, 1729, fol.

Alph. 18.

POSTquam Ill. Carol. Hildebrand de Canstein *Harmoniam Evangelicam*, dum adhuc in vivis erat, lingua germanica edidit, de qua dictum in Actis A. 1718 M. Dec. p. 529 sq. eoque mortuo, *Luce commentator*, qui *Acta Apostolorum* appellantur, Joannes Ludov. Lindhämmeris eadem ratione interpretatus est: jam deinceps *Epistolas Apostolicas* omnes curatius expositas adjecit, totumque adeo *Opus Biblicum Novi Testamenti*, si à Joanne Apocalypsi discesseris, ad finem perduxit *Joachimus Langius*, clarissimus Halensium Academiæ doctor. Methodus, quam, post exhibitam *historicam vitam & itinerum Pauli relationem*, secutus est Autor, ita fere se habet. Præmisit ille singulis Epistolis introductionem historico-analyticam. Tum vero unumquodvis comma parenthetica quadam paraphrasi breviter illustravit. Denique emphasiologiam sacram, in consilium

filium. A vocato originali Textu, in annotationibus hermenev-
tico, practicis pluribus verbis enucleavit. Res supervacuas,
quæ ad solidiorem Exegesin neutiquam pertinent, inutiles-
que controversas, de industria omisit, ut facere non potuit,
quæ majoris momenti argumenta theologica paulo uberius in-
terdum interpretaretur. Quod ad Joanneam Apocalypsin atti-
net, eam separatim edere decrevit, secutus *Campegi Virri-
ga* systema, ex cujus etiam eruditissimo in *Esaiam* commenta-
rio utilissima quæque excerpset, ac parallelismum reliquorum
Prophetarum illustraret, vaticinia aded prophetica in expositione
totius Apocalypseos fundamenti loco collocaturus.

M. GE. LUDOV. OEDERI, OBSERVATIONUM

S. Syntagma. Accessit neolog. seu verisimilium

quingena.

Weissenb. Noricæ, literis Car. Meyeri, 1729, 8.

Alph. 2 pl. 4.

Aliquot observationes Cl. *Oederi* jam olim prodierunt; ex
quibus de ceteris facile judicium ferri posse, ipse Cl. Au-
tor judicat, qui Evangelicam religionem serio amplectitur, no-
vandi studium odit, sed & autoritatis præjudicium non minus
abominatur, minime trita scribit, quoties sibi discedendum esse
ab aliorum cogitatis est arbitratus, id modeste facit, denique nil
sine rationibus ponit: uti de se in Præfatione testatur. Obser-
vationes omnino sunt XLVI, quarum ultimam in titulo nominata
illa verisimilia conficiunt. Obs. I demonstrare nititur, quod
vox **DNH** non significet *homines*, quod communiter credimus,
sed *consummationem* sive *plenitudinem*, quæ de re inter alia scri-
bit: **W** Radicem volumus esse notissimum verbum **DNH**. Hinc
participium in **Hiphil**, quod nominis deinde vicepi suslinere
deberet, **DNH** est, inde conficimus pluralem **DNHN**.
Porro ad apocypsen confugimus & **rs** **D** ablato **DNH**
idem, quod **DNHN** antea fuerat, esse arbitramur. Quemad-

p. 6.

P. 158.

modum non ab simili ratione pro plurali **דַּיָּוָן**, *Dracones*, est
דַּיָּוָן *Jerem. XI, 11*, & **דַּיָּוָן** *Thren. IV, 3*. Obs. II La-
 mecham atnepotem Caini, hominem probum & pium fuisse,
 evincere studet, quia suæ in Christum fidei testimonium esse-
 ruerit his verbis: *virum occidam* (peccatis meis) *loco plaga mea*
 & *puerum loco suppurationis meae*. Obs. III, Deum ut quidem
 concessisse Bileamo veniam eundi ad Balacum, judicat. Obs.
 IV Zelophicado *Num. XXVII, 2, 3*, non peculiaris criminis reum
 agi; Obs. V *Deut. XXVIII, 65*, Jesum ut crucifigendum exhibe-
 ri; Obs. VI Simsonis castitatem adstrui posse, & Obs. VII Sau-
 lem ab Amalekita vere interfectum esse, judicat. Obs. VIII
 contra Pfeifferum aliosque Orthodoxos disputat, & *Sam. VII, 12*
 & *199*, de solo Salomone literaliter agi; obstantem vero locum
Hebr. I, 5, ita conciliare se posse, opinatur, ut dicat, Paulum do-
 cere, Angelos Christo esse inferiores, quia ne quidem illo no-
 mine appellantur, quod Christi typo, Salomoni, datum fuit.
 Ipse tamen antea negarat, sensum mysticum vel typicum hic
 habere locum. Obs. IX locum *1 Cor. VII, 14 & 23*, mendii a Cle-
 rjco accusatum, vindicat. Obs. X, *Psal. XXXVI* exponit. Obs.
 XI docet, *Psal. XVII, 4*, exhiberi verba Christi, in horto Geth-
 semane adversarios expectantis. Obs. XII de voce **דַּבָּר** *Prov. I,*
17, agit. Obs. XIII, *Prov. XI, 30* explicat. Obs. XIV, voces **דַּבָּר**
 & **דַּבָּר** esse Verba, & Obs. XV, **דַּבָּר** & **דַּבָּר** nunquam signifi-
 care *panam peccati*, notat. Obs. XVI de *Es. X, 16*; Obs. XVII
 de *Es. XLIX, 7*; Obs. XVIII de *Jer. XI, 15*; Obs. XIX de *Jer.*
II, 31; Obs. XX de *Jer. XVII, 4*; Obs. XXI de *Jer. XL, 5*;
 Obs. XXII de *Ezech. XVI, 16*; Obs. XXIII de candelabro au-
 reo; Obs. XXIV de *Matth. III, 15*; Obs. XXV de legatione Jo-
 hannis Baptistæ ad Christum; Obs. XXVI de *Matth. XVII, 29*;
 Obs. XXVII de *Matth. XXVII, 2*; Obs. XXVIII de loco sancto
 ad *Matth. XXIV, 15*, disserit, & ultimam observationem contra
 Krumholtzium & Cl. J. C. Wolfium vindicat. Obs. XXIX ad
Luc. I, 24, de occultatione Elisabethæ, Obs. XXX ad *Job. II, 3,*
4, de petitione Mariæ & responsione Christi commentatur, ne-
 gans

gans Christi nullo modo matrem increpuisse. Obs. XXXI, apologiam Christi contra Judæos *Job. V, 17 sqq.* exponit, & contra Wolfium defendit. Obs. XXXII, ad primam partem *Cap. X Johannis* quædam annotat; Obs. XXXIII *Job. XVIII, 6*, nullum miraculum agnoscit, idque contra Wolfium & Lampium defendit. Obs. XXXIV de *Rom. V, 6*, agit; Obs. XXXV suam de *Rom. XIII, 11, 12*, sententiam, quod salus hoc loco, propinqua dicta, sit quies à Claudio Romanæ Ecclesiæ concessa, exprimit. Obs. XXXVI exponitur *1 Cor. II, 6*. Obs. XXXVII de Epistola ad Corinthios, qua hodie carenius, contra Homburgium disputat. Obs. XXXVIII exponitur *1 Cor. VI, 11, 12*; Obs. XXXIX *1 Cor. X, 12*; Obs. XL ad *Galat. III, 19; 20*. Obs. XLI contendit, epistolas, ad Ephesios, Colossenses & Philemonem scriptas alio loco & tempore, ac communiter putant. Obs. XLII ad *Eph. II, 1 sqq.* Obs. XLIII, *Eph. IV, 7 sqq.* Obs. XLIV *Eph. V, 11 sqq.* & Obs. XLV *Jacobi IV, 5, 6*, illustrat. Tandem Obs. XLVI *quingenta* observatiunculæ brevissimæ in variâ Veteris & Novi Testamenti loca suppeditat, quæ rectius in ipso leguntur libello. Nos id unum observamus, Virum Cl. p. 749 penitus negare, quod in sacra Scriptura detur sensus Mysticus.

D. MARTINI SCHURIGII, PHYSICI

Dresdensis, Parthenologia Historico-Medica; hoc est, Virginitatis Consideratio.

Dresdæ & Lipsiæ, apud Christophori Heckelii B. Filium, 1729, 4.

Alph. 2 pl. 7.

Pergit Clarissimus Autor amplissimum suum locorum communium apparatus cum Philiatris communicare, in præsentî Tractatu virginitatem considerans, quem in III Sectiones divisit, quarum prima de pubertatis principio & fine, de ejusdem signis & verâ feminarum ad humani generis procreationem maturitate agit; secunda emmenologiam seu doctrinam de menstruatione explicat, ubi simul variâ extraordinaria tum ratione infantis & juventutis, tum ratione senis exempla allegantur, menstruique

san.

sanguinis modo consueta, modo insolita, & quidem per omnes fere totius corporis partes effluentis, via nominantur, inulta quoque a mensium suppressione dependentia symptomata periculosa commemorantur. In tertia ipsa parthenologia, sive virginitalis descriptio, encomium, honor, & signa ex varijs partim miraculis partim corporis partibus desumenda recensentur, eorumque veritas vel incertitudo indagatur. Denique virginitalis per vulva consuetudinem & infibulationem conservandam modus, ut & virginum castratio & alia curiosa ex varijs Autoribus adducuntur. Sed & proprias hinc inde interspergit Clariss. Schurigius observationes, quas inter sequentes excerpere libuit. Pag. 11 refert, se virginem 18 annorum cum septem mensibus, catamena nondum passa, emmenagoga porrigere medicamenta ideo veritum esse, quoniam judicaverat, pubertatis tempus ipsi nondum instare, quoniam nullam circa partes pudendas crinium progerminationem observaverat, nec ullum ibidem loci senserat pruritum; balnearum potius ac thermarum usum cum fructu commendasse. Pag. 66 feminam rusticam allegat, quae ex gravioris ponderis elevatione vaginae uterinae inversionem cum uteri descensu passa fuerat, ex cujus officio interno menstruationis tempore guttae sanguinae stillarunt. P. 88 in femina prima vice gravida usque ad sextum ingravidationis mensem circa tempus solitum aliquot sanguinis guttulas ex utraque papilla profluentes, in alia pag. 108, ex tumore circa talum post tibiae fibulaeque fracturam curatam relicto, tum ante partum duabus vicibus sanguinem per tres vel quatuor dies, tum etiam post partum lochia, hinc per tres septimanas magnam lactis copiam, iterumque per aliquot dies sanguinem profluxisse, & iterum in alia p. 109 per vesicam menses prodisse observavit. P. 114 in viro post haemorrhoides suppressas sanguinem singulis mensibus ex naribus, hinc ex vesica promanasse narrat, donec post frictions, fomentationes & infusus resolutae fuerint haemorrhoides. P. 138 in puella mox post partum per quatuor dies eruentationem circa genitalia apparuisse, quae singulis mensibus ordinario tempore per sesquiannum redibat: cui fluxus cessanti loco sanguinis stas periodis per biennium fluor albus succedebat, a quo puella adeo debilis reddita fuit.

ut ante ætatis annum octavum vix erecte incedere potuerit; balneatori vero tandem nupta vegeta satis vixit. Legi etiam merentur observationes p. 163 de epilepsia ecclastica a mensium suppressione & p. 207 de femina largas hæmorrhagias, quoties gravida facta fuerat, passa. Denique narrat Clar. Schurigius, equo ex potu intempestivo contracturam patienti aliquid lin-
teî sanguine menstruato maculati in aquam, quæ equo in situla potanda porrigi debebat, iniecisse feminam; quo facto equus exhausta aqua indies melius, mulier vero ab eo momento pejus se habebat; atque non tantum in atrophiam cum appetitu pro-
strato, nausea, vomitu, plenaria mensium suppressione &c. inci- dit, sed tandem etiam post semestrem decubitum obiit.

INDEX AUTORUM, quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

A ctorum Sanctorum Julii Tomi VI Synopsis.	197
Anonymi Admonitiones ætica & modesta ad futuros Novæ Testamenti Græci Editores.	ii
Epistola de Mystero Trinitatis.	483. 484
Biblia S. in Dialectum Sorabiam Lusatia Sup. conversa.	528
Blackwall (A.) Auctores Classici sacri defensi & illustrati.	158
Buddei (Jô. Franc.) Epistola Apolog. pro Ecclesia Lutherana contra calumnias Steph. Javorskii.	465
Ecclesia Apostolica sive de statu Ecclesie Christiana sub Apo- stoli.	478
Calincti (Augustini) Dictionarium S. Scripturae Tomi II.	165
A Cattenburghi (Adriani) Bibliotheca Scriptorum Remonstran- tium.	256
Specimen controversarum inter Remonstrantes & Sociinum ejusque affectas.	286

Coleti (Nicolai) Concilia. Tomus I & II.	49
Fabricii (Franc.) Christologia Noachica & Abrahamica.	17
Gleichmanni (Jo. Zach.) Spicilegium Scriptorum, Reformationis Historiam illustrantium.	141
Gropp (Ignatii) Vita S. Bilshildis.	533
Hane (Phil. Frid.) Consilium de studio Histor. Eccl. apud Protestan- tes promovendo.	94
Hansizii (Marci) Germania Sacra Tomus I.	192
Javorskii (Stephani) Lapis sive Petra fidei.	226
Koepkenii (Dav. Henr.) Commentatio Hist. Theol. de fabulosa & va- riis fraudibus quondam delusa Megapoli.	487
Kohlrii (Jo. Petri) Introd. in Hist. & rem liter. Slavorum, seu Historia critica versionum Slavonic. Codicis S. & Epbremi Syri.	508
De Lith (Jo. Wilb.) Lapidis offensonis e dictis Scripturae S. remotæ Part. II.	449
Langii (Joach.) Apostolicum Urin & Thummin, seu Explicatio Epi- stolarum Apostolicarum.	540
Qederi (Ge. Lud.) Observationum sacrarum Syntagma. Verisimilium quinquagena.	541
Rambachii (Jo. Jac.) Commentatio hermeneutica de sensu mystic criticis.	80
Rau (Jo. Eberhardi) Diatribe de Synagoga Magna.	539
Ruchat (Abrahami) Historia Reformationis Helvetia. Tomus I-IV.	203
Salomonis liber Cobelesb. ex vers. & cum notis Christoph. Wolle.	532
Saurini (Jac.) Sermones Historico-Critico-Theologico-Morales in præcipuos Vet. & Novi Testamenti eventus. Tomi II.	473
Scharbau (Henr.) Parerga Philologico-Theologica.	277
Schneideri (Dan.) Lexicon Biblicum universale cum Præf. Jo. Ge. Pritii.	10
Weinrichii (Jo. Mich.) Oda sacra.	233
Wezelii (Jo. Casp.) Singularia Weinrichiana, seu Vita & Oda sa- cra Jo. Mich. Weinrichii.	233
Whiston (Wilb.) Collectio genuinorum monumentorum Veteris & Novi Testamenti.	101
Wieglebii (Jo. Hier.) Historia Ecclesiastica plenior ab O. C. ad Chri- stum. Tomi III.	452
Wokeanii (Franc.) Commentatio in Canticum Cantorum. Diff. qua probatur, Nicolaen non esse objectum Cantici Cant.	486
Wolle (Christophori) Versio libri Salomonis Cobelesb. dicti, cum notis.	532

II Libri Juridici.

Anonymi Acta legalia, quae fundationem concernunt Instituti Scientiarum Bononiae.	215
Meditationes de origine, indole, effectibus atque historia Juris reformandi Regum ac Principum circa religionem.	594
Jauchii (Siegm. Reich.) Meditat. Critica de Negationibus, Pandectis Florent. partim recte vel male jam adjectis &c.	85
Ottonis (Everhardi) Nota ad Pufendorfium de O. H. & C.	83
ad D. Justiniani Institutiones nota critica & Commentarius.	189
Pufendorfi (Sam.) de Officio hominis & civis Libri duo.	83
Rotgersii (Arnoldi) Apodictica Demonstrationes ad illustrandum Jus Romanum. Vol. I.	205
Titii (Gottlieb Gerhards) Observationes ad Pufendorfium de O. H. & C.	83

III Libri Medici & Physici.

Anonymi Transactiones Anglicanae. Volumen XXXIII ad A. 1722.	169
1723 Discursus de Febris.	267
Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus I ad A. 1726.	337-431
de Sectione hypogastrica liber.	350
Barry (Eduardi) Tract. de Phthisi pulmonum.	220
Bernoulli (Dan.) Dissertatio praemio pro A. 1727 ab Academia Regia Scient. Paris. proposito condecorata.	270
Bradley (Rob.) Descriptio oeconomiae & horticulae veterum.	445
Burggravii (Jo. Phil.) Spiritus nervosus immerens exsul pristinis laribus resistitur.	421
Buxbaum (J. G.) Plantarum minus cognitarum Centuria III.	269
Douglas (Jac.) Descriptio comparata Musculorum corporis humani & quadrupedis.	419
Green (Roberti) Principia Philosophiae de vi expansiva & contractiva.	241
Hoffmanni (Frid.) Medicinae rationalis systematica Tomus IV.	469
Morandi Diss. de Sectione hypogastrica.	350

Perlicii (Jo. Dan.) <i>Theoria caloris Mathematica nova Methodo Medicinae applicata.</i>	113 sq.
Platneri (Jo. Zachar.) <i>Relatio de Machinis Chirurgicis novissime inventis.</i>	348
De Quintiis (Camilli Eusebii) <i>Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri IV.</i>	109
Richteri (G. F.) <i>Observationes Meteorologicae habitae Lipsiae A. 1728.</i>	49
Ruysschii (Frid.) <i>Curae renovatae, seu Thesaurus Anatomicus post Curas posteriores, novus.</i>	63
Schreiber (Jo. Fredrici) <i>Idea distincta quorundam Medicinae principiorum.</i>	509
Schulzii (Jo. Henr.) <i>Historia Medicinae.</i>	258
Schurigii (Martini) <i>Parthenologia Historico-Medica, h. e. Virginitatis consideratio.</i>	547
Simsoni (Thomae) <i>de re Medica Dissertationes.</i>	31
Trilleri (Dan. Wilb.) <i>de nova Hippocratis editione Commentatio.</i>	46
Waltheri (Augustini Frid.) <i>de Articulis, ligamentis & musculis hominis incesu statuque dirigendis Observationes.</i>	75
Weidleri (Jo. Frid.) <i>Observationes Meteorologicae & Astronomicae 1728 & 1729.</i>	274
	<i>Diff. de Observatorio Meteorologico.</i>
	<i>de hiemis A. 1729 asperitate.</i>
	274
Winslowi <i>Littera de Sectione hypogastrica.</i>	350

IV Libri Mathematici.

Anonymi <i>Transactiones Anglicanae. Volumen XXXIII ad A. 1723.</i>	1723.	169
	<i>Epistola ad J. B. M. de nova Steganographia.</i>	255
	<i>Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae.</i>	337-431
Blanchini (Franc.) <i>Hesperii & Phosphori nova Phenomena.</i>		493
Clairaut (Alexis) <i>Determinatio curvae cujusdam differentialis, cujus constructio simplicitate cum simplicissimis certat.</i>		328
Crivellii (Jo.) <i>Elementa Arithmetica tam numerosa, quam literalit.</i>		128
De Fontenelle (Bernardi) <i>Elementa Geometriae Infinitorum.</i>		119, 174
s Gravesande (G. L.) <i>Matheseos universalis Elementa.</i>		36

Hor-

Horrebowii (Petri) Copernicus triumphans sive de parallaxi Orbis annui.	65
Masseji (Scipionis) de Amphibeatris, quæ tum ad historiam tum ad Architecturam pertinent.	298
Marcelli (Alexandri) nova Steganographia imperceptibilis.	38
Perlicii (Jo. Dan.) Theoria Caloris Mathematica.	113 sq.
Richteri (G.F.) de æstimandis viribus corporum juxta quadrata celeritatum Syntagma.	70
Weidleri (Jo. Frid.) Observatio eclipsis Luna totalis, &c.	442

V Libri Historici, Geographici &c.

Almeida (Petri) Commentarius in C. Suetonii Tranquilli de XII Caesaribus Libros VIII.	385
Anonymi Acta legalia, quæ fundationem concernunt Instituti Scientiarum Bononiæ.	215
Elogium Joannis Fabricii, Theologi.	335
Christiani Thomasti, JC.	470
Scriptores de rebus Marchia Brandenb.	454
Bugenhagii (Jo.) Pomerania.	92
De Bünau (Henr.) Historia Germaniæ Imperatorum & Imperii. Pars I.	2
Chishull (Edmundi) Antiquitates Asiaticæ, Christianam Æram antecedentes.	145
Christii (Jo. Frid.) Commentarius ad Origines Longobardicas.	331
Cunonis (Sig. Andr.) Memorabilia Scheningsia.	328
Cypriani (Ern. Salom.) Consecratio Ernesti Pii Saxon. Duc. Adversaria historica, quibus Bernhaldi Magni D. Vinar. vita illustratur.	402
Dithmari (Jusli Christoph.) Commentatio de ordine militari de Balneo.	403
De Domesham (Adami) Historia de rebus gestis Glastoniensibus, ex edit. Th. Hearne.	523
Ab Eggs (Georgii Jos.) Supplementum novum Purpure doctæ.	131
Ab Eickstet (Valentini) Epitome annalium Pomeraniæ. Vita Philippi I Pomer. Ducis.	403
Eutropii Breviarium Historia Rom. ex edit. Sigeb. Havercampi.	92
Felibien (Mich.) Historia urbis Parisiorum.	450
Garcxi (Zach.) Successiones & rei gesta Præsidiæ Marchiæ Brandenb.	429
	454

Le Grand (M.) <i>Dissertationes, Epistole & Relationes ad H. Lupi Historiam Itineris in Abissiniam addita.</i>	397
Granvillij (Rich.) <i>binæ Relationes de expeditionibus Anglorum A. 1625 & 1627.</i>	520
Gratiani (Job.) <i>Historia Veneta.</i>	292
De Gudenus (Val. Ferd.) <i>Sylloge I variorum Diplom. res German. imprimis Moguntiam illustrantium.</i>	129 sq.
Haltausii (Chr. Gottlob) <i>Calendarium medii ævi.</i>	447
Heineccii (Jo. Gottl.) <i>Historia Philosophica.</i>	414
Hubneri (Job.) <i>Filii, Bibliotheca Genealogica.</i>	234
Johannis, <i>Monachi Glaston. Chronica de rebus Glastoniensibus ex edit. Th. Hearne. Voll. II.</i>	181
Leuthingeri (Nic.) <i>de Marchia & rebus Brandenburg. Commentarii.</i>	454
A Liechtenau (Couradi) <i>Historia Longobardica & excerpta ex aliis.</i>	331
Lobineau (Guid. Alexij) <i>Historia urbis Parisiorum.</i>	429
Lupi (Hier.) <i>Historia itineris per Abissiniam peracti.</i>	396
Masseji (Scipionis) <i>de Amphitheatris, & præcipue Veronensi, Libri duo.</i>	298
Moylii (Gualteri) <i>Opera omnia.</i>	186
Muratorii (Ludov. Ant.) <i>Scriptores rerum Italicar. Tomus XI.</i>	97
	Tomus XII. 289
	Tomus XIII. 521
<i>Vita Ludovici Castelvetri.</i>	388
Mufæ (Antonij) <i>Singularia de Viris eruditione florentibus.</i>	413
Nadalii Abbatis <i>Historia Vestalium.</i>	320
<i>Commentatio de luxu feminarum Romanarum.</i>	321
Niceronii (Petri) <i>Commentarii Historia celeberrima in Rep. Literaria Virorum inservientes. (Tom. I. v. Act. Er. 1727 p. 488.)</i>	
	Tom. II & III. 369
	IV. 406
De Quintiis (Camilli Eucherii) <i>Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri IV.</i>	109
Ramsay (Andr.) <i>Itinera Cyri.</i>	285
Rau (Jo. Eberhardi) <i>Diatriba de Synagoga magna.</i>	530
Roberts (Georgij) <i>Relatio itineris & laborum per quadriennii tempus exantlatorum.</i>	287
Roussseti <i>Farrago historica Actorum & Tractatum a Pace Ultrajectina usque ad secundum Congressum Cameracensem. Tom. I, II, III.</i>	371
	Schil-

INDEX AUTORUM.

551

Schilteri (Jo.) <i>Theſaurus Antiquitatum Teutonicarum, cum Praefat. Jo. Frickii. Tomus III, exhibens Gloſſarium.</i>	6	
Schmeizelii (Marr.) <i>Specimen Hiſtoriae Eruditionis.</i>	139	
Schulzii (Jo. Henr.) <i>Hiſtoria Medicinae.</i>	258	
Schwartzii (Alb. Georg.) <i>Hiſtoria finium Principatus Rugiae.</i>	91	
	<i>Specimen Diplomatum Rugianorum.</i>	91
Sinfonii (Edwardi) <i>Chronicon Hiſtoriam catholicam complectens, cum Animadv. Petri Weſſeling.</i>	425	
De Sommersberg (Frid. Wilh.) <i>Sileſiacarum Rerum Scriptores.</i>	134	
	<i>Hiſtoria Sileſiae diplomatica Specimen.</i>	134
	<i>Hiſtoria Geneal. Ducum Sileſiae.</i>	134
C. Suetonii Tranquilli <i>de XII Caſaribus Libri VIII, ex edit. Petri Almeidae.</i>	388	
Tickell (Thoma) <i>Vita Joſephi Addiſoni.</i>	392	
Vanſelow (Amandi Caroli) <i>Pomerania docta.</i>	465	
Vulpii (Joſephi Rocci) <i>Vetus Latium profanum. Tomus III.</i>	150	
	<i>Tabula Antiatina.</i>	152
Walchii (Jo. Ge.) <i>Hiſtoria Critica Latinae linguae auctior.</i>	514	

VI Libri Miscellanei.

<i>Academia Scientiarum Imperialis Petropolitanae Commentarii.</i>	
Tomus I ad A. 1726.	337
Addiſoni (Joſephi) <i>Opera Miscellanea in proſa & verſa conſcripta.</i>	
Tomus III.	392
Anonymi <i>Epiftola diverſi argumenti ad L. Loſſum.</i>	446
M. Antonini Imp. <i>Libri XII eorum, quae de ſe ipſo & ad ſe ipſum ſcripſit.</i>	468
D' Arnaud (Georgii) <i>Specimen Animadverſionum Criticarum.</i>	154
Aſchpani (Gratiani) <i>de ſuperſtitione erudita, ſeu literaria libellus.</i>	410
Bradley (Rob.) <i>Oeconomia & horticultura veterum deſcriptio.</i>	445
Bruckeri (Jacobi) <i>Orium Vindelicum, ſive Meletematum Hiſtorico-Philologicorum triſa.</i>	283
Ex Capellani (Petri) <i>Epiftolis Miscellanea literaria excerpta.</i>	231
Caſſelvetri (Ludovici) <i>Opera varia critica, ex edit. Lud. Ant. Muratorii.</i>	388
	Cruiſa

Crusii (Magni) <i>Epistola de scriptis quibusdam fragmentisque ha-</i> <i>Elenus ineditis.</i>	58
Cypriani (Ern. Salom.) <i>Consecratio Ernesti Pii, Saxon. Duc.</i>	402
Haltausii (Christ. Gottlob) <i>Calendarium medii aevi, praecipue Ger-</i> <i>manicum.</i>	447
Von der Hardt (Hermanni) <i>Commentarii lingua Hebraica ex Gra-</i> <i>ecia Apologia secunda & tertia.</i>	23
Heineccii (Jo. Gottl.) <i>Elementa Philosophiae rationalis & mora-</i> <i>lit.</i>	414
Heumannii (Christoph. Aug.) <i>Pocile, seu Epistola miscellanea. To-</i> <i>mi III Liber I.</i>	61
	<i>Liber II.</i>
	517
A. S. Josepho (Paulini) <i>Orationes.</i>	191
Kappii (Job. Erhardi) <i>Progr. de Causis corruptae hoc aevi eloquen-</i> <i>tiae Rom.</i>	191
Kœleri (Jo. Dav.) <i>Sylloge Scriptorum de bene ordinata & ordinan-</i> <i>da Bibliotheca.</i>	238
Kohlii (Job. Petri) <i>Introductio in Historiam & rem literariam</i> <i>Slavorum &c.</i>	508
Lackmanni (Ad. Henr.) <i>de Eruditorum studio Epistolis haellenus</i> <i>impenso.</i>	446
Meyeri (Levini) <i>Poematum Libri XII.</i>	400
Millii (Dav.) <i>Catalecta Rabbinnica.</i>	29
Moylii (Gualteri) <i>Opera omnia.</i>	186
De Quintiis (Camili Eucherii) <i>Inarime seu de Balneis Pithecusa-</i> <i>rum Libri IV.</i>	109
Ramsay (Andr.) <i>Itinera Cyri.</i>	285
	<i>Disc. de Mythologia veterum.</i>
	285
Richeleti (Petri) <i>Dictionarium Linguae Gallicae. Tomi III.</i>	526
Schelhornii (Jo. Ge.) <i>Amanitates Litterariae. Tom. IX.</i>	281
Schurzleischiana, ex scholis Conr. Sam. Schurzleischii collecta ab <i>Ireneo Sincero.</i>	407
Senecae (L. Annaei) <i>Claudii Caesaris Apocolocyntosis, illustrata a</i> <i>Frid. Christoph. Neubur.</i>	229
Sinceri (Irenaei) <i>Schurzleischiana.</i>	407
Statii (P. Papinii) <i>Sylvarum Libri V, ex edit. Jer. Marklandi.</i>	377
Tolandii (Jo.) <i>Collectio variorum Opusculorum.</i>	308. 356
Walchii (Jo. Ge.) <i>Historia critica Latinae linguae.</i>	514
Wolfii (Christiani) <i>Horae subsecivae Marburgenses Anni 1729, qui-</i> <i>bus Philosophia ad publicam privatamque utilitatem apra-</i> <i>tur.</i>	322

(O)

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

A Aronis virga num Tavernio visa?	519	Ægyptiorum Medicina.	262
Abælardi (P.) vita autor quis?	407	Anatomè.	263
Abarides inter Druides Britannorum affertur.	363	Alchymia.	264
Abdominis hydratiler.	169	Dietetica.	263
Per Abissiniam iter.	396 sq.	Balsamatic.	264
Abrahami tentatio de immolando fi- lio examinata.	21 sq.	Eneis Virgilii quid denotet?	23
Abram nomen unde?	20	De Ætatio Britannæ communi stabi- liendo consultatio.	364
Academia Inquietorum Bononiæ.	217.	Aeris vis elastica unde?	253
	219	Æschylus emendatur.	157
Intronatorum Senensis.	38	Æsculapio cultus habitus.	265
a Castelvetro fundata clero		Æstus maris theoria nova.	246
Rom. spectata.	399	Æsymnetæ quinam?	148
Gallica Inscript. & Num.	399	Per Æthiopiã iter.	396 sq.
notata.	396	Ægricolæ (Ge.) Epistola de imagine Christi crucifixi Zittaviens.	409
Peloritana Messanenſis.	522	mores negligentiores.	414
Dissonantium Mutinenſis.	522, 523	Ægrippa (Corn.) magia accusatus.	414
Academix Scientiarum Bononiensſis inſcriptio.	218	Albini de offibus liber laudatus.	420
Petropolitana		Alchemia Ægyptiorum.	264
na membra.	337	Alemand (Lut. Aug.) quando natus?	527
Hebraeorum seu Societates eruditæ.	536	Alexandrini ludi.	304
Acciajoli (Nic.) vita.	523	Algebra ut docenda?	36
Acosta (Hier.) est Rich. Simon.	528	Algebrae Scriptores notati.	36
Acus magnetica declinatio in Oceano Æthiopico.	170	Algebraicarum fractionum rationa- lium ad simpliciores reductio.	172
declinatio.	275	Alferii (Ogerii) Chronica Astensia.	98
Adamantina frustra per microscopium observata.	173	Allatius (Leo) emendatur.	427
Addisoni (Jo.) vita.	393	Allatii (Leonis) refutatio fabulae de Jo- hanna Papissa recusa.	281
Ægialus Rex quando vixerit?	428	Almeida (Petrus) quis sit?	385 sq.
Ægyptii veteres num carne usi?	426	De Alfatia Landgraviis Epistola May- eri.	9
Sacerdotes, Medici.	262	Alti (Georgii) Chronicon rarum.	142
in Pathologia non excellue- runt.	263	Ab Ambeer (Levinus) vero nomine quis?	237
		Ameruzæ (Georgii) dial. de fide in Christum promissus.	60

INDEX RERUM.

Amicæ an non nisi meretrices dictæ? 36	Antii veteris res explicatæ. 156
Amioti (Jac.) vitæ autor quis? 497	Antiquitates Asiaticæ. 145
Amphitheatra num olim crebra? 303	Antliæ novæ descriptio. 169
Amphitheatri quis primus inventor? 300, 301	M. Antonii Triumviri epistola Græca. 149
De Amphitheatris, præcipue Veronens. Libri II. 298	M. Antonini Philosophi vitæ. 469
Amphitheatrum Domitiani a quibus instauratum? 202	Antononiæ in jure ut evitanda? 327
Veronense. 205 sq.	Apis ex Archivis Regibus expunctur. 428
Amsdorfius (Nic.) ex Nobili Theologus. 414	In Apocalypsin Commentarius promissus. 541
Anacreon emendatur. 155	Apocryphi notio olim qualis? 108
Anastasi Bibliothecarii vitæ Pontif. Rom. 53	Apollo Grannus quis fuerit? 362
Sinaitæ Comment. in Hexameron promissus. 60	Aposlema ventriculi sanatum. 171
Anatome Egyptiorum. 263	Apostolicæ ecclesiæ status. 478 sq.
Anatomica preparata. 64	Apostolorum methodus Christianæ religionis veritatem demonstrandi. 479
Ab Anatorum: orum inconstantiâ incertitudo Medicinæ. 500	Appetitus in anima ut oriatur? 248
Ancyranum monumentum illustratum. 149	Aqua quomodo gignatur? 247
Andræ Apostoli Pseudoacta promissa. 59	Aquarum Inarimensium color, odor, sapore & calor examinatus. 112
Pro Aneurismate instrumentum novum. 348	virtutes. 112
Anginæ cura. 464	subterranearum caloris natura examinata. 112
De Angelis Dissertatio. 63	fluentium motus controversus. 172
Anglorum Philosophia moderna qualis sit? 241	De Aquila bicipite observata. 131, 132
unde ortum tractat? 241 sq.	Aquinatis (Philippi) de 13 modis exponendi Pentateuchum liber. 30
Anguli sectionis methodus nova. 173	Arabia ab Hebræis dicta Oriens. 416
Animæ natura in quo consistat? 247	Aræ ignoto Deo posita Athenis ratio unde? 479
influxus physicus in corpus intelligibili modo explicatus. 248	Araxis duplex. 438
cum corpore unio cur possibilis? 251	Architectura veterum ex nummis. 394
D: Annæ, Matris B. Virginis, Acta. 198	Architecturæ studiosi Græci. 304
Annibal, dux calidus, an callidus? 491	Arca quid notet? 185
Antelminelli (Castrucci) vitæ scriptor. 109	Argentivi in aurum transmutatio. 245
Antiata tabula illustrata. 152	Argutiæ raro adhibenda. 515
	Aristoteles inter sanctos relatus. 411
	ejus memoria. 165
	Arithmetica numerosa & literalis explicata. 126
	In

NOTABILIORUM.

In Arithmetica universal. Newtoni Commentarii specimen.	36. 37	B in lingua Latina quando non pro- nuntietur?	185
Ex Armenia Scythica.	437	Baal & Belenus, idem Deafer.	362
Arminii (Jac.) in Jonam Comment. ineditus.	286	fuit Sol.	362
Arminii, Germanici Ducis, gesta.	3	Babel est typus Romae Antichristiana.	82
Arminiani & Sociniani ut differant?	287	Bacchus Tejorum Deur.	148
Arminianorum Scriptorum Biblio- theca.	286	Baculus ficcus florescens.	209
Armoricarum vocum, quae Hiberna sunt, catalogus.	363	Balduinus (Ben.) ex futuro Theologus.	414
Araditii (Jo.) ultima verba.	414	Balnea Pithecusarum heroico carmi- ne descripta.	109
Arnobii editio nova promissa.	60	De Balneo Ordinis Historia.	523
Artemonius refutatus.	482	insignia.	526
Articulorum motus.	75	Balneorum origines.	112
Artificium heuristicalium novum.	345	Balsamatio Aegyptiorum.	264
Artis diplomatica regule.	130 134	Baneretti Anglii quinam?	525
Asclepius an autor Medicinae?	262	Barba promissa solis Druidibus olim propria.	359
Asiaticae Antiquitates.	145	Barbeyrac (Jo.) quando natus?	527
Asteris incurvandi modus.	171	Bardorum classes olim tres.	359
Astronomia Danica promissa.	69	carmina sublimia.	359
physica J. Newtoni impu- gnata.	249. 259	genus ubi superstit?	359
observationibus physicis consentiat?	an cum	studium historiae.	359
Astronomicae observationes.	275	& Druidum discrimen.	360
Atheniensis Resp. per Minervam re- presentata.	23	Barnesius (Josua) notatus.	155
De Athletis veterum Diff.	260	Barometrorum sensibilibus historia & theoria.	433. 434
Athothis Regis Commentarii Anato- mici.	263	Baronii (Ces.) Annalium Tomus I & II in linguam Slavonicam translatus.	511
Atrophiae in muliere causa singularis.	545	Bartoloccus notatus.	30
Auberti (Petri) merita in Lexicon Ri- cheleti.	527	Baruchus, scriba Jeremiae.	103
nativitas.	528	Baruchi liber quo die lectus in Synago- ga?	104
Aversatio in anima ut oriatur?	248	autori suo assertus.	102
Augusti mensis Idus Herculis sacra.	383	cur a Canone separa- tus?	105
S. Augustino Carmen de passione Domi- ni & Fragm. de novissimis abjudica- tum.	519	Baudius (Dom.) ebrietate mortem sibi conscivit.	474
Aurum quali vi nativa instructum?	245	De Baudii (Dominici) Inductis Belg. judicium.	410
		Bayeci (Theophili Sigefr.) Orationes tres.	437
		Aaa a 2	Bay-

INDEX RERUM.

Bayly (Benj.) Tr. de immortalitate anima.	368	effectus.	419
Belenus & Baal, idem Deaster.	362	possessio ut acquirenda?	419
fuit Sol.	362	Bononiensis Scientiarum instituti fundatio.	215
In Bentivoglii Historiam bellorum Flandriae censura.	232	inscriptio, privilegium, nummi, topographia.	218
Bernardi, D. Sax. Vinar. gesta documentis illustrata.	403	In Botanica quid actum fuerit?	269
De Berger (Jo. Gotsfr.) notatus & vindicatur.	112	Bovis an bovem semper nctet?	427
Bernensis Reformationis Historia.	204	Boxhornii (M. Z.) glossa.	8
Beitrandus (Jo.) quovis octiduo S. Cena usus.	414	Brabantia illustrata.	236
Bibere in sanitatem alterius num liceat?	313	Bracteati arci rari.	143
Biblia Lutheri in linguam Sorabicam versa.	519	Brandenburgici Scriptorum editi. promissa.	452
Biblica Historia illustrata.	473	460	
Biblicum Lexicon qui scripserint?	10	A Brandis (Ad.) Comitii liber idem sub diversis titulis.	237
Biblicus Canon a quibus confectus?	530	Brenemanni (Henr.) nota in Pandectas promissa.	91
Bibliotheca Genealogica.	234	Britanniae M. Reges quando primum dici coeperint?	185
Scriptorum Armin. & Re-monstrantium.	286	De Bruffard (Seb.) quando natus.	527
Bibliotheca Capituli Moguntini Codices MSS.	132	Bruni (Jordan) vita &c. litera.	364
Fabriciana Pars VII & VIII promissa.	336	Bruschius refutatur.	197
Bibliothecarii olim servi.	153	Buckinghamii Ducis navi in expeditione in Rheam Insulam notati.	509
S. Bilihildis vita.	533sq.	Bugenhagius (Jo.) quando mortuus?	447
quando vixerit?	534	De Butkenii (Christoph.) Tropaeo Brabantia varia.	236
Bilis hemium peste necatorum examinata.	169.170	Butteil, vocis derivatio.	448
Bochartus (Sam.) notatus.	437	Byzantinae Historia corporis nova Editio promissa.	143
Bodinus (Jo.) religione Judaeorum.	232.	planta descripta.	269
de ejus Colloquio iudicium H. Conringii.	232	Calculus differentialis commendatus.	129
Boecleri (Jo. Henr.) inconstantia.	447	Calculos ex vesica extrahendi methodus nova.	171
Bonum summum est animi tranquillitas.	536	Calor corporis humani ad mensuram revocatus.	114sq.
in altera vita quod?	538	Calendarium medii aevi.	447
Boni summi requisita necessaria.	418sq.	Calen-	

NOTABILIORUM.

Calendarii veteris ratio.	153	Cari (Annib.) in Castelvetro odium.	391
nota explicata.	153	Carolus I R. Angl. num scripserit li-	314 sq.
Callimachus emendatus.	156	brum Icon Basilica?	
Callus in manu & pede per microscopium observatus.	172	Caroli Emanuelis, Sabaudia Ducis, character.	295
Calmet (Augustin.) quando natus?	527	II D. Mantuae mors unde?	296
Caloris aquarum subterranearum natura examinata.	111	Cartesiana Dei demonstratio notata.	417
theoria Mathematica.	113 sq.	Caspia & Caucaesa claustra confusa.	441
quantitas qualis?	116. 117	Castalio (Seb.) notatur.	409
Calovii (Abr.) sententia de vi magica Diaboli.	451	Castelvetri (Ludov.) vita.	389 sq.
Campani telescopiorum historia.	493.	character.	392
	499	Castitatis exemplum in cane.	325
Cananæam num recuperaturi sint Iudei?	20	Castratio virginum.	544
Cancellarii tres Archi-Ep. Moguntini.	133	Castuccii Antelminelli vita Scriptores.	100
aulæ Moguntinae enarrati.	133	Catalogi librorum componendi methodus.	239
Canis catuliens num sit lascivus?	325	Cataractæ species singularis.	144
castitatis exemplum perhibet.	325	oculi quales?	173
Canon Biblicus a quibus confectus?	530	Catarthorum explicatio.	35
Canonis sacri libri quot?	103	Cathelinot (Hildefons.) nova Bibliothecæ sacrae compendium.	168
Canonem V. T. an obsequaverit Synagoga magna?	531	Catheter novus.	349. 356
A Canstein (Car. Hildebr.) Harmonia Evangelica continuata.	540	Catopardi cisternachyli & ductus horacicus.	434
Canteinirii (Demetrii) curiositas.	440	Caucaesa & Caspia claustra confusa.	441
Systematis relig. Muhametane versio promissa.	509	De Caucaeseo muro Diss.	440
Canticum Paschale Judaorum explicatum.	24	Cecrops Aegyptius an hominum immolatione fuerit delectatus?	427
In Canticum Cant. Commentarius.	436	an bovem immolaverit?	427
Carne an vesci fuerint Aegyptii?	426	Cederlaomet Persa an Assyrius fuerit?	427
Ex Capellani (Jo.) Literis excerpta.	231	Celtarum religio unde cognoscenda?	357
De Capellano (Jo.) iudicium.	233	Celtes (Conr.) primus Germania Poeta laureatus.	414
Capilli Vestalibus cur rescissi? cur Libertis rescissi?	321	Celtica lingua autor Germanica.	7
Capitis viridis descriptio.	289	Cerinthus quando vixerit?	482
Cardinalium eruditorum elogia.	404	Cerinthiana S. Johanne refutata.	482

INDEX RERUM.

Chaldaicæ lingua ex Græca origo.	27	Cifra in antiquis diplomatibus exulanti.	131
Chamus cur in posteris punitus?	13	Cimbrorum gesta.	3
Charini (Lucii) Evangelii Fragm. promissum.	59	Circumcisio num ab Aegyptiis orta?	20sq.
Chemia unde dicta?	262	Claudius Imp. sub Trimalcionis nomine exagitatus.	239
Chemnitius (Jo. Frid.) Pomerania historicus.	496	Clemens Apostolorum amanuensis.	104
Chiliasmus Cerinthi & Papiæ diversus.	482	Clepsydræ nova constructio.	273
Chirurgicus casus singularis.	169	Clericus (Jo.) refutatus.	19. 20
Cholericæ temperamenti origo.	418	quando natus?	527
Choniata (Nicetæ) Supplementa promissa.	59	Clerici (Jo.) Comment. in Jobum promissus.	286
S. Christophori Acta.	201	Clerus sigillatus.	365
Christus in Ecclesia Patriarchali unicum fidei objectum.	17	Cleselius Card. num fuerit avarus?	294
Christi generatio an aeterna?	485	Clodovæi impietas.	4
De Christi statua dissertatio.	467	Clysteres ab Ibide ave.	263
Christianæ religionis veritatem demonstrandi methodus Apostolica.	479	Cœlestium motuum leges Keplerianæ num sint certæ?	250
Christianorum dogmatum comparatio cum Philosophia gentili caute institucunda.	283	Cœlum in terra frustra queritur.	536
De Christo testimonium Josephi examinatum.	22	De S. Coena Sermones Ephremi Syri.	539
Chyli color albus unde?	212	Cogidubnus Reg. Angl. in marmore.	185
cisterna in catopardo, phoca & elephante.	434	Coheloth, liber Salomonis explicatus.	534
Chyliferorum vasorum descriptio nova.	431. 432	quid significet?	535
origo.	431	est bibica spiritalis.	536
Chylus ut in sanguinem convertatur?	212	libri scopus.	536sq.
ut reddatur ruber?	431	Coletus (Nic.) laudatus.	51
Chymix defectus.	251	Colores corporum permanentium unde?	244
Cicero emendatus.	146	in iride ut orientur?	244
cum notis histor. & philos. promissus.	363	De Coloribus experimentum Jf. Newtoni confirmatum.	173
arti typographica occasione dedit.	364	Collateralium successu.	211
Ciceronis editis Gruteriana laudata.	410	Colleteti mors & uxores.	232
		Colorum pro varia hominum conditione ratio.	359
		Colossus quid?	302
		Rhodiiorum quando ceciderit?	426
			De

NOTABILIORUM.

De Colonia (Domin.) quando natus?	527	virium mensura & differen-	
Columba nubis & ignis typus Christi.	82	tia.	338
Coma Aesculapio dedicata.	384	Corpuscularis philosophia impugna-	245
Ganymedis.	385	ta.	
Commentariorum in scripta Mathe-		Corradini (Petri Marcellini) Latium	150
matica usus.	37	vetus continuatum.	150
Compressio ut in pleno fieri possit?	243	Cortusiorum (Guil. & Albrigi) Hist.	292
Conceptio per ovulum impugnata.	172	de Novitatibus Padue & c.	292
Concilio Hierosol. Praeses quis?	480	Cosmi seu Cosmii quinam?	148
Conciliorum editio nova promissa.	49	Cotelerius (Jo. Bapt.) laudatur.	232
editionis Harduini cen-		De Courtitz quando mortuus?	369
sura promissa.	60	Crines ut fiant rufi?	252
Concini consilia callida.	293	Crises in febribus.	269
Concubitus promiscuus quando lici-		Critici Latini.	516
tus?	325	Crollius (Oswaldus) notatus.	262
Confucii intellectus qualis fuerit?	326	Cunitix (Marie) elogium.	447
Constantini M. donatio explosa.	54	Q Curtii historia quando scripta?	410
In Constantini Jun. obitum Oratio.	491	Curva differentialis facillima constru-	
Convulsionis cognitio.	503	ctio.	328
Copernicana hypothesis demonstrata.	65 sq.	Curvarum variationis theoria.	178, 179
Copernicanae hypothesis hostes nota-		Custodiarum corporis explicati.	147
ti.	68, 69	Cuticulae generis.	251, 252
Cordis ad annum usque 50 incremen-		Cyci itinera descripta.	285
ta.	263	Czar Regem designat.	510
Corinthiacae ecclesiae schisma.	483	Czepkii (Dan.) Gynecaum Lygio-Bre-	
Corinthiaci quinam dicti?	153	gense.	138
In Corippi Libros IV de laudibus Ju-		Dacerix (Anna) elogium.	491
stini Imp. Commentarius ineditus.	286	Damasi Vita Rom. Pontiff.	53
De Cornazanis (Johannis) Historia		Danduli (Andr.) Chron. Venetum.	289
Parmensis Fragmentum.	291	Danica Astronomia promissa.	69
Corona quid sit in arbore Cabalistica?	531	Daniel (Gabr.) quando natus?	527
Corpus sine activitate quid sit?	250	Daniel Prophetia in computo errasse	
Corporis viae quod duplex?	245, 501	signatur. Judeis.	531
princeps quanam?	501	Danielem cur o Prophetis expungant	
cum mente unio cur possibi-		Judei?	531
lis?	251	Datus (Car.) laudatur.	232
humani calor ad mensuram		Davanzati (Bern.) liber de moneta a	
revocatus.	114	Tolando Anglice versus.	312
Corporum liquidorum & solidorum		versio Taciti Italica lauda-	
formatio.	247	ta.	312
		Davidis Psalmus CXL vindicatus.	107
		Definitionum natura.	417
		Dei demonstratio Cartesiana notata.	417
		Dei	

INDEX RERUM.

Dei existentia probata.	246. 419	publicorum negotiorum opti-	
attributa unde demonstrari pos-		me confici.	361
sunt?	246	Davidum historia.	356
Deltoides musculus ex 60 lacertis		nomen unde?	357
constat.	63	potestas.	358
Descendentes cur preferantur fratri		scripta in Hibernia combu-	
defuncti?	206	sta.	361
Dehardingius notatus.	114	Ductus thoracicus in elephante & c.	
Devi (Job.) litera ad Elis. Betham A.		detectur.	434
R.	183	Dupinius (El.) Græca lingua expers.	410
Deus, portio piorum in Scriptura S.		Dynamica principia Wolfiana.	345.
De Diabli vi magica sententia Calo-	538		346
vii.	451	E Bionitæ qui & unde dicti?	482
Dieteticæ Ægyptiorum.	263	Ebræi Philosophorum primi.	416
Dickinson (Edmundus) notatus.	262	Ebraicarum mulierum luxus.	277
Diepholdi (Rud.) Genealogia notis		Ecclesiæ Apostolicæ status.	478 sq.
MSS. aucta.	235	Ecclesiastica Historia plenior.	452
Dii, Medicina autores apud Græcos.		Eckardi (Jo. Ge.) Epistola ad Ignatium	
	264	Gröpp.	534
Diphthongos an veteres corripuerint		Eclipsis Solis A. 1722 observata.	173
sequente consona?	155	Luna totalis observata.	275
Diplomata Moguntina edita.	130	Lunaris observata.	442
Polono-Silesiaca edita.	139	Edere & bibere quid significet apud	
Diplomaticæ artis regulæ.	130 sq.	Salomonem in Cobeletib?	337
Diplomaticus Codex Italiae novus pro-		De Educatione liberorum apud Rom.	
missus.	101	Tract.	364
Dire Tejorum quanam?	148	Effervescentiæ causa.	251
Discendi ratio expedita.	192	De Egregoris veterum Diff.	261
Discendorum lapis Lydius.	324	Elasticitas aeris unde fit?	253
Divina domus cur dicta pro Augusta?		Elementaris systematis notio, utilitas	
	184	& exemplum.	327
Divisionum ratio.	417	Elephanti cisterna chyli & ductus	
Docendorum lapis Lydius.	324	thoracicus.	434
Domitiani Imp. nummus cum amphi-		Eleutheriæ cortex quantum contineat	
theatro.	302	resina?	171
amphitheatrum a quibus		De Elleborianis veterum Diff.	260
instauratum?	302	Eloquentiæ Rom. hoc ævo corrupta	
Dormientium septem classes tres.	201	causa.	192
Douze (Juni) Annales Belg. a S. burz-		abusus hereses produxit.	
steijschid illustrati.	409		515
Druides cur doctrinam suam litteris		symbolum olim apud Gal-	
mandari noluerint?	357. 358	los Hercules.	366
ut a Bardis differant?	360	Enneo-	

NOTABILIORUM.

Emmenologia considerata.	543	Experimenta circa bilem peste neca-	
Empiricæ sectæ scripta.	266	torum.	170
Ephemeridum Württemberg. autor		Experientia quid & num fallat?	417
quis?	237	Experimentum circa nervum opti-	
Ephreimi Syri sermones anecdoti pro-		cum.	432
missi.	509	Extensio abstracta cur a philosophia	
operum versiones, pra-		arcenda?	259
sertim Russica.	513	Ezechielis descriptio templi an genui-	
Epicycloides sphaerica.	344	na?	105 sq.
Epigrammata Graeca, a Grotio Latino		F abri (Nic.) Nota in N.T. promissa.	69
carmine reddita; anecdota.	286	Fabricii (Fr.) & Perizonii Epistola de	
Epilepsia ecstasica & mensuum suppres-		testimonio Josephi de Christo.	22
sione.	545	(Ja. Alb.) de conciliis merita.	52
Episcopias (Sam.) refutatur.	17	(Joan.) Theol. Helmst. vita &	
Epocha Germanorum mediæ ævi.	449	elogium.	333
Epson loci descriptio.	365	Fabricianæ Bibliotheca Pars VII &	
Equus contracturam passus mensua-		VIII promissa.	336
to sanguine curatur.	545	Faborum praefectus quis?	185
Erasistrati memoria.	265	collegio adscripti milites.	185
Erauli, Pauli discipuli, Acta.	199	Fabula de lupo & erinaceo.	187 sq.
Ernesti Pii D. Sax. Gotb. consecratio.	402	Febris semitertiana sedes & cura.	462
Ætæna honoraria inscriptio.	402	catarrhalis causa & cura.	462
Eruditi post mortem pro Diis culti.	284	intermittens quid?	461
Eruditionis cause certitudo &c.	140	synochi causa & cura.	463. 464
Historia specimen.	139	ardentis causa & cura.	464
Eruditorum variorum obitus.	369-372.	mesenterica cura.	464
	407	hectica vs. curanda?	268
Erysipelatis causa & cura.	463	tertiana, quartana & quotid-	
Esra Prophetæ assertus.	107. 532	ana sedes & cura.	461. 462
an Praefes Synagoga magna?	530	Febres sunt vel sanguinea vel nervo-	
num autor Masora?	532	sa.	268
Esrae Libri II priora capita XIV ge-		Febribus medendi methodus.	268
minua.	106	Febrium essentia.	268
Essenorum secta unde orta?	416	intermittentium epidemica-	
Estheræ historia autor quis?	532	rum cura.	462
Ethica spiritalis.	536	doctrina illustrata.	460
Evangelia an sub Anastasio Imp. amen-		petecbizantium causa & cu-	
data fuerint?	159	ra.	463
Eumenes Rex an pro Deo cultus?	428	inflammatoriarum theoria	
Eusebius Philopater est Jos. Sanctelici-		& praxis.	463
us.	423	Bbb b	Febrium

INDEX RERUM.

Febrium <i>symptomatiarum cura.</i>	465	Fractionum <i>algebraicarum rationalium ad simpliciores reductio.</i>	172
De Febribus <i>Tractatus.</i>	267	Ex Fractura <i>radii & ulnae mortificatio scapulae & capitis ossis humeri.</i>	169
In Febribus <i>crises.</i>	269	Fraternitas <i>Romanos inter & Lacedaemones qualis?</i>	277
Femoris <i>articulatio.</i>	78	Freindius (Jo.) <i>quo respexerit maxime in Historia Medicinae?</i>	269
Fenestræ <i>quales aptandæ testudini hemispharicæ?</i>	324	Freindius (Jo.) <i>castigatus.</i>	269
Ferri <i>virtus magnetica.</i>	171	Freta <i>in Venere detecta.</i>	492
<i>divitibus ab aere contracta.</i>	171	Frickii <i>fratres laudati.</i>	6
Festa <i>Germanica explicata.</i>	448 sq.	Friderici <i>Sap. El. Sax. somnium propheticum explosum.</i>	518
Fibræ <i>musculares per microscopia observatæ.</i>	171	De Friderico <i>I Imp. a Papa conculcato fabula refutata.</i>	63
Fibulæ <i>ligamenta.</i>	79	Frigus <i>ut noceat corpori humano?</i>	34
Figuratelluris <i>Newtoniana impugnata.</i>	248	Fulminis <i>notæ & impressiones.</i>	437
Figurarum <i>in N. T. usus frequens.</i>	164	Gaditana <i>Anglorum expeditio cur infelix?</i>	520
Flammæ <i>(Gualvanei) Manipulus florum.</i>	99	Garnerius (Jo.) <i>notatus.</i>	238
<i>Coment. de rebus gestis Azonis &c.</i>	99	<i>ejus Bibliotheca Collegii Paris. Soc. Jesu.</i>	238
Fletcheri <i>Saltoniensis character.</i>	188	Garzæi (Zach.) <i>Succesio March. Brand. edita.</i>	457
De Fletu <i>Dissertatio.</i>	500	<i>vita.</i>	460
S. Florianus, <i>Noricæ patronus.</i>	195	Gatakerus <i>refutatus.</i>	160
Florus <i>emendatus.</i>	383	Gausseni (Steph.) <i>vita.</i>	62
Fluxus & <i>refluxus maris causa.</i>	246	Genealogica <i>Bibliotheca.</i>	234 sq.
Fœderum <i>tabulæ veteres.</i>	148. 149	Genesii <i>Codex Græcus edendus.</i>	58
Fœminarum <i>Ebraicarum luxus.</i>	277	Gennadii <i>opus contra Judæos promissum.</i>	60
<i>Romanarum luxus.</i>	320	Gentilismus <i>in nummis vitandus.</i>	396
Fœtus <i>caput in utero relictum ut extrahendum?</i>	347	Gentilottus (Jo. Bened.) <i>laudatus.</i>	193
De Follard <i>Diss. de Tactica Hebræorum.</i>	168	Genu <i>articuli anatomie.</i>	77
Fontanini (Justi) <i>Dispositio Catalogi Card. Imperialis.</i>	239	Geographia <i>antiqua emendata.</i>	197
Fontium <i>origines graphice descriptæ.</i>	110	Geometrarum <i>principia moderna qualia sint?</i>	241
<i>virtutes.</i>	110	Germaniæ <i>Historia nova.</i>	2
Formæ <i>rerum diversæ unde oriuntur?</i>	245	Gersdorfæ, <i>nata Frisia, cura circa Biblia Sorabica.</i>	529
Formulæ <i>medicamentorum prolixæ improbatæ.</i>	33	Giannonius (P.) <i>defensus.</i>	423 sq.
Fortunæ <i>duplicis imago quid notes?</i>	151	<i>In Gian-</i>	
Foscarenus (Ant.) <i>innocens suspensus.</i>	294		

NOTABILIORUM.

In Giannonium (Petrum) Satyra Neapoli damnata.	123	Hæmoptyscos theoria & praxis.	225
Gladiatorum epitaphia, classet, arma.	306	Hæmorrhagia larga in gravida.	545
Glossarium Teutonicum editum.	6	omenti.	437
novum promissum.	7	Stomachi.	437
Glückii peritia linguæ Russicæ.	513	Hæmorrhoidum suppressarum effectus mirus.	544
Grabii (Jo. Em.) Diss. de variis vitiis versioni LXX Interpr. illatis edenda.	58	Hæreses ex eloquentiæ abusu orta.	515
Ad Grabium (J. E.) doctorum Epistola promissa.	60	Halonis Lunaris observatio.	275
Græci Architecturæ studiosi.	304	Hamburgerus notatus.	114
Græcorum Medicina.	264	Hammondus refutatur.	279
Grævii (Jo. Ge.) Epistola promissa.	513	Hanoveraæ familia jura in Angliam defensa.	315
Grammii (Jo.) Dissertati. V. promissa.	59	De Harduini (Jo.) Conciliis judicium.	50
De Grancis (Raynerii) de præliis Tusicæ poema.	99	De Haro (Alph. Lopez) plagiarium.	235
Grando lapidibus in Scriptura denotatur.	477	Hebræorum Academia seu Societas erudita.	536
Grannus Apollo quis?	362	Hebraicæ linguæ puncta recentiora sunt Synagoga magna.	532
s'Gravelande Epistola de Solis commemoratione jussu Josue.	478	Hebraicarum literarum vis essentialis asserta.	278
De Gravina (Dominici) Chron. de rebus in Apulia gestis.	290	mutatio an facta a Synagoga magna?	532
Gravitatis causa.	253	Hebraismi an dentur in N. Testamento?	160
Gravium directio in vortice spherico.	431	Hedlicæ causa & sedes.	465
Greenianæ Philosophiæ principia.	252 sq.	Hederæ arborea folis exuvia.	65
Grimaldus laudatur.	112	Helvetiæ Historia univ. promissa.	203
Groddeck (Gabr.) Spicilegium Autorum Rabbin. Anon. & Pseudon.	30	Reformationis Historia.	202
Gronovius (Laur. Theod.) notatur.	88	in Alemannicam & Romanicam divisio.	204
Grotius (Hugo) refutatur.	19	Helvetii methodus curandi variolas castigata.	269
Gualteriani Thesauri contenta.	517	Henelii ab Hunnenfeld (Nic.) Chronici Moslerberg. &c. excerpta.	136
Gustavi Adolphi R. Su. cædes.	296	Hepatitis cura.	464
moderatio erga Catholicos.	296	Hephæstio emendatus.	156
studium Mathematicorum Patavii.	296	Hercules eruditus.	361
nummus.	395-396	eloquentiæ olim symbolum apud Gallor.	360
		unde Ogonius dicatur?	360
		pro naturâ & virtute univ. versi cultus.	361
		Bbb b 2	Her.

INDEX RERUM.

Hermes an autor Medicina?	262	Hofex conjugium suis res symbolica.	81
Herniotomus novus.	348-349	De Hofia Sternbergensi a Judais	489
Herodotus emendatus.	157	transfusa fabula.	489
Herophili memoria.	265	Hugenii (Christ.) Poemata consenta.	232
Hessi (Sim.) liber ironicus.	142	Humeri ingentes, bene dictum.	379
Hevelii (Jo.) vita promissa.	509	Hundii (Wigul.) Genealogia Bavari.	197
Hibernix Regum cura de conservanda		Hundius (Wigul.) refutatur.	197
rerum suarum memoria.	360	ca denovo promissa.	237
Hiemis severa causa.	276	Hydatides in abdomine reperta.	169
De Hierarchia Apostolorum Diss.	483	Hyetometri descriptio.	274
S. Hieronymus an autor versionis		Hygiene quid?	503
Ruffica Bibliorum?	511	Hymnopocographia Jo. Casp. Wezelii.	234
Hierosolyma celestis quanam?	19	Hymnus quid notet?	155
Hilaritas in usu thermarum commen-		Hypochondriacum malum a partium	
data.	113	solidarum intensione dependet.	35
Hippocrates laudatur.	366	Hypotheses quatenus in Medicina ad-	
Hippocratis editio nova promissa.	46	mittende?	328
libellus de Anatomie illu-		Hysterica passio a partium solidarum	
stratus.	48	intensione dependet.	35
De Hippocrate Coo Tractatio.	265	Iacca tenuifolia crecta major non	
Sub Hippolyti a Lapide nomine quis		est nova planta.	271
lateat?	232	S. Jacobi stylis character.	165
Hispani Oratores & Poetae principui.	232	Majorti Acta.	198
Historia Philosophica.	414-415	Epistola ut cum Paulinis con-	
Historia Eccl. apud Protestantis ple-		stitianda?	480
nioris edende consilium.	94	Jacobi quot fuerint celebres tempore	
Eruditionis specimen.	139	concilii Hierosolymitani?	481
disciplinarum usus.	258 sq.	Janolinus (Julius) laudatur.	110
scribenda quis non idoneus?	293	Javorskius (Steph.) refutatur.	465
patrie studium apud Brito-		ejus in Pontificem Rom. as-	
nes & Hibernos.	359	sectur.	466
Philosophica divisio.	415	vita & obitus.	226 sq.
Imperii Rom. Germ. techno-		Ab Ibide avu clysteres.	263
graphia.	141	Index definitio.	417
Historicus num judicare de rebus de-		ut acquirantur?	417
beat?	232	quotuplices dentur?	417
Hoffmannus (Frid.) laudatur.	259	Idiotismus falso dictum pro idioma-	
Homborgius refutatur.	21 sq.	to.	535
Hookeri (Ge.) Opera promissa.	59	Idololatrarum cruditorum quot den-	
Horticultura veterum descripta.	445	tur species?	412
Horus an autor Medicina?	262	Jeho-	

NOTABILIORUM.

Jehovah, nomen quid notet?	20	luminis causa.	246
Jehunia quatenus probanda?	466	Ingeniorum delectus habendus.	192
Jephthæ filia num immolata?	427	Ingentes humeri, recte dictum.	379
De Jerusalem urbe varia.	477	Injuria alicujus duplici sensu dicitur.	
De S. Iguatii Codice Epistolari Mediceo			492
Epistola dua.	183	Innocentii I P. M. Acta.	199
Ignis sacer perpetuus unde ad Gentiles		Inscriptionum veterum brevitatis	
pervenit?	321	nummis laudata.	395
quomodo gignatur?	247	Inspiratio an pugnet cum obscuritate?	
Igni cur templa consecraverit Zerdushtus?	108		476
Ignes a tectis arceret quis e sanctis creditur?	195	De Instituti Scientiarum Bonon. fundatione Acta legalia.	218
Ilmanni (Gothofr.) Calendarium ineditum.	448	Instrumenta Musæca unde orta?	427
Imaginatio quot nomina sortitur?	417	Insula nova terra motu in mari enata.	173
Imagines an templis ejiciant Lutherani?	467	Intellectus definitio.	416
De Imitatione Dissert.	516	systematici notio.	325
Imperator Jupiter Urius dictus.	146	exempla, prærogativa & differentia a non systematico.	326
Imperatoris jus circa sacra.	508	Interpretum Alexandrin. ignorantia accusata.	25
Inarime, oppidum heroico carmine descriptum.	109	Intronatorum Academia Senensis.	389
Inarimentium aquarum color, odor, sapor & calor examinatus.	111	Jobus num fuerit chymicus?	264
virtutes.	112sq.	Johannes III R. Pol. filium e manibus Turcarum eripuit.	297
Inarimes insule nomen, conditores, sæli temperies &c.	110sq.	S. Johannis Epistola II ad quam sententiam scripta?	61
Incessus & status hominis ut contingat?	75	stylis character.	165
Incommensurabiliunt theoria singularavit.	174	Evangelii exordium quibus hæreticis oppositum?	482
Indulgentiæ quando vendi capta in Helvetia?	203	Josephus ab Arimathia Anglorum Apostolus.	182
Infiniiti imaginarii theoria evoluta.	129. 174sq.	notatus.	428
Infiniitum in viribus motricibus expressum.	181	Josephus testimonium de Christo examinatum.	22
Inflammationis ventriculi cura.	464	Josue victoriarum epocha difficulter constituenda.	478
Influxus lunaris unde?	246	Jovis satellitis immersiones observate.	
animæ in corpus physicus intelligibili modo exploratur.	248		275
		De Ira carmen laudatum.	400
		Irenæi editio nova promissa.	59
		Iris an fuerit ante diluvium?	18
		Iridis colores ut oriuntur?	244
		Iride	

INDEX RERUM.

Iride ornatus Messias representatur in Scriptura S.	18	Lacrymæ unde habeant originem?	500
Isaacus typus Christi.	82	De Lacrymis Diff.	500
Isis an auctor Medicina?	262	Lamechi pietas asserta.	542
Ita scriptum est, formula quid notet?	104	Laminus Pritanus quis?	97
Italiae Codex diplom. novus promissus.	101	Lampius notatus.	482
Iter Asiae poeticum.	150	Lapides in S. Scriptura grandinem nctant.	477
Judæi quibus argumentis ab Apostolis refutati?	479	Lapidum cumuli magni quid notent? quem usum o-	362
Jupiter Urius dictus Imperator.	146	lim praestiterint?	362
Juramentum Gortyniorum.	149	Latinae linguae Historia Critica.	514
De Jure reformandi Tr.	504	usum apud Patres &	
Juris naturæ definitio Ulpiana expli- cata.	325	Latios.	515
Gentium definitio in Corpore		praestantia.	515
Juris explicata.	325	pronuntiatio & or-	
(Civilis definitio Ulpiana expli- cata.	325	thographia.	515
Juris vita & necis origo.	505	exercitia varia.	517
peritia an juris prudentiae oppo- nenda?	519	Latinitas forensis expurganda.	192
Jus Naturæ ad usum legum civil. appli- catum.	84	plebeja qualis?	519
Civile Justinianum quomodo in Systema redigatur?	527	Latium vetus profanum illustratum.	150
De Justificatione articulum cur impri- mis urserit Paulus?	450	Lauenburgicus a cede Gustavi Adol- phi absolutus.	296
Juvenalis emendatus.	383	Laureacensis Historia.	194
K Anzow, Pomerania historicus.	406	sedes cur apud Patavi- nos constituta?	196
Karaitæ Scriptorem Saeculo IX antiqui- orem non habent.	531	quando eo plane translata?	197
Scriptores ignorantes.	531	Leges emendatæ & illustratæ.	88-91
AKempis (Tb.) emendatus.	518	L. 2 J. de usufr.	213 sq.
Keplerianæ leges motuum caelestium num sint certæ?	259	3 ff. de ritu nupt.	209
Kepleri problema solutum.	341-342	6 §. 1 ff. de contin. tutela.	214
Klempzow Pomeraniae historicus.	406	7 C. ad SC. Tertull.	209
		8 C. de impuber. & alior.	214
		Leibnitii (G. G.) notæ subitaneæ ad li- brum de Christianismo mysteriis carente.	368
		Lelandi (Jo.) Itinerarii raritas.	185
		Leopoldus Imp. cur pacem cum Tur- cis maturaverit 1664?	296
		De Leucio haeretico Diff. promissa.	59
		Leu-	

NOTABILIORUM.

Leuthingeri (Nic.) operum raritas & elogium.	453	Ludi Alexandrini.	304
vita.	458	Ludolphus (Jobus) refutatur.	397
Lex oralis Judæorum quænam? quando & a quibus aucta?	530	Lumen ut transeat per vitrum?	243
Lexicon Biblicum.	10	Luminis radii num per lineas rectas recte represententur?	254
qui scripserint?	19	heterogeneitas Newtoniana impugnata.	244
Lezneri (Jo.) Narratio de reformatione Eccl. Luther. Getting.	61	influxus causa.	246
Librorum combustorum exempla.	281	reflexionis & refractionis Newtoniana, Cartesianæ & Leibnitiana explicatio impugnata.	254
Lichenis Eryngii folio. figura.	271	Lunæ & Saturni conjunctio observata.	275
Licnis reptio testalis.	437	eclipsis observata.	442
Ligamentum Poupartii non datur.	420	macula phænomenon singulare.	494
Ligamenta num sint partes exsangues?	64	In Lunam fiat mutatio, ut detegendum?	494
Ligamentorum usus.	75	Lutheranismi in Gallia historia promissa.	69
Linearum tertii ordinis enumeratio demonstrata.	37	Lutherus qualem habuerit vocationem?	468
De Lingua Teuton. origine Diff.	7	Lutheri Autographa continuata.	142
De Linguis varia.	141	Lux borealis duplex.	435
Lipsius (Justus) unde stylum corripuit?	409	Luxus mulierum Ebraicarum.	277
ejus imitatio dissuadetur.	409	Romanarum.	320
Liquidorum corporum formatio.	247	Lyserus (Polyc.) laudatur.	515
Literæ minuscule in MSptis, cujus atatis indicium?	183	M acariorum XLII Historia promissa.	59
Pro Lithotomia machina nova.	349	Maecabæorum Liber III.	108
Lobineau (Guido Alex.) quando natus?	528	Machinæ phænomena Veneris representantes.	496
In Logica usus Matheos.	418	Maculæ Lunaris phænomenon singulare.	494
Logicæ definitio.	416	in Venere ut observandæ?	495
Longitudo loci cujusdam in America emendata.	169	Macularum Solarium ratio num habenda sit in Meteorologia?	275
Longobardiæ origines.	331	in Venere accurata descriptio.	495
Ad Lottium (Lucam) Epistole editæ.	446	Magi fuere Arabes.	416
S. Lucæ styli character.	164	Magia veterum qualis?	263
Lucanus notatus.	441	Magiæ artis apud Druides signum lituus.	358
De Lucio, Norici Apostolo, fabula.	194		
Lucis borealis descriptio accurata.	435		
causa.	436		
Lucretii imitator novus.	109		

INDEX RERUM.

Magistratus politicus an sit iudex com- petens errorum in Theologia? 313	Matutæ Matris templum. 152
Magnetis (Macaris) fragmenta pro- missa. 59	Maucoceni (Franc.) ob Peloponnesum superatam præmia. 297
A Magogo an Scythæ? 437	S. Maximiliani martyrium & reli- quie. 195
Magorum in Media & Persia origo. 108	Mayeri Epistola de Landgravia Alsa- tia & Werde. 9
Majoli (Sim.) Dies caniculares lauda- ti. 409	Mechanicæ principia examinata. 340
Majoragii (Ant.) Epistola promissa. 509	Meclenburgici olim creduli. 488
Malabarorum Medicina. 264	Medici Sineses, empirici. 264
Malachiæ prophetia num genuina? 317	beroes. 264
Malaspina (Jof.) laudatus. 98	Philosophi & poeta. 265
Malleoli ligamenta. 79	fugillati. 366
Malum summum quodnam? 537	ut Astronomos imitari debē- ant? 327. 328
Mansfeldius, laudas conditiones sper- nit. 294	requisita. 267
S. Marci styli character. 165	Medicum naturam sequi decet. 267
Marcklandus (Jer.) laudatus. 382. 383	Medicina antediluviana. 261
notatus. 384	Sinensium. 264
Marcomannicum bellum. 4	Egyptiorum. 262
Maris fluxus & refluxus causa. 246	Græcorum. 264 sq.
Maris imperium Angliæ ex Neptuni templo assertum. 184	Salomonis. 265
Maria in Venere detecta. 497	Malabarorum. 264
Marium in Venere descriptio a quibus & cur frustra tentata? 498	Persarum. 265
Marfilii (Aloyfii Ferd.) Com. liberali- tas. 215 sq.	rationalis systematica. 460
servitus apud Turcos. 218	quid? 501
Museum & Bibliotheca. 219	Geometrarum more demon- strata. 501
S. Martinus, Episcopus Pannonia. 195	In Medicina quatenus admittendæ hy- potheses? 328
Masoræ origo. 532	hypotheses nil valent. 267
Materia similis rejecta. 242	Medicinæ Historia nova. 258
quando comprimatur? 243	instauranda principia. 328
Materiæ essentia vera. 247. 250. 252	autor an Deus? 261
Medica historia. 31	incertitudo. 500
unius ab altera differentia. 243	Gymnastica inventor. 265
Matheseos usus in Logica. 418	Elementa more Geometra- rum demonstrata promissa. 501
in Medicina. 500	partes duæ. 501
S. Matthæi styli character. 16	definitio. 501
	imperfectio unde? 267
	divisio in tres partes quan- do facta? 266
	Medi-

NOTABILIORUM.

Medicorum dogmatum historia. 260	Militis historici exemplum. 98
De Medicorum veterum ingenua conditione controversa in Anglia. 260	Millii (Dav.) formularum disputanda Talmud. explicatio. 36
Medicamentorum vires ut exploranda? 31. 32	Milonas liber de laude pudicitiae promissus. 60
<i>formata prolixia</i>	Minerva Graeci <i>tyra</i> dicta. 428
<i>reprobata.</i> 33	Minervae inscriptio explicata. 23
<i>notitia ex morbi</i>	Miracula apud Meclenburgenses olim venditata. 489
<i>historia petenda.</i> 33	Moabitarum historia descripta. 278
Medicus quomodo in observando fiat accuratior? 328	De Moabo mystico Diss. promissa. 279
Mela (Pompon.) Plinio antiquior. 238	Moderatio Scriptoris qualis esse debeat in censendis aliorum erroribus? 475
Melancholici temperamenti origo. 418	Megantia diplomatica edita. 130
Menagii (Ægid.) vitia. 232	Molineusius, Theol. Anglus, laudatur. 312
Ad Menckenium (J. B.) fasciculi per quos curandi? 376	Molleri (Dan. Guil.) Comm. de Technophysiotameis. 239
Mendo (Andr.) notatus. 524	Monachi num fuerint tempore Apostolorum? 483
De Mendoza (Ferd.) Comm. de Concilio Illiberitano confirmando. 53	Monadelfæ (Ludov. Bonovalis) Annales Roman. fragmenta. 209
Mensium suppressionis effectus. 545	De Moneta Veterum Anglorum Diss. 182
De Menstruatione doctrina examinata. 543	Monetam novam & veterem quid inter sit? 395
Menstruato sanguine infecti lintei, equo in potu porrecti, vitæ singularis. 545	De la Monnoye (Bernh.) quando natus? 528
Mensuræ virium viva impugnata. 170	Monogrammatum usus quando deservit in Imp. diplomatis? 131
Mentis cum corpore unio cur possibilis? 251	Morbi definitio. 501
Mercurius cur in barometro ascendat? 254	<i>causa in partibus solidis haeret.</i> 34
Messalæ libellus de progenie Augusti editus. 491	Morbilorum causa & cura. 462
Metallum ut generetur? 247	Moreriana editio ultima a quibus curata? 528
Meteorologicæ observationes. 40. 275	<i>nova promissa.</i> 528
Meteorologici observatorii apparatus. 274	Morigæ (Bonincontri) Chronicon Modiciense. 292
Methodi integralis specimina singularia. 343. 344	Mortis definitio. 501. 502
<i>precocis regule damnata.</i> 343. 344	Mortuos sanguine delectari, gentilibus persuasum fuit. 300
Michaelis (Jo. Theoph.) vitæ Tschirnhausiana conficiendi nova ratio. 144	Morum nostri avi historici desideratur. 97
Miles perpetuus an Anglia proficiat? 187	

INDEX RERUM.

Moseri (Jo. Jac.) Bibliotheca MSptorum. 239	Musculorum motus theoria nova. 432
Moses num fuerit chymicus? 264	convulso ut investiganda? 503
De la Motte (Ant. Houdart) quando natus? 528	usus. 75
Motus aequalitas in elepsydri ut in mari conservetur? 272	vires. 76
musculorum theoria nova. 432	Musculorum corporis humani Squadrupedis comparatio. 419
vertiginis Veneris quanto tempore absolvatur? 499	De Musculorum motu nova theoria. 432
Motus aquarum fluentium controversus. 172	Musica instrumenta unde orta? 429
abstractus, qualem Mathematici concipiunt, non exstat. 244	Mutinensia Chronica edita. 97-98
notio realis. 244	Mysterium quid notet? 31
theoria Mathematicorum num phaenomenis natura explicandis inserviat? 244	num in N. T. detur? 31
quibus navis laboret? 245	De Mystici sensus criteriis Diff. 80sq.
systema novum. 245	Mythologia veterum explicata. 285
corporum ex percussione theoria recepta rejicitur. 247	N azaræi ut ab Ebionitis differant? 482
perpetuus in celo unde oriatur? 247	Neapolitana Historia P. Giannonii contra Satyram Eusebii Philopatri vindicata. 423
Motuum caelestium leges Kepleriana num sint certa? 250	Nebucadnezaris statua explicata. 24sq. 26
in corpore animali causa. 252	De Negationibus Pandectarum Meditatio. Critica. 85
Moyle (Gualterus) castigatur. 185	De Neocastro (Barthol.) Historia Sicula. 522
ejus vita & scripta. 186sq.	Nephritidis cura. 464
Mundus an sit annihilandus? 17	Ex Neptuni templo imperium maris Anglis assertum. 184
De Murano (Bonifacii) Chronicon Mutinense. 98	Newtoni (Is.) Philosophia impugnata. 242
In Muretum (M. Ant.) liberalitas Gregorii XIII Pontif. 192	pro vacuo argumenta discussa. 242, 243
De Muro Caucasico Diff. 440	inventis qualia sint? 248
De Musæis rei vestiaria & bellica veterum exstruendis consilium. 394	philosophandi methodus improbata. 250
Musculi intercostales contracti an sint longiores? 421	experimentum de coloribus confirmatum. 173
actio qualis. 420	Niagarae, fluvii in Albania lapsus. 170.
Musculus cephalopharyngeus non est peculiaris musculus. 421	Nicaules num sponsa in Cantico? 486
	Nicephori CPTani opus ineditum promissum. 59
	Nice-

NOTABILIORUM.

Nicero (Petrus) autor Commentar. de viris eruditiss.	371	Opuntia Americana spi.iosa exuvia.	64. 65
Nicetas Choniatae Supplementa promissa.	59	Oraculorum responsa poetica quibus debeantur?	147
Nicolaitae qui & unde dicti?	481	Orationes longiores cur in Historia toleranda?	522
Nimbi effectus violenti.	172	Oratores Hispani praecipui.	232
Nizolius notatus.	409	Oratoris definitio.	192
Noachus num phosphoro illustraverit arcam?	262	Ordo rotundae tabulae fabulosus.	524
Nobilitatis Germanicae natura.	133	Ordinis jus in successione militaris de Balneo Historia.	211
Nordlingenis cladis causa.	296		523
Norici veteris fines & fata.	194		insignia.
Notae Calendarii veteris explicatae.	153		526
Ad Novi Test. futuros Editores Admonitio.	11	Ordines equestris e Germania arcerendi.	524
Nubes vox pro coma.	384	Osiris an autor Medicina?	262
Numeri in Scriptura S. subinde exciderunt.	23	De Ostuna Pro-Regis Neap. consilia.	294
Hebr. eorum sunt originis Graca.	25	Ovis partes genitales.	172
De Nummis Dialogus elegans.	394	P in lingua Latina quando non pronuntietur?	185
In Nummis ereis cur olim rerum memoria conservata?	395	Pacis Tractatum usque ad Ultrajectinam Sylloge.	371 sq.
Nutritio ut fiat?	220. 221	Palmerii (Matth.) vita Nic. Acetajosi.	523
O bscuritas an pugnet cum Inspiratione?	476	Palthenii (Jo. Phil.) Epistola de Papisia commentitia.	281
Observationes Meteorologicae. 40.	275	Pandectae Florentinae cui primum memorata?	99
Astronomica.	275	De Pandectarum negationibus Tr.	85
Observatorii Meteorologici apparatus.	274	Pannonicae veteris fines & fata.	194
Obstructionum generis.	222	Pappaeus, Deus Scytharum.	437
Odoris causa.	250	Pappii (Jo.) Synodicum.	53
Oeconomia veterum descripta.	445	In Parabolis sacris conjecturis non indulgendum.	278
Ogonius Hercules unde dictus? idem ac Hercules eruditus.	360	Paracenthesis in ulceribus pulmonum est instituenda.	226
Oleum citr ex animalibus & vegetabilibus elici posse?	251	Parallaxis Veneris quanta?	499
Omenti haemorrhagia.	437	orbis annui a quibus tentata?	66
Opacitas corporum unde oriatur?	244	detecta &	67 sq.
Ophthalmiae cura.	464	quanta?	69
Opticae principia recepta impugnata.	255		

INDEX RERUM

Parentheses in N. T. frequentes.	13	Styli character.	165
Parhelion.	171	Petri I Imp. Russia moderatio circa religionem.	226
De Parisiis quinam scripserint?	429	Petropolitane Scientiarum Academia membra.	337
Paschale canticum Judaeorum explicatum.	24	Pezronius castigatus.	359
Patavium quando sedes Laureacensis translata?	197	Pfochenius refutatus.	160
Pathologia Aegyptiorum.	263	Phaenomenorum natura causa generales.	247.248
ejus definitio.	502	Pharisaeorum secta origo.	416
Physiologia jungenda.	503	Pharmacopolae fugillati.	366
Patritii, Apostoli Hiberni, in Druidum scripta servor.	361	Philippi Imp. littera rarissima. Thessalia & Macedonia urbes diversa.	131 154
Pavimenturae vox adhuc inaudita.	153	Philomatores quinam?	147
S. Paulus cur praecipue urserit articulum de justificatione?	480	Philosophi principes Christiana religionis hostes.	479
S. Pauli Epistola ad Coloss. illustrata.	482	Medici.	265
Styli character.	165	Philosophia corpuscularis impugnata.	245
Rax Westphal. circa jus reformandi explicata.	507	Is. Newtoni qualis sit? 250 quando ad vitam utilis?	323.324
Peccatum in Filium hominis quodnam?	451	Anglorum moderna qualis sit?	241
Pectoris vulnera novo instrumento ut dilatanda?	347.348	unde orta?	241sq.
Le Pelletier de veterum monetarum et mensurarum ad nostras reductione opus promissum.	167	Philosophiae definitio.	415
Peloponnesiacus cur dictus Franc. Maurocenus?	297	divisio.	415
Periander ex bono Medico malus Poeta factus.	192	Greeniana principia.	252sq.
Periostium ex vasculis ab osse prodeuntibus componitur.	171	ad publicam privatamque utilitatem apta habitus.	323.
Peripnevmoniae cura.	464	Wolsana indoles.	323
Perizonii & Fr. Fabricii Epistola de testimonio Josephi de Christo.	22	a Leibnitiana differentia.	324
Perlarum Medicina.	265	Philosophica Historia ad Apostolica scripta intelligenda conducit.	283
Pelle defunctorum anatomica bilis examinata.	170	quotuplex?	415
169-172		Phlegmatici temperamenti origo.	418
extincti sanguis canis vulnere instillatus hunc perimit.	172	Phlegon Trallianus suspectus.	428
Pestis causa & cura.	463	Phocae cisterna chyli & ductus thoracicus.	434
S. Petri Pseudoacta promissa.	59	Phos-	

NOTABILIORUM

Phosphorus mercurialis. ut. obineatur?	274	Pondera Hebraeorum sunt originis Græcæ.	25
Phrenitidis causa & cura.	464	Pontificatus anni in diplomatibus ut computati?	131
Phthisis pulmonalis.	220. 222	Pontificum Historia per nummos commendata.	396
curatio.	223	Pori corporum rejecti.	243
Physiologia definitio.	502	Porphyrius cur dictus Bataneus? non fuit Apostolus.	62
Picherelli (Petri) Nota in N. T. promissa.	60	Potio piorum Deus in Scriptura S.	538
Pileorum usus monachis in templo indultus.	183	Prenominum duorum usus quando invaluerit?	131
Pincetæ de Tautenburg.	133	Prætextulus quis?	386
Pinguedinis examen.	171	Priorius (Phil.) laudatur.	232
particula per microscopia observata.	171	Problema Keplerianum solutum.	341.
Pistorienses Annales.	99	Procellarum causa.	342
Pithécussarum balnea heroico carmine decantata.	109	Promontoria in Venere detecta.	497
Planisphærii Veneri constructio.	497	Propertii editio nova promissa.	385
Plantæ Byzantinae.	269	Psalmus CLI vindicatus.	107
Orientalis.	239	Psalterium Salomonis.	107
Plarrius (Ern. Mart.) laudatur.	454	Psephisma Lacedæmonum.	148
Plato num fuerit aibeus?	282	Psychometrice possibilitas asserta.	248
Platonis memoria.	265	Ptolomæi Historia Eccles.	100
De Platonis Atheismo Diss.	282	Evergetæ monumentum.	146 sq.
Πλάτων quid notet?	277	Pubertatis instantis signa in virgine.	544
Plethonis (Ge. Gemistii) opuscula promissa.	60	Pulicis (Conforti) Annal. Vicent. fragm.	527
Pleuritidis cura.	464	Palmona a annua solis Echii scopioidis nova planta non est.	272
Poeseos Professores olim mille.	359	Pulmonum usus & structura.	222
Poetæ Hispani præcipui.	232	Ex Pulsu signa.	269
Medici.	265	Purgatorium unde acceperint Patres Ecclesia?	405
Poetriæ Pomeranae celebres.	406	Purgatorii origo qualis?	452
Polonicaque rerum Scriptores nuper editi.	134	Purum festum an Synagoga M. instituerit?	532
Polonus (Mart.) mutilatus & corruptus.	410	Purpuræ causa & cura.	463
Polybius de minutissimis sollicitus.	365	Pyrum saccharinum evisceratum.	65
Polygraphorum exempla.	192		
Pomerania docta.	405		
Pomeraniæ historici nuper editi.	91		
Historia anecdota.	406		
Poetriæ celebres.	406		
Ex Pomorum specie saccharum.	173.		
	174		

INDEX RERUM.

Q uadratricis <i>Tschirnhausiana</i> u- sur. 341	Remonstrantium <i>Scriptorum Biblio-</i> <i>theca.</i> 286
Qualitates corporum unde sint? 250	Repræsentationis <i>Jus quod?</i> 297 quando locum habeat? 208
Qualitatum sensibilibus origo. 242	Resinæ quantitas in cortice eleuthê- ria. 171
Quirinus num Episcopus Laureacen- sis? 195	In Rheam Insulam expeditio Anglo- rum cur infelix? 520
R adii luminis num per lineas re- ctas recte represententur? 254	Rodenbergii (<i>Constantii</i>) arrogantia inepta. 447
Ragotzius (<i>Georg.</i>) cur exciderit Re- gno Polonia? 296	Romanensium fabularum usus probi- bitur. 99
De Raminia, Pomerania historicus. 406	De Rosieres (<i>Francisci</i>) fata. 235
Raparum exuvia. 64	Rositzii (<i>Sig.</i>) Chron. Episc. Uratii. 134
Rapoldi (<i>Dan.</i>) <i>Historia Silesiaca</i> epi- tome. 134	Rostgaard (<i>Frid.</i>) <i>Methodus componen-</i> <i>di Catalogum Bibliothecæ.</i> 238
De Raritate librorum <i>Diff. promissa.</i> 143	Rotgerii (<i>Edzardi</i>) <i>Diff. de signis seu</i> <i>notis Pandect. Flor. promissa.</i> 215
Redusius de Quero (<i>Andr.</i>) <i>Historicus</i> <i>plagiarius.</i> 291	Rudolphi <i>Habsb. Imp. diplomate nul-</i> <i>lum exstat antiquius.</i> 131
Reflexionis luminis explicatio <i>Carte-</i> <i>siana, Newtoniana & Leibnitiana</i> <i>impugnata.</i> 254	Rugix Principatus finium <i>Historia.</i> 93 <i>Historici.</i> 93
De Reformandi <i>Jure Tract.</i> 504	Ruptio lienis. 437
De Reformatione <i>Scriptorum Spicile-</i> <i>gium.</i> 141	Russicæ Eccl. cum Protestantibus <i>Con-</i> <i>cordia tentata.</i> 466
Refractionis luminis explicatio <i>Car-</i> <i>tesiana, Newtoniana & Leibnitiana</i> <i>impugnata.</i> 254	<i>Historia Schismatica pro-</i> <i>missa.</i> 509
Reguli (<i>M. Attilii</i>) mors tragica, fa- bula. 365	S abellianorum de Trinitate senten- tia. 484
Reinesius (<i>Th.</i>) laudatus. 232	Sacerdotum veneratio apud <i>Druides.</i> 157
Reinesii (<i>Th.</i>) <i>Vocabularium Theoris-</i> <i>cum.</i> 8	Sacharum ex pomis confectum. 174
Religio Principum imperio non subest. 505	Sadduceorum sectæ origo. 416
Religionis in Republ. usus. 320	Salis Ammoniaci spiritus cur aurum precipitet? 251
<i>Christiana veritatem de-</i> <i>monstrandi methodus Apostolorum.</i> 479	Salomonis liber, <i>Cobeletb.</i> explicatus. 534/9.
<i>exercitium simultaneum</i> <i>Paci Westph. repugnat.</i> 508	<i>Psalterium.</i> 107
Reliquix <i>Servatoris Meclenburgicæ.</i> 488	<i>Medicina.</i> 265
	In Salomonis <i>Proverbia Scholia anti-</i> <i>quæ promissa.</i> 67
	Sal-

NOTABILIORUM.

Salmonis (Franc.) Tr. de conciliis re- cusus. 50	litera de Jord. Bruni vita &c. 364
Bibliotheca instrumento- rum Eccl. promissa. 61	Scipio Asiagenes quis? 491
Salzmanni (Jo.) peritia anatomica laudata. 76	Scolotos, Regum cognomentum. 438
Saunfonis Acta. 200	Scripturae S. libri quidam cum libris Scriptorum profanorum comparati. 159
Sanderfonius, Ep. Anglus, laudatus. 185	ceulibri Classici de- fensi. 158
Sandrasii (Gatten) mors & scripta. 369	Dictionarium. 166
Sanfelicius (Jos.) censura subiectur. 423	Loca explicata & illu- strata:
Sanguinei temperamentis origo. 418	Genes. VIII, 13-22. 17
Sanguis post gravidationem per pa- pillas profuens. 544	21. 82
Sanitatis definitio. 501	IX, 8-17. 18
Sannazarius (Jac.) quot annos insum- serit poemati de partu virginis? 192	25-27. 18
Sarkinasiana laudata. 408	XI, 4. 279
Satellitae Jovis immersiones observa- tae. 275	XII, 1, 2, 3. 18
Saturui & Lunae conjunctio observata. 275	XIV, 18. 279
De Satyris, triumphantibus occini so- litis a militibus Rom. Diff. 322	XV, 1-6. 19
Scalichii (Pauli) Scripta rara. 281	XVII, 1. 20
Scaligeri (Jos.) Nota in N. T. promissa. 60	1-4. 20
Skeleton quid notet? 263	5, 6. 20
Schedelii (Hartm.) Chronicon. 142	7, 8. 20
Scheningae urbis Historia. 399	XXII, 1-10. 21
Schoenaugienae diplomatarium. 132	XXXVI, 24. 279
A Schoenleben (Jo. Lud.) obitus. 237	Exod. XXIII, 20, 21. 485
Scholarii (Ge.) opus contra Judaeos promissum. 60	XXV, 31. 29
Schrammii (Jo.) Genealogia Ducum Lignicensium &c. 138	Levit. XIV, 2sq. 81
A Schratenbach (Wolfg. Hannib.) Car- eologium. 404	Deut. XXVIII, 66. 542
Schurzfleischiana sub censuram missa. 408	1 Sam. XIII, 1. 23
Scioppii (Casp.) Stemma Austriacum notatum. 237	XV, 4. 279
	XXX, 7. 279
	2 Sam. VII, 12 sq. 542
	1 Reg. VI, 1. 22
	28. 26
	XIX, 11, 12. 278
	Psalms. XVII, 4. 542
	XLVI, 1sq. 159
	CIII, 5. 62
	Prov. XVI, 4. 450
	Cantic. VI, 8. 487
	VII, 1, 3, 9. 487
	Loca

INDEX RERUM.

<i>Loca explicata & illustrata.</i>			
<i>Esaie</i>	III, 24.	277	<i>Phil.</i> III, 8.
	XX.	27	<i>Coloss.</i> II, 18, 19.
	XXXIII, 18.	279	III, 11.
<i>Jerem.</i>	XI, 11.	542	<i>1 Tim.</i> III, 15.
<i>Dan.</i>	II.	24	<i>1 Job.</i> II, 27.
	XI, 7, 8.	147	<i>1 Petr.</i> II, 14.
<i>Zachar.</i>	V.	27	<i>Hebr.</i> I, 5.
<i>Cobel.</i>	III, 19, 20, 21.	538	II, 11.
	V, 7, 8.	538	XI, 8.
	VI, 9.	538	9, 10.
	VII, 16, 17.	539	XII, 17, 18, 19.
<i>Maccab.</i>	XII.	277	XIII, 13.
<i>Matth.</i>	IV, 5-8.	450	<i>Jac.</i> III, 14.
	V, 22.	529	<i>Apoc.</i> XVIII, 2.
	XIII, 47.	280	<i>In Scriptura S. num dentur solacism?</i>
	XXII, 2.	160	158 sq.
	XXVII, 38.	16	barbarismi nulli.
<i>Marc.</i>	XI, 28-30.	41	<i>Scythæ ex America.</i>
	XIII, 19.	162	<i>Scytharum origo & prisca sedes.</i>
<i>Luc.</i>	XII, 50.	81	<i>A Scythiis an orta lingua Germani-</i>
<i>Job.</i>	I, 9.	518	<i>ca?</i>
	16.	277	num orti Sorabi?
	IV, 1.	162	<i>Scythiæ situs tempore Herodoti.</i>
	20, 21, 22.	278	<i>Sectionis anguli methodus nova.</i>
<i>Astor.</i>	III, 12.	480	<i>De Seifridi (Jo.) Arbore Anicia judi-</i>
	VII, 34.	160	<i>cium Ferdinandi II Imp.</i>
	40.	162	<i>Seleuci Callinici monumentum.</i>
	IX, 5.	163	<i>Semioticæ definitio.</i>
	X, 43.	480	<i>Seneca (L. Annaeus) emendatus.</i>
	XIII, 20.	22	<i>De Senecæ (Banderon) quando natus?</i>
	XVII, 18.	283	527
	22.	179	<i>De Sepulcris suppositiis tractatus.</i>
	XXVI, 22.	161	517
	24.	519	<i>Sepulturæ locus olim qualis?</i>
<i>Rom.</i>	XIII, 11, 12.	543	<i>in templis usus quando in-</i>
<i>1 Cor.</i>	I, 29.	279	<i>valuerit in Anglia?</i>
	III, 15.	451	185
	VIII, 1-4.	12	<i>Serierum infinitarum methodus per-</i>
	XI, 10.	63	<i>felix reddita.</i>
	XV, 29.	62, 451	<i>theoria generalis.</i>
<i>Gal.</i>	III, 19.	13	<i>Servorum veterum ministeria in tabu-</i>
	V, 15.	163	<i>la designata.</i>
			153
			<i>Siberi (Urb. Gorbosr.) Historia XLII</i>
			<i>Macariorum promissa.</i>
			59
			Sigilla

NOTABILIORUM.

Sigilla quando diplomatibus ipsi im- pressa? 131	Spinosa (Ben.) moribundus Deum an- helavit. 409
Sigillarum usus quando fuerit? 130 sq.	S. Spiridionis, Corcyra Patroni, elo- gium. 405
Sigonius (Car.) humaniora docuit. 390	Spiritus S. an præter divinam habeat etiam naturam finitam? 485
Silesiæ Ducum Genealogia illustrata. 136 sq.	Spiritus cur ex animalibus & vegeta- bilibus elici possit? 251
Silesiacarum rerum Scriptores. 134	salis Ammoniaci cur aurum præcipitet? 252
Simfonis amor erga puellam Philista- am quid figuraverit? 81	Statica recepta impugnata. 245
castitas asserta. 542	Staticæ nova theoria. 245
De Simfonio (Eduardo) iudicium. 425	Statii (P. Papinii) Sylva emendata. 379 sq.
Sinaita vide Anastasius.	Thebais & Achilleis promif- sa. 385
Sinenses Medici, empirici. 264	De Statua Christi Diss. 467
Sirmium inter & Laureacum contro- versa. 196	Statuæ eruditiss. positæ. 284 sq.
Sociniani ut differant ab Arminianis? 287	Statura major corporis humani an nunc desit? 252
Sol num sit infernus? 230	Steele (Rich.) socium habuit in Dia- riis politicis Addisonum. 393
Solis cultus apud Hibernos. a terra distantia. 499	Steganographia nova. 38 sq.
De Sole ad nutum Josua subsistente varia. 477	Stomachi hæmorrhagiæ. 437
Solon a Salomone præcepta sua didi- cit. 537	Subscriptio manu propria quando fe- ri in Diplom. cæperit? 131
Solidæ partes omnes an componantur ex nervis? 422	Substantiarum diversitas unde? 251
Soliditas quid sit? 250	Successio legitima examinata. 206
Solidorum corporum formatio. 247	Collateralium. 211
De Sommersberg (Frid. Wilh.) Opera commendata. 134 seq.	in stirpes qualis olim? 208
Sorabi an e Scythiis descendant? 530	Sulphur cur ex animalibus & vegeta- bilibus elici possit? 231
Sorberius notatus. 233	Superstitionis literariæ indoles. 412
Sorbiorum religio. 108	remedia. 413
Sofibi fragmentum emendatum. 156	Swindenius Anglus, refutatus. 280
Spangenbergii (Jo.) Bellum Gramma- ticale. 142	Symmachus quando floruerit? 409
Spanhemius (Frid.) notatus. 483	Symposium Poeta vindicatus. 518
Spatium absolutum num existat? 244	Synagoga magna num existit? 530 sq.
Specifica sola nihil præstant. 33	cur ita dicta? 531
Spicilegii Patrum Græbani continu- atio promissa. 59	a Synedrion magno differt. 532
	D d d d Syna.

INDEX RERUM

Synagoga magna Praeses, Assessores, munia &c.	530 sq.	Thermarii quinam dicti?	183
De Synagoga magna tract.	530	Thermoscopii sensibilis constructio.	116
Synedrium M. a Synagoga M. diversum.	532	usus Medicus.	116
Systematis notio.	326	Tiberii prænomen judicatur per Ti.	158
elementarii notio, utilitas	326	Tilesii (Nathan.) Genealogia Kurzba-	138
& exemplum.	327	cbiorum.	138
T Abulae rotunda ordo fabulosus.	524	(Eleasari) Historia Ducum	138
Tassoni (Alex.) duo fuerunt.	98	Glogoviensium &c.	138
Tassus (Torqu.) Ariosto praelatus.	232	Tithymalus fruticosus salicis folio	271
De Taurino (Jac.) singularia.	286	nova planta non est.	271
De Tautenburg, Pincerna.	133	orientalis Anacamptero-	271
De Technophysiotameis Commenta-	239	tis folio flore cristato nova planta	271
Telescopiorum Campani historia.	498. 499	non est.	271
Tegrimi (Phil.) Vita Castrucci.	100	Titi prænomen denotatur per T.	153
Telluris a Sole distantia.	499	Titius (M.) Praesidum Syriae catalogo	428
Tenneswariae capta memoria in lapi-	405	restitutus.	428
de.	405	Thomas quidam in Russia hereticus	227
Temperamentorum vis in supersti-	412	capitis damnatus.	227
tione literaria.	412	S. Thomae Apostoli pseudoacta pro-	59
varietas unde	415	missa.	59
oriatur?	415	Thomasi (Christiani) vita & elogi-	470 sq.
Tempestatum ortus.	247	um.	470 sq.
Templum prozedes.	184	Tiliobroga (Fr.) est Lindenbrogius.	379
Tempus reale quando mensuretur?	244	Tolandus (Jo.) notatur.	482
Tendines non sunt partes exsanguës.	64	defensus.	318
Terræ motu nova Insula enata.	172	cur Medicis insen-	366
Tetradò hemispherica fenestris ova-	344	sus?	366
libus perforanda.	344	Tolandi (Jo.) vita.	309 sq.
Theologia veterum Gentilium expli-	285	scripta.	314 sq.
cata.	285	sata acerba.	314
Theophilus Ep. Antioch. emendatus.	518	epitaphium.	319
Theoriæ Mathematica nomen ut sit	249	confessio fidei.	367
abusus?	249	Tonus in corpore quatuorplex?	422
Therapeutice definitio.	503	Traditiones quatenus admittendæ?	467
		erales Judæorum qua	531
		fabula suffulta?	531
		Trevirensis Historia anecdota.	193
		Trimalcio quis apud Petronium?	230
		S. Trinitatis in Cantico Indicum.	487
		De S. Trinitatis mysterio Epistola.	484
		Trol-	

NOTABILIORUM.

Trollius non est species hellebori.	272	phanomena representantes	
Tschirnhausianæ quadratricis usus.	341	machina.	498
Tumores vesiculosi.	437	globi & planisphærii con-	
Turpificatus an vox bona?	61	structio.	498
ATurre (Philippus) emendatur.	151	superficiem exhibentes ma-	
Typographia Bononiensis aucta.	219	china.	497
nova CPli instituta.	519	parallaxis quanta?	499
Typographiæ in Russia origo.	510	motus vertiginis quanto tem-	
Cicero occasione de-		pore absolvatur?	499
dit.	364	Veneta Historia nova.	292 sq.
Tzar Regem designat.	510	Venetorum leges singulares.	297.
			298
VAcuum rejectum.	242	Venetis jur patronatus assertum.	298
VAcui præterea demonstratio Kei-		De Vento se parcere quid notet apud	
tiana rejecta.	243	Salomonem?	537
Vaginæ uterina inverso unde?	544	Ventriculi inflammationis cura.	464
Vaillantii Historia Syria laudata.	394	apostema sanatum.	171
		morbi unde?	35
Variolæ per contactum communicatæ.	172.173	Ventriculo inflictæ vulnèra sanata.	171
Variolarum sedes & cura.	462	Venturæ (Guil. & Secundini) Chroni-	
inoculatio quem habuerit		ca Astensis.	98
eventum?	173	Verona illustrata promissa.	299
In Variolarum febre secundaria absti-		Vesalii (Andr.) in studia Anatomica	
nendum a purgantibus.	269	ardor juvenilis.	192
Variolis quanta pars hominum exsting-		perisitia anatomica laudata.	75
guatur?	173	Vesicæ inflammationis cura.	464
Vasorum chylicorum descriptio no-		Vespasianus primus amphitheatri la-	
va.	431/4.	pidei autor.	305
Vates, vox mere Celtica.	360	Vestalis major autoritas, quam Con-	
Celtarum, physici & augures.	360	sulis.	321
Vegetabile ut generetur?	247	Vestalium Historia.	320
Veneficia Mediolani frequentia.	295	supplicium.	322
AVeneficiis abhorrent Galli.	297	Veyare est exagitare.	493
In Venere macularum descriptio ac-		Victoris I Pont. Max. Acta.	199
curata.	495 sq.	Victoris Sab. D. mors unde?	296
maria, promontoria & fre-		Vietnantiæ cur Turca capere non potue-	
ta detecta.	497	rint?	297
marium descriptio a qui-		Villani (Jo.) Historia univ.	521
bus & cur frustra tentata?	498	silus Tuscus laudatur.	521
Veneris phænomena nova.	493	Vindelicæ veteris fines & fata.	194
axis parallelismus in motu		Vinum Campanum pessimum.	499
circa Solem.	496		

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Virga Aeronis num visa Tavernio?	519	Vulpus (Jof. Rocur) notatur.	154
Virgilius notatur.	154	WAllensteinii confilia.	295
emendatur.	382	WArnefridi (Pauli) Codex MS.	
Virgili Aeneis quid denotet?	23	in Bibliotheca Lipsienfi Senatoria.	
Georgica Anglica translata.			331
Virginitatis consideratio.	393	Weinrichii (Jo. Mich.) vita.	233
Virginum castratio.	543	celebriores.	234
Vis corporis humani quotuplex?	544	Wesselingii (P.) in Simsonii Chron.	
princeps qua?	501	Cathol. merita.	425
	501	Whistonii (Gul) studium nimium A-	
expansiva & contractiva lex ge-		pocryphorum.	101
neralis.	247	Wilhelmus Malmesbur. recusur.	183
Vires viva defensa.	338sq.	Willigifus num fuerit Scheningenfi?	
Vicium expansivarum & contractiva-			399
rum leges.	246	Wolfius (J.C.) refutatur.	542-543
notio.	245	Wolfianæ Philosophiæ indoles.	323
corporum mensura & diffe-		a Leibnitiana	
rentia.	338	differentia.	324
Vitæ definitio.	502	Woodii (Ant.) MSptorum fata.	182.
Vitringa (Campegius) notatur.	482	nativitas & mors.	183
laudatur.	541	De Wurmbbrand (Jo. Wilb.) Autor	
Vives (Jo Lud.) Erasmo styli equabi-		Collecian. Geneal. Histor. Austria.	
litate prelatus.	499		237
Vorticis sphericis nucleus qualis?	431	Württembergensium Ephemeridum Au-	
Vossius (Gerh. Jo.) refutatur.	17-523	tor quis?	237
(Isaacus) vindicatur.	232		
notatur.	427	X	
Ex Urina signa.	269	Xenophon emendatur.	157
Ucius Jupiter dictus Imperator.	146	Z	
Urspergensis Abbatis Historia Longo-		ZErustus quando vixerit?	108
bardica excerpta.	333	cur igni templa confe-	
Uterinæ vaginæ immersio unde?	544	craverit?	108
Vulnus thermarum usu sanatum.	113	Zimmermanni (Jac.) Diss. de Atheir-	
Vulnerum ventriculo insiclorum sa-		mo Platonis.	282
natio.	171	Zuinglius unde hauserit dogma de S.	
Ufus fructus quando competat paren-		Cana?	204
tibus?	207	post Lutherum in Pontif.	
		Rom. insurrexit.	518

P. 292 lin. 12 lege Saxius; ib. lin. 23 l. Madoctiensis; p. 294 lin. 2 l. pellice-
rent; p. 390 lin. 9 pro num l. nam; p. 487 lin. 6 pro conferrentur l. con-
ferrentur; p. 510 lin. 14 l. Longo; p. 519 lin. 10 & 11 l. Convingianam it.
juris peritia; p. 532 lin. 31 lege Purim.